Periodica de re morali, canonica, liturgica

Museum Lessianum

ARTHURUS VERMEERSCH, e Soc. Iesu

DOCTOR IURIS ET IURIS CANONICI, ROMAE, IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA S. I. PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS

PERIODICA

DE RE CANONICA ET MORALI

UTILIA PRAESERTIM

RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS

TOMUS QUINTUS DECIMUS

(continuans ***De Religiosis Institutis****, etc. t. 2)*

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma, California

BRUGIS

SUMPTIBUS BEYAERT

Editoris Pontificii

BARCELONAE
EUG. SUBIRANA
Puertaferrisa

ROMAE (19)
DEPOSITO LIBRI, UNIVERSITÀ GREGORIANA
Via del Seminario, 120

1927

10234

V. 15

IMPRIMATUR

P. Iosepus Filograssi, S. J.
Praep. Prov. Rom.

IMPRIMATUR

Sora, 15 Febbraio 1927

† ANTONIO MARIA IANNOTTA
Vescovo di Aquino, Sora e Pontecorvo

Società Tip. A. Macioce & Pisani — Isola del Liri

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De status religiosi essentia et interpretatione can. 487 et 488, 1.

Art. I. - De status religiosi essentia.

I. Communia placita

1. Pro ipsa prudenti interpretatione can. 487 et 488, 1. ab hoc initio proficiscendum est, statum religiosum, ut ait S. THOMAS, integrari professione trium votorum voluntariae paupertatis, continentiae seu perfectae castitatis et oboedientiae. Audiatur in art. 7 q. 186, secundae secundae.

« Respondeo dicendum quod religionis status potest considerari tripliciter: uno modo, secundum quod est quoddam exercitium tendendi in perfectionem caritatis; alio modo secundum quod quietat animum humanum ab exterioribus sollicitudinibus, secundum illud (I Cor. 7, 32): *Volo vos sine sollicitudine esse;* tertio modo, secundum quod est quoddam holocaustum per quod aliquis totaliter se et sua offert Deo. Et secundum hoc, ex his tribus votis integratur religionis status.

« Primo enim quantum ad exercitium perfectionis, requiritur quod aliquis a se removeat illa per quae posset impediri ne totaliter eius affectus tendat in Deum, in quo consistit perfectio caritatis. Huiusmodi autem sunt tria: primum quidem cupiditas exteriorum bonorum, quae tollitur per votum paupertatis; secundum autem est concupiscentia sensibilium delectationum, inter quas praecellunt delectationes venereae, quae excluduntur

per votum continentiae; tertium autem est inordinatio voluntatis humanae, quae excluditur per votum oboedientiae.

« Similiter autem sollicitudinis saecularis inquietudo praecipue ingeritur homini circa tria: primo quidem circa dispensationem exteriorum rerum, et haec sollicitudo per votum paupertatis homini aufertur; secundo circa gubernationem uxoris et filiorum, quae amputatur per votum continentiae; tertio, circa dispositionem propriorum actuum, quae amputatur per votum oboedientiae, quo aliquis se alterius dispositioni committit.

« Similiter etiam holocaustum est, cum aliquis totum quod habet offert Deo, ut Gregorius dicit (super Ezechielem, hom. XX, inter medium et finem). Habet autem homo triplex bonum, secundum Philosophum (*Ethic.* lib. I, cap. 8 circa princ.): primo quidem exteriorum rerum, quas quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntariae paupertatis; secundo autem bonum proprii corporis, quod aliquis praecipue offert Deo per votum continentiae, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis; tertium autem bonum est animae, quod aliquis totaliter Deo offert per oboedientiam, qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentiis et habitibus animae.

« Et ideo convenienter ex tribus votis status religionis integratur. »

Quod autem S. THOMAS, praeter vota exigat aliquam professionem, id fit manifestum e condicionibus communibus quas ad statum perfectionis requirit. Etenim praeter obligationem perpetuam ad ea quae sunt perfectionis exigit aliquam sollemnitatem. Cum agitur autem de religiosis, sollemnitatem intellegit professionis et benedictionis. Cf. 2, 2, q. 184 art. 5.

Ista doctrina S. THOMAE communis est in Ecclesia. SUAREZ, postquam demonstravit tria vota paupertatis, castitatis et oboedientiae pertinere ad substantiam status religiosi, nihil praeterea requirit nisi ut vota nomine Dei per Ecclesiam acceptentur (*Relig.* Tr. VII, Lib. II, c. 4. n, 5); et eodem loco, n. 1 ait: « Suppono statum religiosum duobus modis constitui posse per se loquendo, et ipsa rei natura considerata; unus

modus est in communitate religiosa, alius est in vita solitaria, seu in particulari vivendi modo ».

PASSERINI, O. P. *De Hominum statibus et officiis* q. 186 art. 7, n. 2:

« Est ergo conclusio articuli affirmans statum religionis integrari ex tribus votis paupertatis, castitatis et oboedientiae, ut determinatur c. *Cum ad monasterium, De statibus cleric.* et Clem. Exivi, *De verborum significatione*, et Conc. Trid. sess. 25, cap. I. Cum vero haec conclusio duas habeat expositiones, quia nimirum primo, tria haec vota sunt necessaria ad integritatem status perfectionis et Religionis, et secundo quod eadem sufficiunt, nec aliud est necessarium; prima exponens iam ex praedictis constat ».

Et n. 7: « Anachoretae autem perfecte Religiosi relinquentes mundum, et paupertatem et continentiam in solitudine exercentes sub directione tamen Episcoporum, tria vota emittebant, et ideo perfecte religiosi erant; quod si deficiebant ab emissione votorum, non erant nisi Religiosi ex parte et secundum quid ».

Nec dissentiunt recentiores. PIAT, (*Praelectiones iuris regularis*, I, p. 3. q. 5.) « Ex natura rei, scribit, utroque iure, divino nempe et canonico hodie vigente, *quatuor* requiruntur: 1. Observantia consiliorum evangelicorum; 2. Et quidem voto perpetuo confirmata; 3. In communitate sub Praelato; 4. In religione approbata ».

Idem atque eodem ordine dicit WERNZ, *Ius Decretalium*, III, 590.

Sed PIAT, p. 15, q. 17 observat: « 1°. Per se et ex natura status religiosi, haec condicio (vitae communis) non videtur necessaria. Potest enim quis tria vota emittere et servare, licet non sit in communitate. Insuper, si ex natura sua status religiosus vitam exigeret communem, foret vel ratione status ut sic, vel ratione perfectionis. Atqui neutrum dici potest. Non prius, quia sic solum importat immobilitatem seu stabilitatem. Non posterius, quia ad perfectionem potest quis tendere vitam solitariam agendo.

2° « Iure tamen communi introductum est ut religiosi vitam communem ducerent. Ecclesia enim non approbat votorum emissionem nisi in Congregationibus quae vitam communem habent. Idque sapienter: status enim religiosus inter vota complectitur votum oboedientiae, ad cuius observantiam multum conducit quod voventes continuo sint sub Praelato, cui oboedire teneantur ».

Card. D'ANNIBALE, *Summula*, I, 102 haec habet: « Regulare institutum est: « *Communis et perpetuus vitae status, christianam perfectionem sectantium, auctoritate R. P. constitutus.* Instituta regularia plurima sunt: omnium velut substantia consistit ex *votis* continentiae, oboedientiae et paupertatis ».

Hinc, in opere nostro *De religiosis Institutis et personis*, I, n. 18, diximus: Status perfectionis est *publica perfectionis professio :* sive caritatis exercendae ad proximum (status episcoporum), sive caritatis perfectius consectandae ad Deum per remotionem impedimentorum quae perfectae dilectioni obstant, i. e. per tria vota.

Neque aliter, in *Commentarium pro religiosis*, I, p. 29, R. P. SERVUS GOYENECHE: « Statum perfectionis ex dictis definimus: publicam perfectionem caritatis mediante adimpletione consiliorum Evangelii » vel pressius: « publicam professionem consiliorum Evangelii in ordine ad perfectionem caritatis ».

II. Inaequalis vis condicionum quae hodie ad statum religiosum requiruntur.

Solent auctores iam a Concilio Tridentino tria haec requirere ad statum vere religiosum hodie habendum: tria vota perpetua; eorum acceptationem ab Ecclesia, seu votorum professionem; vitam communem.

Sed probe notandum est haec non aequali vi esse necessaria, cum alia sint e iure divino repetenda, im-

mo ex ipsa rei natura; alia vero e positivo iure ecclesiastico. Status perfectionis religiosorum omnino exigit observationem trium consiliorum evangelicorum; stabilitas statui essentialis nequit haberi sine votis vel stricte perpetuis vel saltem emissis cum intentione eadem semper renovandi; aliqua Ecclesiae approbatio votorum omnino est essentialis ut status exsistat in visibili societate; sed iure tantum positivo et praesenti exigitur vita communis.

Haec est omnino communis doctrina, quam summi doctores expresse tradunt.

« Loquendo autem de Eremitis non coenobiticis, qui ab initio conversionis suae statim immediate assumunt vitam solitariam, dicendum illos potuisse esse vere et proprie Religiosos, si saltem in manibus Episcopi tria vota substantialia emisissent sub certa aliqua regula et modo vivendi approbato... Nunc vero Eremitae, si qui inveniuntur, non sunt proprie religiosi, quia nunc emitti non possunt vota religiosa, nec professio valida in statu privato ».

Sic PASSERINI, O. P. in 2, 2, q. 188 art. 8, n. 26 et 27 (*De Hominum statibus*). Idem antea scripserat SUAREZ, *Relig.* Tr. VII, L. IV, c. 4, n. 2:

« Alter modus religiosi status in privata vel solitaria vita parum quidem usitatus nunc est in Ecclesia; nihilo minus ex natura rei esse possibilem facile probari potest ».

SCHMAZGRUEBER, in L. III Decr. t. 31, n. 20 et 21:

« Quaeritur 4. utrum ad substantiam verae religionis requiratur vita communis ?

« Resp. Spectato iure ecclesiastico novo et hodierno, affirmative... Dixi, spectato iure ecclesiastico novo et hodierno, nam ex natura sua, status religiosus non necessario requirit vitam communem ».

Concordant recentiores. Iam vidimus quod scribebat PIAT, O. M. C. Non aliter LEHMKUHL, *Theol mor.* I, 640:

« Status religiosi essentia in tribus votis: paupertatis, castitatis, oboedientiae consistit, quae, approbante Ecclesia e-

mittuntur atque ab ea nomine Dei visibili modo et visibilis regiminis causa accipiuntur». Et 643: «Accidentalia status religionis vocare possumus 1) certam formam singulorum institutorum, quam status religiosus in singulis ordinibus pro peculiari fine diverso habet; 2) ea elementa quae lege mutabili requiruntur, ut ordo religiosus exsistat, aut quae cum votis religiosis coniunguntur».

Non nulli tamen quaenam essentialia sint e natura rei, quaenam vero ex praesenti disciplina minus distinguunt. Ita REIFFENSTUEL in L. III Decr. tit. 31, n. 8:

«Additur *in communi* (vivendi modus) quia quantumvis aliquis in privato ac particulariter tria vota substantialia voveat et observet, sancteque vivat, nisi id in Communitate et quidem a Pontifice approbata faciat, Religiosus non erit nec in Religione esse dicendus est... Infertur proin quod Eremitae, quantumvis sancti, nec olim fuerint, nec adhuc sint Religiosi, qui extra Communitatem a Sancta Sede approbatam in particulari aut privato vitam Religioni similem ducunt».

Sed cum ipse alleget Suarez et Pellizarium, potius magis confuse locutus esse videtur quam re vera ab aliis dissentiat.

Satis simili modo loquitur LAYMANN, *Theol. mor.* L. IV. Tr. V, c. 1, n. 3:

«Ad statum atque Ordinem religiosum requiritur ut sit sacra quaedam congregatio seu communitas»... modus sive ordo communiter in Religione vivendi secundum certam regulam, ab Ecclesia approbatus esse debet».

III. Corollaria istius distinctionis inter ea quae natura rei et ea quae ex iure positivo sunt requisita.

I. *Quae e natura rei aut iure divino requiruntur abesse non possunt quin cesset ipse status religiosus.*

Quare, ut scribit LAYMANN, l. c. n. 8: «Sequitur sexto: quod S. Pontifex dispensare non possit ut manens Religiosus, voto paupertatis, castitatis ac oboedientiae obligatus non sit».

II. «*Ab Ecclesiae approbatione pendet tandem*

status vere religiosus et ordo religiosus seu *religio* »; (BUCCERONI, *Institutiones Theol. mor.* III, n. 248 bis).

Approbatio autem potest variis modis dari, ita, v. g. ut Constitutiones et modus vivendi approbentur, sed vota privata maneant. Sic, 11 aug. 1889, S. C. *Episcoporum et Regularium* decreverat de Institutis quae non obligant ad ferendum habitum religiosum, vel quae habent membra in propriis domibus manentia: « S. Congregatio, quando laudat vel approbat huiusmodi Instituta, etiam sub expresso Congregationum nomine, ea intendit laudare aut approbare, non quidem uti Religiones formales votorum sollemnium, neque etiam ut formales seu veras religiosas Congregationes votorum simplicium, sed tantum uti pias Sodalitates, in quibus, praeter alia quae iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam desiderantur, nec religiosa professio proprie dicta emittitur, sed vota si quae fiant, privata censentur, non publica, nomine Ecclesiae a legitimo Superiore acceptata ».

Verum, a regula quam Ecclesia statuit potest S. Sedes dispensare. Sic novimus Institutum cuius non paucae Sorores manent in domibus propriis neque ut tales cognoscuntur, et cui tamen natura verae Congregationis religiosae est agnita.

Ad rem LEHMKUHL, I, 644:

« 3. Non tamen semper exsistere veram acceptationem ex parte Ecclesiae in approbando religioso instituto, etsi acceptio ea, qua ipsa congregatio singulorum sodalium traditionem privatim recipiat, forte locum habeat, extra dubium est exemplo Lazaristarum (cf. BOUIX, *De iure regul.* I, pars II, sect. I, c. 4, § 2, p. 228) de quorum congregatione *Alexander VII*, 22 sept. 1655 in Constitutione « *Ex commissa* » ita disposuit: « in quorum tamen votorum emissione nemo intersit qui ea acceptet nomine congregationis sive *Nostro* et pro tempore exsistentis Romani Pontificis. Quae *non acceptatio* eo fine statuta est ut religiosum illud institutum maneret congregatio *saecu-*

laris (1). Simile exemplum habetur ex historia Bethlemitarum, qui, anno 1687 evecti erant ad veram et religiosam congregationem positive a Sancta Sede approbatam et « in manibus Fratris Praefecti vota consueta emittebant » proin, saltem privatim ipsi congregationi traditione acceptata se tradebant. At nihilo minus, cum anno 1710 a *Clem.* XI in verum ordinem religiosum eveherentur, de novo vota iubebantur emittere, « certiorati de insufficientia praecedentium votorum ad constituendos eos veros religiosos ». Nihil tamen videtur excogitari posse quod defuerit, nisi acceptatio ex parte Ecclesiae i. e R. Pontificis ».

III. *Hi quorum tria vota substantialia acceptantur ab Ecclesia necessario sunt in statu religioso.* Ratio est quia habent unde, secundum S. THOMAM et scholam universam, status religiosus seu perfectionis integratur. Nihil ultra desideratur.

Caute igitur accipienda sunt verba P. WERNZ, *Ius Decretalium*, III, n. 590, nota 13 « Cit. decretum S. C. Ep. et Reg. 11 aug. 1889, ex quo facile colligitur sodalitates pias utut laudabiles, quarum socii non vivant in *communitate* vel vota mere *privata*, non *publica* nomine *Ecclesiae* a legitimo Superiore *acceptata* emittant, ad essentiam formalis religionis vel formalis veraeque congregationis religiosae non pertingere ». Etenim non debuit scribi *vel*, quasi alterutra privatio vitae communis vel acceptationis votorum ex parte Ecclesiae satis sit ut desideretur formalis congregatio religiosa; sed solus defectus essentialis est defectus acceptationis. Quae ceterum ratio allegatur in laudato decreto 11 aug. 1889: « nec religiosa professio proprie dicta emittitur, sed vota, si quae fiant, privata censentur, non publica, nomine Ecclesiae a legitimo Superiore acceptata ».

IV. *Accuratius et ad vitandas confusiones utilius foret statum religiosum in tractatibus proponere ut constitutum notis quibus secundum S. Thomam inte-*

(1) Ipsa verba *Congregatio saecularis* non carent quadam ambiguitate. Per aliquod tempus enim, *saecularis* vocabatur Congregatio vere religiosa sed quae non habebat vota sollemnia, nec proin regularis dici poterat. Cf. apud BIZZARRI, *Collectanea in usum Secretariae S. C. Episcoporum et Regularium* ed. 1, p. 796, causam Congregationis presbyterorum saecularium NN. (SS. Redemptoris).

gratur. Re quidem vera, religiosum formaliter efficit omnis et sola publica professio consiliorum evangelicorum. Neque ideo quia desideretur vita in communi quispiam hodie religiosus esse plerumque non poterit, sed quia publica professio requirit vota acceptata ab Ecclesia, Ecclesia autem hodie non acceptat vota de consiliis evangelicis nisi quae fiant in Congregatione approbata. Quae igitur praeter publica vota numerari consueverunt ut necessaria ad statum religiosum non sunt nisi condiciones sine quibus Ecclesia vota acceptare non solet, ita ut vota aliter facta non sint nisi privata.

Itaque, ex *formali* ratione dicatur status religiosus esse *stabilis condicio eorum qui per vota publica profitentur consilia evangelica.*

Dein addatur, secundum praesentem disciplinam, vota publica de consiliis evangelicis non haberi nisi in societate approbata cum vita in communi.

Hac ratione omnis ansa errandi abscinditur, nec quisquam dubitabitur de statu religioso eorum qui etiam extra vitam communem tria vota substantialia emittant, si Ecclesia vota ista acceptare voluerit.

Sic ipsum C. Tridentinum, in S. 25 *De Regularibus et Monialibus,* c. 1, dum praecipit ut omnes regulares « ad eorum respective essentiam, necnon ad communem vitam, victum et vestitum conservanda pertinentia fideliter observent » nonne distinctionem praefatam insinuat?

Quocirca probamus R. P. GOYENECHE, qui in *Commentarium pro religiosis*, I, p. 29, definit statum perfectionis: « publicam professionem consiliorum Evangelii in ordine ad perfectionem caritatis ».

Art. II. - **Interpretatio canonis 487 et 488, 1.**

I. Canon 487 sic sonat: « *Status religiosus seu stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter*

communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota oboedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt, ab omnibus in honore habendus est. »

I. Expositio verborum non postulat nisi declarationem formulae: « in communi vivendi modus ». Per se verba ista latius vel strictius intellegi possunt. Etenim iam est quaedam ratio vitae in communi, inter eos qui tenent similem vitae tenorem, ob communem regulam quam observant. Plenior autem est modus vivendi in communi eorum qui utuntur generatim eodem tecto et eadem mensa, et communia religionis exercitia peragenda habent.

Iam vero, si consideres condicionem vitae quae opponitur modo vivendi in communi, dixeris sufficere communitatem regulae et Superiorum. Namque exigendo vitam in communi, ratio professionis religiosae maxime negatur Eremitis. Sic LAYMANN, *Theol. mor.* L. IV, Tr. V, c. I, n. 3 scribit: « Ad statum atque Ordinem religiosum requiritur ut sit sacra quaedam congregatio, seu communitas, in qua consequenter esse debet spiritualis quaedam iurisdictio. » Aliqua tamen ratio tecti comunis etiam postulatur, saltem regulariter, cum vi can. 606 Superiores non possint sinere ut subditi ultra sex menses extra domum propriae religionis degant. Nihilo minus id tamquam minus essentiale etiam e iure hodierno haberi debet, cum Em. Cardinales, Episcopi e Congregatione vel Ordine religioso assumpti, maneant religiosi et vivant extra communitatem; et cum etiam probentur quaedam religiones quae ex ipsis Constitutionibus tecto communi uti non debent.

II. Ut iam ipsum canonem exponamus, *directe* iubet ut status religiosus ab omnibus honoretur; atque indirecte tradit notas quibus status iste dignoscitur.

a) *Honor* est testificatio de alterius excellentia. Huic testificationi directe contraria est contumelia.

Vetat igitur can. 487 multas istas contumelias quibus haeretici et hostes, aperti vel occulti, Ecclesiae Ordines religiosos lacessunt.

Sed praeterea positive praecipit ut omnes, cuiuscumque gradus sint, excellentiam istius status testificentur, nec aperte, vel insidiose, per varias obiectiones vel comparationes, deprimere conentur pretium quo apud populus fidelem status iste valet. Huc faciunt bina opuscula S. THOMAE: *Contra impugnantes Dei cultum et religionem*; — *Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu.*

Et quamvis ab istis malitiosis impugnationibus longe remoti sint quotquot Ecclesiam Dei sincero amore afficiunt, etiam his cavendum prudenter est ne suo modo dicendi vel scribendi, affectum ad religiosum statum minuant. Id sane menti Ecclesiae adversari demonstratur ipso nostro canone per verba ista valde efficacia: *status religiosus ab omnibus honore habendus est.*

b. In descriptione canonis distinguendum est id quod per se secundum essentialem rationem ad statum religiosum exigitur et quod e praesenti Ecclesiae usu est communiter necessarium. Neque haec sunt eodem ordine ponenda. Derogatio enim condicioni requisitae secundum se, ipsam substantiam status religiosi corrumpit; dum exceptio facta ab Ecclesia condicionis quam ipsa nunc postulare solet, intactum sinit esse statum religiosum eorum qui habent quod status secundum se exigit.

Porro *esentialia elementa* secundum se sunt: Stabilitas, quae per vota firmatur; — vota per quae servantur *consilia evangelica*, i. e. quae antonomastice evangelica consilia vocantur: paupertatis, castitatis et paupertatis.

Eleganter additur: *praeter communia praecepta*, quia voluntas praeceptis contraria ipsi statui perfec-

tionis repugnat. Immo nec serio consilia servare potest qui nolit servare praecepta. Consilia enim dantur ut media facilius, securius et perfectius servandi praecepta, maxime praeceptum caritatis ad quod omnia alia reducuntur, et in quo ipsa ratio perfectionis continetur.

Non potest tamen exsecutio praeceptorum proponi ut condicio praerequisita ad statum religiosum, ne incidamus in errorem eorum quos redarguit S. THOMAS in opusculo *Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu.* Pestifera enim doctrina haec erat qua contendebant necesse esse ut quis prius se exerceat in implendis praeceptis antequam ad statum religiosum aspirare possit.

Postremum elementum essentiale, i. e. acceptatio votorum ab Ecclesia in hoc canone non exprimitur. Subintellegitur in verbo *status*, cum status in societate visibili necessario postulet aliquem consensum auctoritatis publicae.

c) Elementum praesenti disciplina ecclesiastica ad essentialia additum est *modus vivendi in communi.* Hoc in explicatione verborum declaravimus.

II. Canon 488, 1°, sic sonat: «In canonibus qui sequuntur, veniunt nomine

1° «Religionis, *societas, a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt* ».

Expositio litteralis:

Religio, ante Codicem non designabat nisi Ordines in quibus vota sollemnia nuncupantur. Nunc, per istum canonem, vox facta est communis omnis Instituti vero religiosi.

Legitima auctoritas quae religionem approbare potest, est vel S. Sedes, vel Episcopus seu Antistes

localis, qui tamen Congregationem licite non condit nisi praevie S. Sedem consultaverit.

Societas dicit proprium finem ad quem, sub legitimis Superioribus, communi conatu contenditur.

Conatus iste communis definitur per *Constitutiones* seu *leges*. *Leges*, sunt quatenus a Legislatore ecclesiastico ferantur. Legislator iste esse potest vel ipsum Capitulum, cum agitur de religione clericali exempta; vel Episcopus, cum agitur de religione dioecesana, vel S. Sedes.

Vota publica sunt quae ab Ecclesia vel eius nomine a competente Superiore recipiuntur. Hoc loco igitur condicio professionis seu acceptationis omnino exprimitur.

Canon etiam vota *temporaria* admittit. Antea, ad perfectam rationem status religiosi, exigebant vota perpetua. Sed essentialis stabilitas conservatur per perpetuam renovationem istorum votorum.

Demum canon descriptionem absolvit indicando ipsum finem ad quem sodales religiosi qua tales congregantur, idest evangelicam perfectionem, seu perfectionem istam cuius Doctor et Exemplar fuit Christus.

Simul canon affirmat tendentiam istam contineri, saltem materialiter, in votis publicis et in propriis legibus religionis servandis. Hic oritur quaestio utrum necne officio formaliter distincto ab obligatione votorum et regularun teneantur religiosi tendendi ad perfectionem. Sed quaestionem istam postea tractandam reservamus.

De separata unius speciei eucharisticae consecratione et condicionate iterata consecratione particularum dubie consecratarum.

In notissima ephemeride hispanica *Resegna ecclesiastica, organo del clero hispano americano,* R. D.

MIGUEL DE ARQUER peculiarem lucubrationem scripsit de hoc argumento, quod iam bis in his Periodicis tractavimus. Quamvis enim disputationem inscripserit « *Esencia del sacrificio de la Misa* », eius intentio, ut ipsi fatetur, fuit revocandi ad trutinam sententiam P. NOLDIN quam ab initio *singularem* appellat (p. 180). Quocirca operae pretium duximus non nulla de ista disputatione hoc loco ex hispanico sermone in latinum convertere.

Profecto nos piget sic insistere in refutanda sententia viri quem diligebamus et magni faciebamus. Verum momentum rei non sinit ut, pro humilibus viribus, neglegamus quidquam quo praevertamus errorem quem non possumus non arbitrari funestum. Etenim, nisi magnopere decipiamur, usum sententiae *singularis* non tantum divinae legi opponitur, sed etiam periculum inducit materialis indololatriae. Sed iam audiamus R. D. DE ARQUER.

« Estne valida consecratio unius speciei sine altera ?

« Distinguere oportet quomodo hoc evenerit; utrum sine intentione deliberata, casu fortuito, invincibili errore, v. g. ignorantis materiam esse vitiatam, an ex proposito, de industria, id quaerendo. In priore hypothesi, omnes validam pronuntiant consecrationem unius solius speciei, quia tunc celebrans firmum propositum habet consecrandi forma et modo institutis a Iesu Christo. In altera hypothesi, i. e. si celebrans positivam intentionem conceperit consecrandi unam speciem, altera exclusa, res controvertitur. Alii affirmant validitatem consecrationis, hac ducti ratione, quod, ut sacramentum conficiatur, satis sit ut sacerdos pronuntiet verba formae in idoneam materiam cum intentione faciendi id quod facit Ecclesia. Alii, idque est magis probabile, validitatem negant, quia sacerdos non agit in persona Iesu Christi neque secundum

intentionem Ecclesiae quando non habet propositum offerendi sacrificium...

« Ac re vera, ut admitti possit ratio sententiae affirmantis, opus foret supponere Apostolis a Christo collatam esse potestatem consecrandi distinctam a potestate offerendi sacrificium; sed ita factum non fuit. Non duas distinctas potestates sed unam solam dedit potestatem sacrificandi et consecrandi, ita ut nec consecratio extra sacrificium fieri nec sacrificium sine consecratione offerri posset...

« Omnes auctores, antiqui sicut moderni, unius erant sententiae, donec praefatus P. Noldin, separando se complete ab isto unanimi iudicio, se praesentaverit cum solutione tam simplici et singulari ut (sit dictum cum omni veneratione debita auctori tantae et tam meritae existimationis) propter ipsam singularitatem et simplicitatem fiat suspecta, cum non facile concipiatur medium tam obvium et expeditum, quale ipse proponit, nulli occurrisse ex tam multis qui idem thema examinarint.

. . . . . .

« Ac primo fatendum est nos stare ante affirmationem prorsus gratuitam, cum nulla demonstratione fundetur, et non solum gratuitam, sed praeterea contrariam universali doctrinae moralistarum.

. . . . . .

« Ex hactenus dictis fit manifestum, sacrificium esse completum postquam verba consecrationis super utramque materiam pronuntiata sint; postquam autem completum est sacrificium, consecrare alteram materiam esse sacrificium iterare: quod foret sacrilegium. Ac perinde dicendum est si consecrentur tales particulae post calicis consecrationam; quia, postquam semel alterutra species consecrata est, non iam locus est alteri consecrationi eiusdem generis, quia, quod

ad consecrationem istius speciei, sacrificium erat etiam completum.

« Manifestum est id intellegi debere si particulae non fuerint in prima consecratione consecratae. Tunc, sequenti consecratione, non solum interabitur sacrificium, sed permittetur incompletum, si tamen, in isto casu vere sacrificium habeatur. Etenim, quid aliud intendit celebrans quam unam speciem sine altera consecrare; quod, secundum multos, est sacrificium frustrare et facere caerimoniam nullam, irreverentem ac sacrilegam? Re quidem vera, sacerdos qui prae manibus non habet binas species necessarias ad sacrificium vel qui, dum eas habet se determinaverit ad consecrandam unam tantum, excludit positive eam qua caret vel eam quam adhibere omittit, dum poterat ea uti. Si particulae in priore consecratione fuerunt valide consecratae, ea quae postea fieret esset penitus inutilis, et sacerdos etiam incurreret in peccatum grave, propter periculum cui se exposuisset iterandi vel frustrandi sacrificium.

« Novimus quidem a sapiente P. Noldin, n. 103 eius operis moralis, pro certo haberi principio, consecrationem unius speciei sine altera esse validam, quia, ut ipse putat, ratio sacrificii a ratione sacramenti sit distincta; et postquam observaverit ratione sacramenti nullatenus exigi consecrationem utriusque speciei quam ratio sacrificii postulat, concludi: « quare una species sine altera *absque dubio valide* consecrari potest ».

« Istae assertiones admitti non possunt sine aliquibus restrictionibus. Primo perfracte negamus, tam certum esse, ut supponitur, ratione sacramenti, contra ac ratione sacrificii, consecrationem ambarum specierum non postulari. Prima fronte id videri potest, nec repugnaret quin sacramentum sine sacrificio exsisteret si Iesus Christus id voluisset... si autem Iesus Christus,

auctor sacramentorum, apostolis non dedit nisi unicam potestatem, re ipsa non vult ut extra sacrificium Missae possit esse sacramentum Eucharistiae, sicut exposuimus et multi tenent, nec etiam ut dictum sacrificium possit haberi sine consecratione utriusque speciei; tunc autem iam certum non est haberi rationem sacramenti in unius speciei consecratione, etsi *in facto esse*, ut theologi dicerent, seu post consecrationem, sacramentum a sacrificio distinguatur.

« Itaque perhibetur hic ut doctrina definita et vera id quod summum haberi potest pro opinione probabili. Sed, ex principio ab omnibus admisso, locum non esse probabilismo quando valor sacramenti agitur, sed partes tutiores esse sequendas quotiescumque efficacia sacramentorum non pendeat a sententia theologorum sed sollummodo ab institutione divina, sequitur quod qui perhibeat ut certum id quod est probabile, incurrat in periculum usurpandi ritum vanum, exponendi sacramentum nullitati, et nocendi sacramentum suscipienti...

« Si quidam auctores, cum S. Alphonso, interdum validam habent consecrationem unius speciei sine altera, ne id mentem fugiat, ipsos id solummodo affirmare de celebrante qui ex invincibili errore, vel propter casum non praevisum prohibeatur alterutram speciem consecrare; quia, in his adiunctis, habebat firmam voluntatem consecrandi forma debita, sicut a Christo praeceptum est, et offerendi quantum possit sanctum Missae sacrificium. Si autem consecratio utriusque speciei est omnino essentialis tali sacrificio, sacerdos qui, conscio modo, ante primae speciei consecrationem, alteram excludat, caret initiali voluntate offerendi sacrificium, et consequenter ne consecrat quidem id quod consecrare intendebat (1).

(1) Fatemur re vera a nobis non intellegi quo pacto, si sacrificium exigat essentialiter ambas consecrationes, et intentio offerendi sacrificium necessaria

« Concludamus. Quemcumque respectum quis eligat; quacumque ratione consideretur sententia celebris P. Noldin, manifesta res est eam admitti non posse, et certo non posse ad praxim reduci. Etenim neque ulla ratione fundatur; neque ulla auctoritate alicuius momenti fulcitur; sed e contrario, aperte opponitur omnium sententiae, caret probabilitate intrinseca et extrinseca.

« Quare valde mirum est, adiungit P. BOCK, quod theoria tam singularis et peregrina non fuerit eliminata in nova editione quae post auctoris mortem facta est eius operis.

« Ut isti studio finem inponamus, pro synopsi et utilitate lectoris, contrahemus in haec quae sequentur praecedentem doctrinam:

« 1. Celebriores auctores morales absolute illicitam perhibent iteratam consecrationem particularum quae dubie sint consecratae. - 2. Gravissimum praeceptum divinum violat qui id facit, quia unam materiam sine altera consecrat. - 3. Si valida sit ista nova consecratio, sacrificium sinit esse incompletum. - 4. Probabiliter non inchoat sacrificium neque consecrat. - 5. Practice nihil obtinet iterata consecratione, peracta modo explicato, particularum dubie consecratarum, quia non minus quam ante, dubie consecratae manent. - 6. Particulae istae neque administrari neque adorationi proponi possunt. - 7. Non est igitur aliud remedium nisi eas consecrandi condicionate in alio sacrificio, vel eas consumendi post calicis sumptionem ante ablutiones: quod praecise tenet recepta sententia ».

Hactenus laudata *Resegna*.

---

sit ad validam consecrationem, laudatus P. NOLDIN, l. c. n. 103, scripserit, de valore consecrationis unius speciei sine altera dubitari non posse quia, « qui consecrare intendit ut alias consecravit seu ut Christus instituit, intentionem habet sacrificandi quantum potest i. e. saltem inchoandi sacrificium ». Nonne patet intentionem istam necessario excludi contraria voluntate non consecrandi nisi unam speciem.?

Quaesita de iubilaeo extenso ad Universum Orbem

I. Licetne Ordinario loci, ubi multo plures ecclesiae quam quattuor sunt, per se vel per delegatos, *successive*, pro maiore fidelium commodo, *varias ecclesias designare* visitandas, ita ut per tres menses hae quattuor; dein per tres alios menses aliae ad lucrandum iubilaeum visitari possint?

Resp. Variatio ista procul dubio licita est. Etenim, ex ipsa Bulla *Servatoris*, potestas designandi ecclesias conceditur utenda per integrum anni spatium. Quo spectaret ista concessio nisi permitteretur variatio?

Id tamen semper observandum est, ut per totum annum ecclesia cathedralis, vel, hac deficiente, principalis loci ecclesia visitetur.

II. Licetne Antistiti *plures quam quattuor designare ecclesias*, ita ut, praeter ecclesiam principalem, quam omnes visitare debeant, optio inter plures alias ecclesias Fidelibus permittatur?

Resp. Nihil nobis isti dispositioni adversari videtur. Designatae erunt ecclesiae quas fideles visitabunt. Nihil plus exigitur. Immo non arbitramur illicite acturum esse Ordinarium loci qui designet omnes urbis ecclesias, praeter principalem, cuius visitatio semper necessaria est.

III. In non una civitate episcopali, ecclesia cathedralis est simul parochialis. Licetne Episcopo, in civitate ubi quattuor ecclesiae sunt praecipere *ut parochiani ecclesiae cathedralis hanc bis visitent:* semel ut parochialem et semel ut cathedralem?

Resp. Id ne valide quidem facere potest. Quattuor enim designandae sunt ecclesiae. Iam vero si ecclesia cathedralis bis sit visitanda, fideles non visitabunt quattuor sed solas tres ecclesias. In potestate Episcopi non est virtualiter duplicare unam eandemque ecclesiam.

Quid autem si bona fide tale quid decretum fuerit? Nihil aliud faciendum superest, nisi ut petatur sanatio per S. Paenitentiariam. Fideles enim tractari nequeunt ut impediti, cum impediti taxative numerentur in Bulla.

IV. Potestne aliquis, *eadem die* civili vel canonica, *duas ecclesias in uno loco, duas alias in alio loco* utiliter visitare?

Resp. Anno 1901, S. *Paenitentiaria* id utiliter et licite fieri declaravit, in resp. 5 iun. 1901, ad V. (Cf. *Monitore*, XIII, 1901, p. 201. 202.)

Necesse tamen arbitramur ut ecclesiam cathedralem vel principalem in uno saltem loco visitet.

N. B. - In eodem responso ad III. declaravit regularibus et monialibus pluries posse libere eligere confessarium ad effectum iubilaei, idest si animus adsit lucrandi iubilaeum, donec perfecerint opera ad iubilaeum requisita. Quare corrigendum putamus magis severe a nobis dictum in nostro commentario, ubi tantum semel pro singulis iubilaei acquisitionibus hanc electionem monialibus permisimus.

VARIA QUAESITA MORALIA

I. **Quaedam circa oratoria privata et semipublica.**

1. Pro oratorio privato castelli impetratum est Sanctae Sedis indultum, haec verba continens: « Condesit, ceditur ut missa celebretur ». Cum vox « unica » quaeritur utrum plures missas quotidie recitare liceat necne.

R. Responsio negativa eruitur necessario ex canone 1195, § 1: «... nisi aliud in eodem indulto

expresse caveatur, celebrari potest... *unica* Missa, etc. ». Quapropter optimo iure scribebat MATTHAEUS a CORONATA (1): « Id autem quod habet GASPARRI in nota aliqua sub n. 235, posse nempe celebrari plures Missas, si clausula de unica Missa desit in rescripto, putamus non amplius valere ex hoc canone ».

— Quid si, missa a capellano vix finita, advenit inopinate filius domini castelli, qui est ipse sacerdos ?

R. Alium locum celebrationis quaerat hic sacerdos; tendat ad quandam ecclesiam vel oratorium saltem semipublicum, cum iam dicta sit unica missa quae in hoc oratorio domestico celebrari poterat. Neque dicat: « Non est mea culpa, non suspicatus eram aliam missam iam lectum iri; habeo ius celebrandi missam ». Talia ad rem nihil faciunt, cum non licèat sacerdotibus missam celebrare extra limites et circumstancias loci, temporis, vestium, utensilium, etc. statuta ab Ecclesia.

Ut patet, non loquimur de casu quo quis privilegium personale altaris portatilis impetrasset aut etiam privilegium celebrandi in oratorio privato sine detrimento missae a capellano celebratae.

— Nonne possit sacerdos de quo agitur telegrapho petere ab Ordinario loci licentiam celebrandi alteram missam hoc die in oratorio parentum ? aut etiam talem licentiam praesumere ?

R. Neutrum, ut videtur; nam non putamus Ordinarium posse talem licentiam concedere. Can. 1194 dat facultatem permittendi celebrationem « unius missae, per modum actus » ; c. 1195 § 2, propter speciales causas, permittendi celebrationem missae per modum actus sollemnioribus festis, non autem permittendi ut eodem die bis celebretur. Porro haec materia videtur strictae interpretationis, cum in materia omnino vicina,

(1) *De locis et temporibus sacris*, 1922, n. 87.

nempe de licentia celebrandi super altare portatile, responderit S. Commissio Interpretationis Codicis hanc Episcoporum potestatem intellegendam esse restrictive (1).

— Sed si hic sacerdos die dominica advenit et, nisi celebret in parentum oratorio, non possit missam audire, aut non nisi cum maximis difficultatibus, cum quaevis alia ecclesia oratoriumve sit valde distans et pessimis viis separatum?

Resp. In casu, arbitramur eum ex epikeia in parentum oratorio celebrare posse. Etenim *S. R. C.* responderat quaestioni utrum liceret celebrare in oratorio privato ad ministrandum viaticum: « Affirmative etiam absente indultario (2) ». Ex hoc MATTHAEUS A CORONATA colligit, in casu gravis necessitatis posse dici secundam missam. Sed impossibilitas, praesertim pro sacerdote, satisfaciendi aliter legi Ecclesiae de assistentia missae die dominica potest censeri gravis necessitas, fere comparanda necessitati viatici ministrandi. Etenim, occasione alterius severae prohibitionis ecclesiasticae, scilicet celebrandi sine ministro, probati auctores admittunt hoc licere ad viaticum ministrandum, aut ad satisfaciendum praecepto audiendi missam die dominica.

2. In aliqua, ut aiunt, « colonia vacationum », aula quaedam in sacellum transformatur, in quo quotannis Episcopus permittit tum missae celebrationem tum etiam sanctissimae Eucharistiae asservationem. An duobus sacerdotibus licet quotidie in hoc sacello missam celebrare?

Resp. Duobus aut etiam pluribus. Cur non? Ex definitione c. 1788, § 2, 2° hic habetur oratorium semipublicum, in quo nulla est restrictio circa missa-

(1) A. A. S., 1919, 478.
(2) *Decret. authent.* 2745 ad VII (27 Aug. 1836).

rum numerum, nisi talem restrictionem ad normam c. 1193 Ordinarius clare expresserit.

3. Reparationes urgentes cogunt hanc aulam derelinquere. Licetne altare et omnia ad cultum necessaria in vicinum cubiculum transferre et eo ut sacello nunc uti ?

Resp. Regulariter recurrendum esset ad Ordinarium, ut possit per se vel per alium ecclesiasticum virum oratorium visitare et indicare utrum sit decenter instructum (c. 1192, § 2). In magnis quibusdam dioecesibus, ubi sunt sat multae tales « coloniae vacationum », Episcopus dat licentiam ad haec oratoria ubi parochi ea in statu decenti invenerint. In tali casu, sufficeret a parocho petere ut novum oratorium approbaret. Episcopus non magis voluit approbare hoc quam illud cubiculum huius domus, sed aliquod cubiculum quod parocho conveniens videretur.

Secus, nempe si Ordinarius exacte talem aulam determinatam, non aliam, in oratorium erigi voluit, ad eum quam citissime recurratur. Quod si recursus impossibilis sit, et necesse sit prius oratorium relinquere, alterum vero videatur omnino decens, non ausimus vituperare eum qui epikeia uteretur aut potius Episcopi licentiam praesumeret.

4. Quae benedictio dari debet tali oratorio ?

Resp. Pro oratoriis semi-publicis est maxima libertas, vel nullam benedictionem impertiendi, vel benedicendi more locorum domorumve, vel benedicendi ecclesiarum more.

Quando agitur de oratoriis « coloniarum vacationum » quae possunt prodesse duobus tribusve mensibus in anno et per reliquum tempus generatim, annuente Episcopo ad normam c. 1192 § 3, ad profanos usus rediguntur, non conveniret eos more

ecclesiarum benedicere. Satius erit ei benedictionem domus locive impertire quae in Rituali Romano invenitur, tit. VIII, cap. 5, 6 aut 7.

II. De confessionibus alumnorum collegii.

Species facti. In collegio quodam catholico (quod non est seminarium, nam alumni plerique non ad sacerdotium nec ad statum religiosum destinantur), alumni in tres « divisiones » iuxta aetatem separantur. Pro unaquaque divisione designantur plures confessarii. Nullus alumnus apud alium sacerdotem *habitualiter* confiteri potest sine licentia Praefecti disciplinae. Aliqui autem contendunt hoc legibus canonicis omnino adversari. Nonne potius legem Ecclesiae laedunt magistri qui alumnorum suorum propriorum confessiones habitualiter audiunt?

Resp. Ut per finem incipiamus, hi magistri certo in litteram nullius legis ecclesiasticae offendunt, cum haec confessio habitualis alumnorum, saltem internorum, solis Superioribus canone 891 interdicatur, sed non agunt iuxta mentem hodiernam Ecclesiae, quae vult sedulo separare res conscientiae a rebus gubernationis exterioris, impedire etiam omnem apparentiam influxus confessionum in modum externum se gerendi.

Quoad aliud quaesitum, forsitan quis dixerit nullam restrictionem poni posse libertati alumnorum confitendi, ut licet hodie omnibus fidelibus, cuilibet sacerdoti approbato. Penitior tamen inquisitio aliam solutionem possibilem ostendet. Cum de hac re « desit expressum praescriptum legis », « norma sumenda est... a legibus latis in similibus », ut ait c. 20. Porro magna habetur analogia inter collegium catholicum et seminarium. Nobis ergo licebit ex hoc ad illud cum debita proportione concludere. In quolibet semi-

nario debent esse « duo saltem confessarii ordinarii et director spiritus » (c. 1358). Insuper « praeter confessarios ordinarios, alii confessarii designentur ad quos libere alumni accedere possint... si in seminario habitent, ipsos alumnus libere adire potest, salva seminarii disciplina ». Ex his textibus eruitur seminaristas non posse ad quemlibet confessarium libere accedere, sed unice ad confessarios designatos et « salva seminarii disciplina », vi cuius poterunt, v. g. certi dies aut horae confessionibus destinari, quidam ordo praescribi...

Igitur si, in unaquaque « divisione » collegii, designantur saltem quatuor aut quinque confessarii (ut aequivaleant « ordinariis » c. 1358 et « aliis » c. 1361), non videtur abusivum exigere ut *in collegio* (nam quo iure prohiberentur, dum versantur extra collegium, alumni cuilibet sacerdoti approbato confiteri?) non confiteantur, saltem *habitualiter*, apud alios sine licentia Praefecti disciplinae.

Canones enim de seminariis, et praesertim verba iam citata « salva seminarii disciplina », bene ostendunt intentionem Ecclesiae non esse ut praetensa absoluta confessionum libertas ordinem externum turbet. Quod mox eveniret, non sine educationis christianae et studiorum detrimento, quandoque etiam cum maioribus abusibus, si singulis alumnis in magno collegio liceret pro lubitu quavis hora quemlibet sacerdotem sub praetextu confessionis adire.

Eadem voluntas Ecclesiae manifesta fit ex canonibus qui intenderunt Monialibus et Sororibus maiorem libertatem quoad confessiones concedere. Nullus commentator admittit v. gr. canonem 522 permittere Sororibus exitum e domo ad confitendum sine ulla licentia antistitae, aut monialibus egressum e clausura. Tales canones debent componi cum regulis et constitu-

tionibus de disciplina externa, praesertim de egressibus e domo, non eis contradicere.

Modo analogo, in collegiis tribuenda est alumnis vera libertas, vera possibilitas eligendi inter plures confessarios, non ea absoluta et illimitata libertas quae, disciplinae et studiis nociva, amaros fructus gigneret.

III. **Assistentia non satis activa ad matrimonium**

Species facti. Paulus, missionarius, extra suam quasi-paroeciam duos ex suis quasi-paroecianis invenit qui, ad matrimonium parati, petunt ut ipse eorum coniunctionem die sequenti benedicat. Delegatione obtenta a Ioanne quasi-parocho loci, Paulus nupturientibus horam statuit pro crastina die. Qua hora, cum neminem videret, missam celebravit; statim postea, cum cerneret sponsos, petivit a sacerdote Petro ut matrimonio assisteret. Ipse Paulus caerimoniae adfuit et interrogationes de consensu lingua regionis faciendas alta voce Petro indicavit; Petrus vero sponsos interrogavit. Cum plures missionarii contenderent matrimonium nullum fuisse, Paulus respondit se fuisse testem, hoc sufficere; attamen ad cautelam sponsos revocavit et de consensu interrogavit.

Resp. Optime fecit Paulus matrimonium iterando. Delegatio fuerat data a quasi-parocho sacerdoti determinato, nempe Paulo, ad matrimonium determinatum (c. 1096). Sed in hac materia Paulus nullam subdelegandi potestatem habebat: ei soli, nulli alii, concessa erat delegatio. Ergo assistentia Petri huic matrimonio invalida fuit.

Nec dicatur Paulum testem fuisse, hoc satis esse. Una e maximis mutationibus factis a decreto *Ne temere,* quae in Codicem transiit, est hodie non sufficere praesentiam mere passivam parochi, aut sacerdotis

delegati, ut cuiuslibet testis, sed omnino requiri ad validitatem, praesentiam activam, seu interrogationes personaliter factas de matrimoniali consensu (c. 1095 et 1102. § 1). Ille etiam qui alteri suggerit quaestiones ponendas non ipse interrogat: saepe sacrista laicus talia suggerit ad modum adiutorii mere materialis, ut alicuius chartae impressae quae interrogationes contineret.

Si quis tamen opinetur, forsitan Paulum in casu partes satis activas habuisse, dicamus hanc esse levissimam probabilitatem quacum valde imprudens fuisset non iterare matrimonium.

E. JOMBART, S. I.

Quaesita de Religiosis.

I. Praelatus religiosus, ut maiore sollemnitate fieret a pluribus simul sollemnis professio, permisit non nullis simpliciter professis qui triennium votorum simplicium fere compleverant, *ut sollemnem professionem facerent paucis diebus ante completum triennium.* Immo duobus una sola dies desiderabatur. Ipse sic ratiocinatus erat: Parum pro nihilo computatur; et c. 577, § 2, facultatem facit Superioribus permittendi anticipationem votorum temporariorum etiam per mensem.

Quaeritur de liceitate et de valore professionis istius sollemnis.

Resp. Sollemnis ista professio fuit nulla, et proin illicite facta. Etenim: 1. C. 574, § 1 praecipit ut, post expletum noviciatum, novicius votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus, praemittat votorum simplicium professionem *ad triennium* valituram. Quod tempus, vi § 2, Superior potest, renovata a religioso

temporaria professione, prorogare (non tamen ultra aliud triennium); sed tempus diminuere minime permittitur.

Ec c. autem 34, § 3, 5° expresse definitur, triennium ad professionem perpetuam non finiri nisi eodem recurrente die quo incepit.

2. Ex canone 572, § 2, professio simplex ad normam c. 574 ad ipsam validitatem professionis perpetuae, sive simplicis sive sollemnis, requiritur. Ergo ad validitatem professionis perpetuae praerequiritur professio temporaria, quae non ante recurrentem diem eiusdem numeri, finem habere potest.

3. Quod autem, in hac re, appellari nequeat principium: « parum pro nihilo computatur », id liquet ex consideratione iuris superioris. Etenim praesens Codicis praescriptum ex parte congruit cum iure anteriore, quatenus ante sollemnem postulet simplicem professionem triennalem. Qua parte autem congruit, debet, vi c. 6, 3°, e iure superiore aestimari. Iam vero, Constitutio « *Ad universalis* », 7 febr. 1862, nullam statuit esse professionem sollemnem religiosi qui per triennium *integrum* in professione simplici non permanserit. — Anticipatio autem canone 577, § 2 permissa, solam renovationem votorum temporariorum afficit.

II. Ista invalida professio *nonne re ipsa sanata est*, postquam tres anni a prima professione completi sunt? Si enim nulla fuit professio sollemnis, permansit professio simplex. Quare post paucos dies, professi isti omnia requisita professioni sollemni habuerunt.

Resp. Permansit quidem professio simplex usque ad diem qua tres anni completi sunt; sed professio sollemnis non re ipsa successit. Habent quidem omnia requisita ut nunc sollemnem professionem emittant, sed eam nondum emiserunt validam. Quomodo igitur esse possent sollemniter professi, cum praesenti iure tacita professio sufficere nequeat?

Immo non omnis renovatio professionis sollemnis sufficere potest. Etenim, vi c. 586 § 1, professio irrita ob impedimentum externum non convalescit per subsequentes actus, sed opus est ut a Sede Apostolica sanetur, vel denuo, cognita nullitate et impedimento sublato, legitime emittatur.

Itaque duplex erit ratio procurandi validam professionem sollemnem istis religiosis. Priore, conscii facti nullitatis prioris professionis, possunt admitti ad novam professionem sollemnem. Altera, petitur a S. Sede sanatio professionis quae nulla fuit, ita ut per se nulla nova professio sit necessaria.

Id autem inter utramque rationem interest. Si nova fiat professio, antiquitas professionis sollemnis non computabitur nisi a die qua renovata est; si autem sanetur a S. Sede, sollemnis professio a die qua primum emissa est valide facta censebitur. Quocirca, melius erit sanationem istam impetrare, praesertim si tempus iam quodpiam transcurrerit post professionem invalide factam.

III. Codex non vult ut, post factam primam professionem, seu potius post completum noviciatum, religiosi maneant sine votis in domo religiosa. Quid igitur, si propter iuris ignorantiam vel ex oblivione, *quis manserit sine votis in religione*. Num, ex hac parte aliquid obstat quo minus, sine interventu S. Sedis, admittatur sive ad renovandam professionem temporariam, sive ad faciendam professionem perpetuam?

Resp. Nihil ex hac parte renovandae professioni temporariae vel emittendae professioni sollemni seu perpetuae obstat. Nulla enim sanctio fertur ad urgendam obligationem statim renovandi vota quorum dies advenerit. Satis est ut ceterae condiciones impleantur.

IV. Titius die 24 martii, pridie festum Annuntiationis Beatae Virginis Mariae noviciatum ingressus, primam professionem temporariam ad annum fecit in

ipso festo Beatae Mariae Virginis. Quindecim autem dies ante elapsum annum, aegrotavit, neque convaluit nisi versus finem mensis aprilis. Superiores autem tantum post recuperatam valetudinem ipsum ad novam annuam professionem votorum admiserunt. Iam quaeritur utrum, tertio revoluto anno a facta prima professione, vota perpetua emittere possit: quod valde cupit, ex devotione ad B. Virginem, an contra solummodo duobus annis post renovatam professionem annuam.

Resp. Solutio inde repetenda est utrum, ad professionem perpetuam, tres anni requirantur *professionis temporariae*, an tres anni *a prima professione* facta.

Iam vero, e c. 574, § 1, praemitti debet *professio* ad triennium valitura; nusquam autem dicuntur sufficere tres anni transacti in religione post primam professionem.

Atque iterum, C. *Ad universalis*, 7 febr. 1862, ex qua, in hac parte, iudicium ferendum est, exigit ad valorem «ut in ea (in professione simplici) per triennium integrum... permanserint». (Cf. nostrum *De religiosis institutis et personis*, II, n. 54, p. 159.)

V. Constitutiones Congregationis X. exigunt ut professio recipiatur a Superiore generali vel ab eius delegato. In regione valde distante a residentia Superioris religiosi, quinque religiosi se praeparabant ad professionem perpetuam nuncupandam. A Curia generalicia missae litterae ad Superiorem loci distantis perveniunt, quibus delegatur a Superiore generali ad recipiendam professionem perpetuam *trium* religiosorum qui nominantur. Persuasus agi de mero errore materiali, seu de involuntaria omissione, nihil dixit candidatis et professionem *quinque* religiosorum recepit. Iam quaeritur utrum valide emissa sit professio a duobus qui in litteris non nominabantur.

Resp. Validitas quinque professionum ab hoc

pendet utrum Superior generalis vere Superiorem localem delegaverit ad recipiendas quinque professiones, ita ut omissio duorum mere secretario imputanda sit, an ipse Superior Generalis ex quadam oblivione delegationem pro tribus tantum dederit. In priore casu, quinque valide professi sunt. Tunc enim Superior localis bene coniecit *de praesenti* voluntatem delegandi quam re vera expresserat Superior Generalis (1). Iam vero voluntas rite praesumpta de praesenti sufficit etiam ad conferendam iurisdictionem, v. g. ad audiendas confessiones. Si autem ipse Superior Generalis erraverit, tunc Superior localis re vera non fuit delegatus pro duobus, qui proin fecerunt professionem nullam, sanandam sicut supra diximus.

Quaeres utrum pari modo sufficere possit delegatio praesumpta *de praesenti* ad assistendum matrimonio? I. e. sacerdos X petiit delegationem a competente parocho ad assistendum definito matrimonio, certus de adventu litterarum et de responso affirmativo dato vel etiam misso, potestne, valide assistere matrimonio?

Cum c. 1906 exigat quidem licentiam *expresse* datam sacerdoti determinato, sed non requirat ut litterae delegationis pervenerint, censemus licentiam praesumptam de praesenti, saltem probabiliter, sufficere ad valide assistendum matrimonio.

Quaedam liturgica

I. De Festo Christi Regis

1. Assignando festum D. N. Iesu Christi Regis in dominica ultima octobris, Summus Pontifex explicite derogat legi Breviarii (Add. et Var. V. 3 et No-

(1) Litterae quibus fortasse delegatio petebatur huiusmodi praesumptioni de praesenti locum dare possunt: ut si petebatur pro quinque, et Generalis nullum in responsione excluserat.

tanda, 2) qua « Dominicae quaevis assignationem perpetuam excludunt cuiusvis Festi ». Hucusque solum excipiebatur Festum Ss.ae Trinitatis, Festum Ss.i Nominis Iesu et Festum S. Familiae, quae ceteroquin inserta sunt in ipsorum Proprium de Tempore et, praeterquam Festum Ss.ae Trinitatis, aliquo modo ipsi officio dominicae subrogantur.

2. Novum Festum, quod in Breviario et Missali in Proprium Sanctorum inserendum est post Festa mensis octobris, adnumerandum est Festis *primariis* Domini quae in universali Ecclesia sub ritu duplicis 1 classis recoluntur, horumque festorum omnia iura et privilegia participat, ideoque: tam in occurrentia quam in concurrentia omnibus aliis festis, etiam Dedicationis et Tituli ecclesiae propriae, et Patroni principalis loci, praevalet (Add. II, 1); de occurrenti officio duplici maiori vel minori et de festo semiduplici ne in laudibus quidem et Missis privatis admittit commemorationem (Add. Brev. VII, 1; Add. Miss. V, 1); non tantum ipsam Missam votivam sollemnem pro re gravi et publica causa respuit (Add. II, 3), sed nec eius admittit commemorationem (Add. V, 3); nec in eo permittitur Missa, etiam sollemnis vel cantata, exsequialis (Add. III, 4).

Officium et Missa sunt omnino propria cum Doxologia et Versu Primae, immo et Praefatione propriis.

II. De Missis votivis.

Ex decreto 20 febr. 1926 (hic p. 66), iterum clare patet Missas quae in novo Missali leguntur sub rubrica *Missae propriae quae in aliquibus locis celebrari possunt* nullo modo posse tamquam votivas dici iis in locis quibus illae missae non sunt concessae.

IOS. PAUWELS, S. J.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De revocata vel non revocata intentione suscipiendi ordines.

I. *Opportunitas Quaestionis.* — Facto constat saepe evenire ut ordinandi tenerae et simul vario gradu scrupulosae conscientiae timeant ne, deficiente intentione, invalide ordinati fuerint. Immo tam frequens est de intentione dubitatio, ut vix numerosa ordinatio celebretur quin haec causa animum cuiuspiam ordinandi anxium reddat. Quo maius est momentum ipsius ordinationis, ut cum agitur de sacerdotio, quod in nullo superiore ordine virtualiter continetur, eo facilius nascitur dubitatio atque eo difficilius extirpatur. Quare non desunt qui per multos annos, immo per integram vitam, pleno solacio ordinationis privantur et, nequidquam ferventes, missam sine aliqua apprehensione celebrare non possunt.

E re igitur erit plurimorum ut anxietates huiusmodi rationis penitius abolere conemur.

II. *Occasiones dubiorum* ad haec capita reduci posse videntur.

1. Ordinandus proponebat sibi devotissimam ordinationem. Sed ipsa contentio animi adduxit distractionem, ita ut pronuntiatae a ministro formae non

fuerit conscius. Inde dubitatio: fuitne forma recte pronuntiata; num ordinem recipere volui; nonne mansi sine definita intentione?

2. Inter caerimonias, aliqua vere vel tunc falso existimata essentialis ordinando non visa est bene peracta. Prae timiditate tamen nihil tunc interrogare vel corrigere ausus est. Inde mentem subit ista cogitatio: licetne mihi pergere recipere ordinem post hunc defectum? Nonne, quia abire non audeo, revocata intentione impediendum est istud sacrilegium? Dum haec mente volvit, perturbatus omnia requisita praestat; sed qua interna voluntate, id anxie dubitat.

3. Dum in mandato episcopali quod in initio legitur, memoratur censura contrahenda ab iis qui recedant, vel accessus vetatur eorum qui fuerint irregulares vel censura affecti, suspicio contractae antea excommunicationis vel irregularitatis mentem pervadit. Anxium examen casus mentem occupat, dum caerimoniae peraguntur. Absoluta ordinatione timor non levis habetur de intentione.

4. Propter memoriam facti praeteriti vel praesentem cogitationem aut actionem, qualis omissa vel non recte facta caerimonia, ordinandus existimat se versari in statu peccati; vel etiam de idoneitate sua ad sacerdotium dubitare incipit. « Quare, sic intra se cogitat, non licet mihi ordinem sacrum recipere. Revocanda est intentio. Eam revocemus ». Turbatus mente vel etiam ore pronuntiat verba: *nolo iam ordinari.*

5. Fit etiam ut, propter inquietas cogitationes, intentionem concipiat, dein revocet, postea restituat.

III. *Responsio S. Sedis, praecipue S. Paenitentiariae.* — Quantum rem novisse liquit, S. Sedes huiusmodi dubitantibus de concepta vel conservata intentione respondere solet: acquiescant.

Sic recens, ut ex ipso Superioris cuius intererat ore accepimus, S. Sedes negavit novam sub condicione

ordinationem sacerdoti qui in his adiunctis versabatur. Ante ordinationem, in ipsa sacristia, scrupulis agitatus, Patri Spirituali Seminarii declaraverat: « nolo ordinari ». Tunc Praefectus Spiritus ipsum verbis persuadere conatus est de inani sua haesitatione, eumque manuduxit ad templum, aiens: « Noli tam stulte agere ».

Post plures annos quibus ministerium exercuerat, sacris operari abnuit, allegans se non fuisse valide ordinatum propter defectum intentionis. Pluries scripsit ad S. Sedem, quae dubia non fundata esse existimavit, et iussit ut acquiesceret.

Ipse iam denuo sacerdotem agit, omnia imputando Superioribus, ut hi coram Deo de sacerdotalibus ipsius actionibus sint sponsores. Quo iure haesitationes istas in re tam gravi deponere tuto iubentur?

IV. *Communis explicatio.* — Ratio facilis haec est, quia moraliter constat intentionem habitam fuisse et non revocatam esse.

Intentio adfuit: id demonstrant singuli gressus quibus ordinandus se contulit in ecclesiam seu sacellum ordinationis; singuli gestus quos facit, singula verba quae pronuntiat in ipsa ordinatione.

Em. Card. GASPARRI, in erudito opere suo *de Ordine*, addit: quia satis est ut subiectum ordinationis voluntarie sinat peragere supra se ritum ordinationis, contra quam voluntatem interior dissensus praevalere nequit (1). Sententiae tamen isti, quae fundamento positivo non caret, communiter non adhaeretur. Verum certe id admittendum est, ista voluntaria accommodatione ad ritus validam confirmare praesumptionem de permanente intentione.

Haetenus quae ad sedandas anxietates dici consueverunt. Et per se satis esse non negamus. Fit

(1) Observes sententiam istam longe abesse ab opinione, vix non reprobata, CATTARINI. Is. enim contentus erat externa ritus exsecutione a *ministro* peracta, dum hic agitur de subiecto cui habitualis intentio sufficit.

tamen ut ipse ordinatus rationibus istis non complete persuadeatur, et per annos maneat anxie sollicitus de sacerdotio suo et de ministeriis quae exercet. Causa permanentis anxietatis haec est, quod redit non raro haec cogitatio: Revocatio intentionis est factum quod nullo argumento destrui potest. Et videor mihi intentionem revocasse.

V. *Novum argumentum.* — Nonne igitur efficacior ratio contra istas anxietates afferri potest et utiliter affertur? Sic nobis videtur; eamque hoc modo proponendam ducimus.

1. Si vere caruisses intentione vel intentionem revocasses, Superiori cui statim anxietatem tuam exposuisti, dociles aures minime praebuisses. Liquido enim animo sacrilegia multiplicare numquam annuisses.

2. Verum etiam si, in adiunctis quae narrasti, vere noluisses iam ordinari, nolitio ista non fuisset efficax. Quaenam enim adiuncta fuerunt? Post valde deliberatam intentionem ordinationis suscipiendae, perturbato animo coepisti anxius esse de peccato, de irregularitate, de censura; perrexisti agere quae oportebat et simul intus perplexo animo quaerere quid faciendum restaret.

Iam vero revocatio huiusmodi, etiam si adfuerit, non potuit esse actus perfecte humanus, nec proinde potuit destruere maxime deliberatam voluntatem recipiendi ordines.

Solutio ista hoc nititur principio, quod non est efficax voluntas cuius deliberatio non sit proportionata rei momento.

Sicut, propter requisitam deliberationem, non omnis voluntas peccandi in materia gravi est letale peccatum, non omnis voluntas vovendi efficit validum votum, sic etiam, propter similem rationem, non omnis nolitio efficaciter revocat intentionem suscipiendi ordines.

Hoc modo, in fallimur, magis radicitus evellitur scrupulus de ordinatione; atque hac ratione etiam confirmatur norma communiter adhibita qua, nisi omnino quis timoratae conscientiae affirmet se recessisse ab intentione suscipiendi ordines, dubia de ista re iubeantur contemni, ita ut ne spes quidem detur condicionate iteratae ordinationis.

De confessione ad lucrandas indulgentias praescripta

Ad lucrandas indulgentias plenarias, praeter alia opera, plerumque confessio sacramentalis et sacra communio praescribitur (*Raccolta di Orazioni* ecc., Roma 1898, p. XI). Opera autem iniuncta, quae iterari possunt, pro qualibet indulgentia repetenda sunt ab eo qui plures indulgentias lucrari vult. S. Communio igitur, cum iterari nequeat (c. 857). pro pluribus indulgentiis eodem die lucrandis sufficit (c. 933; *Decr. auth. S. C. Indulg.* n. 291, 1°, 434, 3°). Similiter cautum est unam confessionem sufficere pro omnibus indulgentiis aliquo determinato die lucrandis, cum iterari non soleat, nisi tamen aliunde sit necessaria (c. 933; Decr. cit. n. 434, 3°). Confessio autem aliunde necessaria est, seu eodem die iterari debet, si quis post confessionem peractam, ultimo nondum completo opere, in letale lapsus peccatum, s. synaxim debet adhuc suscipere; secus satis erit, ut actu contritionis perfectae elicito cum Deo reconcilietur (*S. Paenit.* 31 iul. 1924 n. 13, A. A. S. XVI, 337; Decr. cit. n. 231; BALLERINI-PALMIERI, *Opus theol. mor.*, ed. 3, t. V n. 795).

Confessio ad indulgentias lucrandas praescripta peragi omnino debet etiam ab iis, qui sibi letalis peccati vel culpae certae conscii non sunt (*Raccolta*,

p. XI; Decr. cit. n. 214 & 359, 4°); absolutio vero tunc non est necessaria ad indulgentias lucrandas (Decr. cit. n. 253, 2°, 295, 2° & 359, 4°).

Qui pluribus diebus diversis, v. g. Dominica et feria II insequenti, unam vel plures indulgentias lucrari cupit, *pro unoquoque die* actualem confessionem facere debet, nisi consueverit aut cotidie fere communicare aut bis in mense confiteri (c. 931 § 3); sine hac igitur consuetudine una confessio non sufficit nisi pro indulgentiis unius diei lucrandis. Hinc qui Dominica et postridie velit indulgentiam plenariam consequi, pro qua iniungitur confessio, qualis est indulgentia orationi *En ego* annexa, bis confiteri debet, nisi, ut dictum est, consuetudinem foveat confessionem vel communionem ad normam c. 931 § 3 frequentandi.

Neque obiciatur, id adversari § 1 c. 931. Nam ibidem solum id conceditur, ut confessio non eodem die, quo indulgentiae offertur lucranda, fieri debeat, sicut olim oportebat (BALLERINI-PALM., l. c., t. V n. 794). Augescentibus enim indulgentiis onus perdifficile erat confessariis audiendi omnes confessiones ipso die festo, immo vel pridie. Hinc die 19 maii 1759 concessum ac die 6 oct. 1870 confirmatum est, confessionem utiliter iam pridie fieri (Decr. cit., n. 214 & 426); Pius X autem permisit primo, ut confessio fieret duobus vel tribus diebus ante diem indulgentiae, deinde vero, ut vel per integrum octiduum anticipari posset (*Periodica* t. IV p. 179 et VIII pag. 200). Quod Codex per subsequentem octavam ampliavit. Hodie enim confessio « peragi potest intra octo dies, qui immediate praecedunt diem, cui indulgentia fuit affixa » vel « etiam intra subsequentem totam octavam » (c. 931 § 1). Ex quibus verbis manifestum est agi de indulgentiis unius diei, cui confessio praemitti potest vel post-

poni. Nequaquam autem haec confessio satis est pro indulgentiis alio die vel toto illo tempore occurrentibus. Si quis e. g. die 2 augusti lucrari velit indulgentiam Portiunculae, praescriptam confessionem peragere potest a die 25 iulii ad d. 9 augusti inclusive; indulgentias autem aliis diebus (praeterquam diei 2 aug.) affixas sine repetita confessione minime lucratur, nisi habeat consuetudinem confitendi vel communicandi, de qua mox. Singulae igitur confessiones (sicut et communiones) non possunt nisi indulgentiis unius diei lucrandis sufficere.

De computanda octava post pia exercitia plurium dierum hoc valet. « Ad lucrandas indulgentias pro piis exercitiis in triduum, hebdomadam etc., ductis concessas, confessio (et communio) fieri etiam potest intra octavam, quae immediate sequitur exercitium expletum » (c. 931 § 2), seu ultimum diem exercitii.

Ex quo autem indulgentiae largius vel cotidie (v. g. indulgentia orationi *En ego* vel ad Christum Regem annexa: *Periodica* t. XII, p. 159; aliaeve) offerri consueverunt ac fideles frequentius eas lucrari solent, nimium onus visum est, confessionem toties exigere, quot sunt dies indulgentiarum. Cui incommodo occurrit Decr. cit. n. 231 et nunc largius c. 931 § 3, vi cuius actualis confessio non praescribitur iis christifidelibus, « qui solent, nisi legitime impediantur, *a)* saltem bis in mense ad paenitentiae sacramentum accedere, aut *b)* s. communionem in statu gratiae et cum recta piaque mente recipere cotidie, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant ». Omnes igitur sub *a)* et *b)* comprehensi « possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine actuali confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis sive iubilaei ordinarii et extraordinarii sive ad instar iubilaei » (c. 931 § 3).

Iam ad singulas partes accedamus. Beneficium in hoc consistit, quod iis, *a*) qui bis in mense confiteri solent, istae duae confessiones menstruae sufficiunt pro omnibus indulgentiis toto mense occurrentibus, dummodo s. communionem ceteraque opera iniuncta rite repetant; iis vero, *b*) qui quinquies saltem in hebdomada communicare solent, nulla confessio statuto tempore necessaria est ad indulgentias quovis die lucrandas. His igitur, in praemium fervoris, quo excitati cum recta piaque mente cotidie fere communicant, confessio non imponitur, cum ceteroqui sint « in statu gratiae » (c. 931 § 3); quare facile iis confessio menstrua vel rarior pro lubitu sufficit.

Dicitur *bis in mense;* menses autem sumendi sunt in casu, sicuti iacent in Calendario, cum agatur de consuetudine per tempus *continuum* protracta, scil. saltem per aliquot menses, immo et annos (cfr c. 32 § 1 & 34). Nullibi autem requiritur, quamvis conveniat, ut singulae confessiones aequaliter fere distent, i. e. statis diebus cuiuslibet mensis fiant; sufficit proinde, ut bis in quovis mense confessio fiat, licet parum vel multum una distet ab altera. Neque obstat Decr. cit. n. 439 alterumque in *Collect. Prop. Fid.* ed. 2, n. 1653. Ibi enim non praescribitur, ut confessio una ab altera aequaliter distet, sed sciscitanti, num ita satisfiat oneri confessionis, respondetur « affirmative »; quod est nimis manifestum. Id autem minime requiri, eruitur quoque ex *Raccolta* p. XII; idem scite tuetur LEHMKUHL (*Theol. Moral.*, ed. 11 t. II n. 677), ac tenet GÉNICOT-SALSMANS (*Inst. Theol. Mor.*, ed. 10, t. II n. 405).

Verba « quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem (s. communione) abstineant » ab auctoribus recte intelleguntur de habituali abstinentia; favore igitur minime excidit, qui semel vel bis in

unaquaque hebdomada s. communionem omittit ideoque habitualiter quinquies tantum eam recipit (GÉNICOT-SALSMANS, ib.; VERMEERSCH, *Theol. Moral.* t. III n. 628, aliique).

Hoc beneficium, lucrandi indulgentias sine actuali confessione, perseverat, etsi quis legitime i. e. iustis causis impeditus (c. 931 § 3) istam consuetudinem per accidens interrumpere debeat, velut si ob morbum s. communionem bis tantum in aliqua hebdomada recipere possit; is tunc pergit absque actuali confessione lucrari indulgentias iis diebus, quibus reliqua opera peragit, prout sunt iniuncta vel ad normam c. 935 commutata.

Hoc beneficio comprehenduntur quaelibet indulgentiae, etiam « toties quoties » nuncupatae (*Raccolta* p. XI sq.; Decr. cit. n. 364; *Coll. cit.* n. 1853,1°), non tamen indulgentiae sive iubilaei ordinarii et extraordinarii sive ad instar iubilaei (c. 931 § 3). Iubilaeum ordinarium est illud, quod nunc conceditur quolibet vicesimo quinto anno, extraordinarium vero, quod occasione alicuis maximi eventus, veluti in centenarii Constantiniani anni 1913, indicitur; praeterea aliquae indulgentiae dicuntur concessae ad instar iubilaei (BALLERINI-PALMIERI l. c., V n. 819).

Omnes igitur indulgentiae iubilaei vel ad instar iubilaei excluduntur beneficio, de quo supra, ideoque actualem requirunt confessionem. Id plura decreta demonstrant, praesertim n. 364,3° et n. 231, quod in Indice Decr. cit. p. 556 ita refertur: « Ad lucrandas indulgentias iubilaei concessas confessio etiam ab iis peragenda est, qui semel saltem in hebdomada confiteri solent »; « requiritur proinde confessio specialis » (MOCCHEGIANI, *Collectio Indulg.*, n. 486). Confessio igitur bis in mense fieri solita sufficit pro cunctis indulgentiis mensis, excepta indulgentia iubilaei; qui nihilominus alteram harum confessionum

indulgentiae iubilaei lucrandae deputare velit, amittet reliquas indulgentias medii eiusdem mensis, cuius alteram confessionem iubilaeo deputavit. Unde tertia eo mense confessio peragenda est ab eo, qui et quaslibet indulgentias mensis et indulgentiam iubilaei consequi vult (*Monitore Ecclesiastico* 1925, 63). Pro indulgentiis enim iubilaei « actualis confessionis praescriptio perseverat » (BALLERINI-PALM., l. c., t. V n. 794; R. P. CREUSEN ap. *Periodica* t. VIII p. 201); nam valde convenit, ut pro indulgentia tam sollemni plus praestetur quam pro reliquis indulgentiis. Optat praeterea Ecclesia, ut tempore iubilaei fideles reconcilientur cum Deo per susceptionem sacramentorum; unde et peculiares facultates concedit confessariis. Hinc nil mirum, quod urget praescriptam confessionem et a beneficio confessionis habitualis vel communionis cotidianae excipit. Merito Benedictus XIV C. « Inter praeteritos » diei 3 dec. 1749 n. 77 sq. (C. I. C. Fontes t. II p. 2835 sq.) Papae ius vindicat exigendi peculiarem confessionem pro iubilaei consecutione (AUGUSTINE, *A Commentary* t. IV, ed. 2, p. 390).

Quae de confessione iubilaei seu de c. 931 § 3 ap. *Periodica* t. XIII p. 110 e 196 his contraria leguntur, nobis non probantur.

Fr. HECHT P. S. M., Limburgi in Germania

Casus de Matrimonio

I. De male dispensata interpellatione

I. **Casus** — Titius ethnicus, inopia pressus, suam uxorem vendidit christiano qui eam duxit atque ab ea liberos suscepit.

Femina ista deinceps catechumena facta est et baptismum suscepit.

Tum, obtento documento de peracta venditione, missionarius a Vicario Apostolico postulavit dispensationem a primi viri interpellatione, quae facile fieri poterat.

Hac impetrata, iussit ut pseudo — coniuges consensum renovarent et coram ipso christianum matrimonium celebrarent.

Fortasse Vicarius Apostolicus putabat mulierem fuisse venditam *post* baptismum.

Quaeritur iam de validitate istius matrimonii christiane celebrati.

II. **Quid, causa integra, faciendum erat?**

1. Venumdatio uxoris facta quando haec de amplectenda fide christiana non cogitabat, non fuit discessus iste quem S. PAULUS supponit in epistola qua suum privilegium promulgat. Supponit enim discessum cui conversio alterius partis causam vel occasionem praebuit. Immo, in casu, Titius nulla animi aversione motus est ad iniquum istum mercatum complendum, sed propter rei familiaris inopiam se ab uxore, fortasse invitus, separavit. Quare, remota inopia, Titius praesumendus erat velle cum uxore pacifice cohabitare.

2. Dispensatio a Vicario Apostolico concessa, omni valore destituta est. Petita enim et data fuit sine causa. Interpellationes enim non dispensantur nisi impossibiles, inutiles aut damnosae. In casu autem facile fieri poterant, nec eorum inutilitas demonstrata erat.

3. His praepositis, hoc modo procedendum erat. Titii uxor baptizari non poterat, nisi suppresso suo adulterino concubinatu cum christiano emptore. In primis igitur separatio saltem a toro, et, quantum ratio scandali vitandi postulabat, etiam a cohabitatione obtinenda erat. Tum rite baptizata vendita femina, consuetae interpellationes faciendae erant.

Si tunc ethnicus vir cohabitare cum uxore christiana renuisset, vel si eam recuperandi copiam non habuisset, quia v. g. pretium mercatus restituere emptori non potuisset, tunc mulier facultatem habebat utendi privilegio Paulino et adulterinum concubinatum convertendi in legitimum matrimonium.

Neque, ante tentatam interpellationum viam, decebat recurrere ad Vicarium Iesu Christi ut plenitudine suae potestatis uteretur ad dissolvendum vinculum naturale matrimonii contractum in infidelitate.

III. Quid pronuntiandum est de matrimonio coram sacerdote celebrato?

Verum causa non est integra; ac iudicium ferendum est de matrimonio celebrato.

Obiectivus valor istius matrimonii ab hoc pendet utrum necne infidelis sit hic et nunc, tempore istius matrimonii vel postea *vere* discedens. Iam vero discedens dici poterit si, post baptismum suae uxoris, eam redimere non potuerit. Non requiritur enim ut ex odio fidei infidelis uxorem deserat, vel in sua potestate sit cohabitare cum parte fideli, si etiam antea causam dedit cur iam cohabitare nequeat.

Hoc igitur indagandum est. Atque ante exploratam rem usus matrimonii iis qui matrimonium celebrarunt illicitus est.

Quid autem si res ad inextricabile dubium devenerit? Quia, in casu, potestas est Summi Pontificis dispensandi in matrimonio quod non fuit consummatum qua ratum, causa deferenda est ad S. Sedem. Haec etiam perpendet quid favor fidei et morum in concretis adiunctis suadeant, nec ad solam utilitatem duorum qui in concubinatu vivebant attendet.

II. De omissa forma consensus matrimonialis

I. **Casus.** — Duo Sinenses, religione catholici, sed aeque rudes ac tepidi christiani, contraxerunt matrimonium more Sinensium. i. e. facta magna reverentia coram sacra imagine et coram parentibus consensum expresserunt.

Pagum habitant qui circa. 25 Kilom. distat a proxima missionariorum statione, et bis tantum in anno, non semper eodem tempore, a missionario visitatur.

Copia non erat ut ambo se conferrent ad stationem missionariorum; sed sponsus potuisset stationem istam adire ad impetrandam dispensationem a forma matrimonii quam dispensationem missionarius libenter concessisset. Verum sponsi de forma servanda minime solliciti, ea quae dicta est ratione, coram parentibus ac proin coram testibus, nuptias celebrarunt. Revera aliquot menses a celebratis nuptiis elapsi sunt ante quam missionarius stationem visitaret.

II. **Quaeritur** iam **de valore** istius matrimonii.

Resp. Duplex ratio dubitandi perpendenda est. Prior petitur ex omissa dispensatione a forma, quae impetrari poterat; altera ex omissa consideratione de prudenti praevisione absentiae ministri competentis.

Neutra autem ratio valida est.

Etenim nulla Codicis lege tenentur sponsi impetrare dispensationem a forma celebrationis, quando in adiunctis versantur ubi, ex ipsa lege, a forma ista servanda immunes sunt.

Neque Codex postulat ut ipsi sponsi prudenter praeviderint diuturnam (ultra mensem) inopiam ministri competentis. Sed satis est ut inopia ista prudenter praevideri potuerit.

Iam vero, cum missionarius non visitaverit pa-

gum nisi post aliquot menses post nuptias elapsos, neque indicium habeatur, moram istam fuisse praeter omnem praevisionem, sponsi re vera in adiunctis versabantur ubi praevisio absentiae ultra mensem prorsus rationabilis erat.

Quare Sinenses isti dicendi sunt validas nuptias celebrasse.

Quaesita varia de iubilaeo

1. — Valetne communio paschalis sero recepta vel viaticum pro iubilaeo?

Generatim quod ad indulgentias haec valet regula: « Opere, cui praestando quis lege aut praecepto obligatur, nequit indulgentia lucrifieri, nisi in eiusdem concessione aliud expresse dicatur » (c. 932). Uno namque opere nequit satisfieri duabus obligationibus, quae singulae opus peculiare postulant. Verum ista regula non applicatur communioni praeceptae: 1) quia communio eodem die iterari nequit (c. 857-933) ideoque die communionis paschalis (vel viatici) nulla indulgentia, pro qua communio praescribitur, posset acquiri; 2) quia pluries expresse declaratum est, communione paschali omnes indulgentias acquiri posse, excepta indulgentia iubilaei, « pro quo tantum requiritur peculiaris confessio atque communio » praeter paschalem (*Raccolta* p. XIII; *Decr. auth. S. C. Indulg.*, n. 288, 296, 327, 1°). Consequenter etiam Bulla « *Servatoris* » 25 dec. 1925 (*A. A. S.* XVII, 611 sq.) excludit annuam confessionem cum communione.

Praecepta semel in anno communio saltem in Paschate est recipienda; verum « praeceptum paschalis communionis adhuc urget, si quis illud praescripto tempore, quavis de causa, non impleverit » (c. 859 § 1 et 4). De eadem ergo agitur communione paschali

praecepta, etsi tempus neglegatur. Hoc anno communio paschalis simpliciter excluditur, anno superiore vero excludebatur cum hac exceptione, ut sero recepta valeret. Quod novum erat unaque mirum, quia videri potuit neglegentia praemio donari; cfr. quae de hac dispositione tradit R. P. VERMEERSCH ap. *Periodica* t. XIII p. (197). Quare facile intellegitur Bullam huius anni, suppressa ea exceptione, non iam annuae communioni sero receptae favisse, sed communionem paschalem absolute insufficientem declarasse. Iuxta c. 859, communio annua tum intra tum extra tempus paschale recepta exinde insufficiens habenda est. Hinc vix unus auctor sustinet hoc quoque anno annuam communionem ultra tempus debitum dilatam sufficere.

Viaticum pariter ac communio paschalis pro ceteris omnibus indulgentiis sufficit, atque adeo pro iubilaeo eam sufficere declaratum est. Ista peculiaris declaratio de Viatico quidem necessaria non fuit, cum hucusque nullibi statutum esset viaticum non sufficere. E contra communio paschalis expresse ac saepius excludebantur, quia pro iubilaeo plus exigitur quam ad alias indulgentias lucrandas; c. 932 vero, ut dictum est, communioni paschali non applicatur, quia pro reliquis indulgentiis omnibus sufficit. Qui haec non meminit, facile opinari potuit, communionem paschalem mere ob c. 932 excludi, et hinc deducere, viaticum pariter non sufficere. Et revera in hunc sensum S. *Poenit.* interrogata est, at die 28 martii 1900 respondit, viaticum pro iubiliaeo consequendo sufficere neque aliam communionem requiri (*Nuntius Romanus*, t. XIX p. 260). Quo responso omne dubium removetur. Viaticum igitur sufficit ad iubilaeum lucrandum neque oportet, ut Bulla id edicat.

Viaticum autem sufficere omnino conveniens est. Ecclesiae enim maxime cordi est, moribundos indulgentiis iuvare, quippe quorum aeterna salus in summo

discrimine versetur (BENED. XIV, Bulla « *Pia Mater* », 5 apr. 1747 ap. *Decr. auth. S. C. Indulg.* p. 471; c. 468). Graviter aegrotantes, cum viatico muniuntur, plerumque in gravi mortis periculo degunt, adeo ut multis vix ulla spes relinquatur denuo s. communionem recipiendi. Unde si altera communio in casu exigeretur, his aegrotis praestantissima indulgentia eriperetur, qua ceteroqui multo magis quam ceteri fideles indigent. Quare a priori haud verisimile est alteram communionem exigi; de facto autem eam non exigi iam probatum est. Longe aliter res se habet de communione paschali. Nihil enim in casu obstat communioni iteratae. Immo valde consentaneum videtur pro indulgentia sollemnissima anni sancti peculiarem requiri communionem (praeter annuam de praecepto), ut fideles excitentur paulo amplius facere, quam quod stricte debent.

2. — De repetito facultatum usu

Iuxta Bullam « *Servatoris* » (sectio de facult., n. 1) omnes confessarii « simul cumulateque, ad iuris praescriptum, et pluries pro eodem paenitente sive iis omnibus (facultatibus aliunde habitis) sive his, quae mox concessuri sumus, uti valide et licite possint ».

Unde colligimus confessarios peculiaribus facultatibus anni sancti, cum ne verbo quidem restrictio insinuetur, pluries uti posse pro eodem paenitente, licet hic indulgentiam iam semel consecutus sit et tunc aliquam dispensationem et absolutionem vi peculiarium facultatum impetravit. Cui sententiae, quam certam habemus, favet etiam R. P. CREUSEN ap. *Nouvelle Revue théol.* 1926, 143.

Et ratio est manifesta. C. « *Si unquam* » anno superiore statuit confessarios peculiaribus facultatibus « non posse uti denuo cum iis paenitentibus, qui in-

dulgentiam... iam semel lucrati sint ». Verum haec clausula a S. *Paenit.* 31 iulii 1924 monito 17 magis explicata, pluribus dubiis ansam dedit; vide sis v. g. ap. *Periodica* t. XIV p. 40. Quid mirum igitur, quod ista clausula penitus suppressa est hoc anno; attentis dubiis et difficultatibus anni superioris id non casu, sed consulto factum esse censendum est.

Sunt qui nihilominus opinentur, veterem clausulam adhuc vigere, seu hoc quoque anno paenitentem peculiaribus iubilaei facultatibus frui non iam posse, postquam indulgentiam semel lucratus est et tunc facultatum favores impetravit (*Periodica* t. XIV p. (147). Provocant plerumque ad declarationes constanter, vel anno superiore, in hunc sensum editas. Immerito tamen! Neminem enim fugit declarationes omnino pendere e tenore Bullae, quam explicant, eique conformes esse debere. Per se enim novum ius non constituunt, sed vi nominis sensum legis declarant seu interpretantur; unde ei contradicere non debent. Interdum legislator, motus subsequentibus interrogationibus vel difficultatibus, legem ope declarationum mutat, restringit vel extendit; eiusmodi declarationes autem novae leges sunt itemque promulgandae, ut valeant (c. 17 § 2), et legislator monere solet a lege recessum esse (cfr. *S. Paenit.* 31 iulii 1924 n. 15).

Age sis, Bulla « *Si unquam* » 15 iulii 1924 n. XV expresse pro anno superiore statuerat confessarios peculiaribus facultatibus « non posse uti *denuo* cum iis paenitentibus, qui indulgentiam... iam semel lucrati sint ». Cui clausulae declarationes subsequentes S. Sedis non poterant contradicere, si modo sensum reddere et explicare volebant, prout vi nominis debent. Hinc in casu se continebant in definienda voce « denuo » ita ut paenitens, licet semel lucratus indulgentiam, facultatibus adhuc frui posset, dummodo prius iis fructus non sit; tunc enim facultates non adhibebantur

« denuo » (vide sis *Periodica* t. XIV p. 40). Verum omnis haec restrictio suppressa est in vigenti Bulla « *Servatoris* »; quod post mota dubia et larga responsa S. Sedis facile intellegitur. Regulae interpretationis vero (c. 6, 3° ac 18 sq.) non sinunt declarationes anni superioris huic anno applicari, suppressa praecise illa clausula restrictiva, quam declarationes istae explicant et cuius ne vestigium quidem in vigenti Bulla « *Servatoris* » apparet, immo vel oppositum edicitur expressione tam generali « pluries pro eodem paenitente » (*Nouvelle Revue théol.* 1926, 143). Nova igitur Bulla, qua a veteri iure discrepat, ex sua ipsius sententia est diiudicanda (c. 6,3°); ideoque facultates in omni confessione ad lucrandum iubilaeum facta adhiberi possunt. Legislator quod voluit expressit, quod noluit tacuit!

Porro interpretatio iuxta c. 18 etiam ad mentem legislatoris respicere debet, quam favorabilem largamque in casu fuisse inter omnes constat. PIUS XI enim in consistorio secreto diei 14 dec. 1925 (A. A. S. XVII, 643 sq.), disserens de iubilaeo ad orbem extendendo, haec pronuntiavit: Iubilaeum « in annum prorogari volumus, nova profecto largitate, aliis etiam largitatibus augenda, ut censemus, quo efficacius temporibus respondeamus atque ut aliquid praemii pietati rependamus populorum, qui generose votis obsecuti sunt Nostris ». Quae verba promptam largamque produnt voluntatem Summi Ponteficis, plus quam antea concedendi. Si vel alias « odia restringi et favores convenit ampliari » (R. I. 13 in 6°), id vere oportet, cum legislator aperte profitetur suam largitatem. Quam inter alia probant diminutus numerus visitationum, clausula de non denuo utendis facultatibus suppressa per contrariam locutionem « pluries pro eodem paenitente... uti valide et licite possint ». Efficacia quoque facultatum (contra monitum 18 *S. Paenit.* 31 iul. 1924)

ampliatur ita: « Qualicumque autem paenitens, cum confessionem iubilaei sincera lucrandae indulgentiae intentione instituit, absolutione, dispensatione, commutatione donatus erit, si postea mutata voluntate, a complendis reliquis praescriptis operibus destiterit, eadem non idcirco irritata erit » (Bulla « *Servatoris* », sectio de facult. n. 1).

Haec omnia luculenter probant novas dispositiones a veteri iure discrepare, hinc immerito et contra c. 6,3° ex iure antiquo aestimari, praesertim cum intentio legislatoris nimis manifesta sit, quippe qui « nova profecto largitate, aliis etiam largitatibus augenda » praesentem annum sanctum adornare voluerit. Quivis ergo confessarius peculiares facultates iubilaei adhibere potest in omni confessione ad lucrandum iubilaeum instituta, licet paenitens indulgentiam iam semel lucratus facultatibusque fructus sit.

Opponit R. D. KIEFER (*Klerusblatt*, Eischstätt 1926 p. 171) cum R. D. I. ROSSI, quod « facilitas... absolutionis ansam praeberet recidivis in censuras relabendi ». Haec ratio sane arbitraria, quae tamen citatis auctoribus « evidentissima » apparet, si quid probaret, valeret a fortiori contra repetitum facultatum usum, ab omnibus admissum, antequam indulgentia semel acquisita est. Nam paenitens, qui (ut hi auctores supponere videntur) spe veniae facilius impetrandae moveretur, tunc potius arceretur ab indulgentia tempestive lucranda multumque procrastinaret saltem ultimum opus, ne favores facultatum sibi praecluderet. Sacramenta autem aliaque opera ad indulgentiam lucrandam praestanda non possunt non efficere, ut paenitens emendetur peccataque eius saltem rariora fiant. Hinc sententia, iuxta quam facultates, etiam post indulgentiam semel acquisitam, pluries adhibere licet, ad iubilaei finem potius conducit prodestque fidelibus, nulla scilicet ratione quemquam arcendo a iubilaeo

tempestive consequendo. Opposita autem sententia, quae fideles fragiles ad procrastinandam indulgentiae acquisitionem inducere possit, etiam ex hac ratione aliena a mente Ecclesiae apparet.

3. — De abiuratione haereticis et sectariis imposita

1. « Haeretici, praesertim si fuerint publice dogmatizantes, ne absolvantur, nisi, abiurata saltem coram ipso confessario haeresi, scandalum ut par est reparaverint » (Bulla « *Servatoris* », sectio de facult., n. V).

Similis clausula occurrit in facultate I Pagellae S. Paenit. et ita a R. P. TARANI (*Manuale theorico-practicum pro minoribus Paenitentiariis Apostolicis*, Romae 1906, n. 282, 2) explicatur: « Haec autem abiuratio est secreto facienda in tribunali paenitentiae coram absolvente, expleta sacramentali confessione, sed ante absolutionem. Ipsa tria continere debet, nempe: *a*) sinceram detestationem haeresis, quam paenitens professus est; *b*) explicitam professionem catholicae veritatis; et *c*) promissionem iuramento firmatam in fide permanendi et nunquam in haeresim reincidendi ». Formula determinata opus non est; sufficit igitur quaelibet professio fidei, addita iurisiurandi formula; iuramentum autem omnino est exigendum (*Collect. Prop. Fid.*, ed. 2, n. 287 ad 2-4).

Quod si agatur de paenitente, qui palam haeresim professus est, abiuratio extra confessionale scripturaeque subsignatio exigatur, adhibitis quoque testibus, si confessario videatur. Quod haud obscure innuitur his facultatis verbis: « abiurata saltem coram ipso confessario haeresi »; si igitur res postulaverit, forma magis publica adhibenda est.

Haec autem abiuratio absolutioni praemittenda est.

R. D. KIEFER (ibid.) sinceram promissionem suf-

ficere contendit, provocans tum ad plurium auctorum placita in re tamen longe alia, ut videre est v. g. apud BUCCERONI, *Inst. Theol. Moral.*, II n. 1103, tum ad responsum S. *Officii* diei 17 maii 1916 circa moribundos schismaticos bonae fidei; quo iure ista huc transferre velit, nos fugit.

2. « Similiter quicumque sectis massonicis aliisque id genus vetitis notorie adscripti sint, ne absolvantur, nisi praemissa coram confessario abiuratione aliisque servatis de iure servandis, a secta recesserint et scandalum, quantum licuerit, removerint » (Bulla « *Servatoris* », sectio de facult., n. V).

Haec quoque facultas in Pagella *S. Paenit.* sub n. 3 habetur itaque a *S. Officio* explicatur (*Coll.* cit., n. 2014): « Confessarii absolvere possunt eos, qui sectis vetitis nomen dederunt, sive notorii sint, sive non, dummodo a respectiva secta omnino se separent eamque saltem coram confessario eiurent seu detestentur, reparato scandalo eo meliore modo, quo fieri potest, et aliis iniunctis de iure iniungendis ». Notat R. P. TARANI (1. c., n. 190, 1 b): « Sectam abiurare est idem ac ei valedicere illamque sincere detestari una cum omnibus erroribus suis. Non est tamen necessarium, ut haec abiuratio seu detestatio sit semper notoria et scripto documento consignata; sufficit, si fiat oretenus coram ipso confessario, antequam impertiatur absolutio ». Verum forma magis publica iuxta prudens confessarii iudicium adhiberi potest, si casus ferat, ut sub 1 in consimili causa est dictum. Sed formale iuramentum ab asseclis sectarum vetitarum non exigi patet e declaratione *S. Officii,* quam modo e Collect. cit. (n. 2014) exscripsimus.

Fr. X. HECHT P. S. M.,
Limburgi in Germania.

Quaesitum de momento quo sanatio operetur

Status Quaestionis. — In potestate Ecclesiae est sanandi in radice quaedam actuum vitia. Quo casu, etsi non ante concessam gratiam actus valere incipiat, effectus tamen qui sic computari possit computabitur a momento quo actus naturaliter valere potuisset. Ita v. g. legitimi censentur filii nati ante sanationem in radice matrimonii quod consensu naturaliter efficaci celebratum est.

Sanantur autem matrimonia, professiones religiosae, cooptationes in confraternitates, atque etiam indulgentiae, quando condicio quaedam posita a concedente non fuit rite impleta.

Supponamus v. g. errorem commissum ab Episcopo in designatione ecclesiarum quae ad consequendum iubilaeum visitari debent; ut, si non designaverit quattuor ecclesias in loco ubi plures sunt ecclesiae. S. Paenitentiaria, concedendo sanationes in radice, efficere poterit ut fideles qui bona fide se accommodarunt ad statutum episcopale iubilaeum nihilominus lucrentur.

Quaestio. — Verum sanatio huiusmodi locum dat huic quaestioni. Ut indulgentia acquiratur, necesse est ut fidelis sit in statu gratiae saltem cum ultimum opus peragitur. Quid igitur, si Titius fuerit in statu gratiae cum putaverat se ultimum opus perficere, non fuerit autem cum sanatio in radice concessa est?

Solutio. — Profecto status peccati consecutionem indulgentiae tunc impediet. Sed an semper, ita ut omni spe lucrandi iubilaeum Citius destituatur?

Id non putamus. Sed dicendum est, sanatione defectus titulum constitutum esse qui, fere instar tituli quem valida susceptio sacramenti ponit in anima, efficaciam suam exercebit statim ac nihil oberit. Re-

cuperato autem statu gratiae, obex removebitur atque indulgentia acquiretur.

Quaesitum de iurisdictione in mari

Status Quaestionis. — Codex, anteriora decreta S. Officii confirmans, facultatem facit, durante itinere, excipiendi omnium confessiones, sacerdotibus qui vel ab Ordinario proprio vel ab Ordinario portus unde navis solvit vel ad quem transeundo appellit approbati sint ad confessiones. De qua iurisdictione haec tria quaeruntur.

Prima Quaestio. — 1. *Qua ratione debent esse approbati?* Requirirturne approbatio simpliciter generalis pro utroque sexu, an sufficit approbatio pro alterutro sexu, quam *secundum quid* generalem vocare possumus. Quid autem si restricta sit ad unum monasterium? Puta confessarium monialium qui nullam aliam consecutus sit approbationem. Sufficitne approbatio cuius dies ante vel in itinere advenerit, an requiritur actu permanens?

Resp. Proprie particularem seu ad paucas personas restrictam approbationem sufficere negandum est. Huiusmodi enim sacerdos dici nequit approbatus. Opus est ut talem habeat iurisdictionem quae vocari possit habitualis.

Habitualem autem iurisdictionem possidet qui approbatus est pro viris indiscriminatim; habitualiter approbatus dici etiam potest confessarius monasterii. Quare qui ad solos viros audiendos a proprio Ordinario approbatus est, atque etiam probabiliter confessarius unius monasterii maritimam iurisdictionem possidet qualem Codex eam describit. Verum omnino necesse est ut non sit elapsum tempus ad quod iurisdictio concessa est. Canones enim tribuunt iurisdictionem ei qui approbatus *est*, non ei qui approbatus *fuit*.

Altera Quaestio. — 2. *A quonam Ordinario approbatio proficisci debet*, a solo Ordinario loci an etiam, pro religioso exempto, a Superiore maiore, qui, vi Codicis, inter Ordinarios recensetur?

In *Epitome* II, rationes dedimus cur existimemus approbationem Ordinarii *loci* esse necessariam. Attamen diversa sententia a nonnullis propugnatur, ac novimus eam minime reprobari a S. Paenitentiaria. Quare probabilem et practice certam habet iurisdictionem in maritimo itinere religiosus exemptus qui a solo suo Superiore maiore approbatus sit.

Tertia Quaestio. — 3. *E quonam fonte hauritur haec iurisdictio?*

Resp. Iurisdictio ipsa lege communi seu ipso Codice tribuitur. Approbatio Ordinarii non confert iurisdictionem maritimam, sed est condicio, qua posita, ius commune habilem efficit ad audiendas confessiones.

Quocirca non est iam fingenda navis territorium commune omnium Ordinariorum loci unde profiscitur vel per quorum portus transit, sed in alto mari non est Ordinarius nisi Summus Pontifex. Quare a) nullus Ordinarius praeter Romanum Pontificem, nominandus est in canone; b) Ipsi Ordinarii locorum non possunt excipere confessiones nisi vi iurisdictionis quam ius commune confert approbatis sacerdotibus; c) Ordinarius sacerdotis eum approbare vel non approbare potest, sed non possit in mari iurisdictionem circumscribere certis finibus. Impleta approbationis condicione, sacerdos iurisdictionem habet, qualem Codex tribuit in itinere maritimo.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

De permanente vi C. *Romanos Pontifices*, 8 maii 1881, post c. 1382.

Quaestionis opportunitas. — Post promulgatam C. *Romanos Pontifices* (1), 8 maii 1881, qua LEO XIII, s. m., suprema sua potestate usus, varios conflictus subortos inter Angliae Episcopos et Regulares definitive componere voluit, nemo dubitavit de plena exemptione scholarum et collegiorum, in quibus, ad tramites suarum Constitutionum, regulares instituendae iuventuti operam dant. Quae plena exemptio afficit etiam religiosam et moralem institutionem.

Paragraphus quidem 20ª dictae Constitutionis, quae exemptionem istam firmavit, minus tamen exemptionem istam concedebat quam eam exsistentem agnoscebat et confirmabat. Sic enim effertur:

« Alia profecto est causa ceterarum scholarum et collegiorum, in quibus religiosi viri secundum Ordinis sui praescripta iuventuti catholicae instituendae operam dare solent; in hisce enim et ratio postulat, et Nos volumus firma atque integra privilegia manere quae illis ab Apostolica Sede collata sunt, prout aperte est declaratum anno 1874 a sacro Consilio christiano nomini propagando, cum acta expenderentur Concilii Provincialis Westmonasteriensis IV ».

(1) Cf. nostrum *De religiosis Institutis* etc. II, p. 560 ss.

Itaque, nisi privilegia ista aliunde demonstrentur exsistere, de ipsa efficacia istius dispositionis dubitari potuit.

Ac re vera dubitatum est, quando authentica declaratio *S. C. de Propaganda Fide* omnem dubitationem sustulit. Lata quidem est in causa Societatis Iesu, et ad ordinandas relationes inter Praefectum seu Vicarium Apostolicum et Superiorem regularem, postquam, 23 febr. 1880, in missiones commissas Societati Iesu, introductum est novum regimen, quo omnis potestas regularis, ut talis, addicebatur Superiori regulari, distincto a Praefecto vel Vicario Apostolico. Sed omnimoda paritas causae efficit ut declaratio ista valere dicenda sit de omnibus Institutis quae in simili condicione versantur.

Quaerebatur autem cuiusnam foret iurisdictio in collegia et convictus in missionibus: utrum Superioris regularis an Vicarii Apostolici. (« Se la giurisdizione sui collegi o convitti nelle loro missioni spetti al Superiore regolare o al Vicario Apostolico ».)

Responsum autem est, in Congregatione Generali *S. C. de Prop. Fide,* 18 ian. 1886 ad 4: « Quoad collegia et collegiorum scholas atque convictus, in quibus religiosi viri secundum Ordinis sui praescripta iuventuti instituendae operam dare solent, et recta ratio postulat et S. S. vult firma atque integra privilegia Regularibus concessa manere, adeoque tum regimen eorum Institutorum, tum personarum in iis destinatio ad Superiores regulares spectat, iuxta Societatis constitutiones, et, quatenus opus sit, verbo facto cum Sanctissimo. » (SS.mus annuit.) *Collect.,* 1651.

Itaque, in ista responsione iterum affirmatur perseverantia privilegiorum concessorum atque inde, tamquam corollarium, plena exemptio a Vicario Apostolico. Ac, *facto verbo cum Sanctissimo,* omnis occasio obiciendi amputatur.

Haec est enim vis istius clausulae, ut sanet, quatenus opus sit, omnia vitia formae vel argumenti. Quare, etiam si privilegia directe demonstrari non possent, firma tamen et inconcussa manerent corollarium et principium ibi enuntiatum: privilegia habenda sunt ut exsistentia, et scholae atque Instituta sunt penitus visitationi Ordinarii loci subtracta.

Namque in § 20 C. *Romanos Pontifices* agebatur de visitatione subeunda vel non Ordinariorum locorum, ut constat e § 19 fine, ubi ius visitandi scholas pauperum in paroeciis etiam regularibus Episcopis addicitur.

Nunc autem, verbis satis absolutis, canon 1382 pronuntiat: « Ordinarii locorum sive ipsi per se sive per alios possunt quoque scholas quaslibet, oratoria, recreatoria, patronatus, etc. in iis quae religiosam et moralem institutionem spectant, visitare; a qua visitatione quorumlibet religiosorum scholae exemptae non sunt, nisi agatur de scholis internis pro professis religionis exemptae ».

Inde iam quaeritur, utrum necne vis § 20 C. *Romanos Pontifices* in posterum sublata sit canone 1382 § 2.

II. **Causae disceptatio** — 1. *Principia memoranda.* *a*) **Canon 1382 § 2 non revocat contraria privilegia.** Abest enim clausula « revocato quolibet privilegio, » qua Codex uti solet cum vult privilegiis derogare.

Nec dicas, revocantur quia Codex totam istam materiam de integro ordinet.

Etenim, vi c. 22, lex posterior obrogat priori si totam de integro ordinet legis prioris materiam; sed quod affirmat de *lege* nullatenus dicit de *privilegiis*.

Quare, iure ac merito P. BLAT. O. P. commentando can. 1382, scribit: « Scholae quatenus ab eis (religiosis) habitae vel moderatae sint, *exemptae non sunt,* idest tamquam in casibus iure expressis (c. 615) qui non comprehenduntur sub generali

exemptione ab Ordinarii loci iurisdictione, nisi: *a)* a Sede Apostolica directe religioni alicui concessum fuerit (c. 613 § 1) contrarium privilegium, nam, ex citato canone, vigens « integrum manet, eo quod praesenti canone non revocatur expresse » (can. 4); aut *b)* agatur de scholis internis, etc.

P. PRÜMMER, O. P. *Manuale*, Q. 412 idem habet: « Ab hac autem visitatione eximuntur solae scholae internae. Pariter eae quae habent speciale privilegium »; et P. FANFANI, O. P. *De iure religiosorum*, n. 444: « A qua visitatione quorumlibet religiosorum scholae exemptae non sunt... » « quorumlibet religiosorum » : non tamen adiungitur *non obstante quocumque privilegio*. Si qua igitur religio particulare habuerit, quoad hanc materiam, privilegium *directe* sibimet concessum, privilegium adhuc perseverat (canon 613 § 1).

(Tam apud R. P. BLAT, quam apud R. P. FANFANI, vox *directe* apposita est ad excludendam communicationem, quatenus canone 613 § 1 suppressa sit.)

Alios scriptores silentes observavimus sed nullum reperimus qui contradicat.

2. **Vi c. 63 § 1, privilegia acquiri possunt** non solum per directam concessionem competentis auctoritatis et per communicationem, sed etiam **per legitimam consuetudinem aut praescriptionem ».**

Ab ista praescriptione, exemptio ab omni visitatione, non autem exemptio a sola visitatione Episcopi excipi potest, vi c. 1509, 7°, qui mere declarat praescriptioni obnoxium non esse « Ius visitationis et oboedientiae, ita ut subditi *a nullo Praelato visitari possint* et nulli Praelato iam subsint ».

Sed ex n. 2° eiusdem c. 1509, praescriptioni obnoxia non sunt: « 2° Quae obtineri possunt ex solo privilegio Apostolico ». Tale autem esse videtur privilegium quod canon 1382 sinit esse integrum.

Verum, vi c. 63 § 2, « Possessio centenaria vel immemorabilis inducit praesumptionem concessi privilegii ».

His positis, sic **ratiocinandum videtur.** Quod ad collegia sua, religiones clericales exemptae non

paucae, numquam a pluribus saeculis visitatae sunt ab Ordinariis locorum, etiam quod spectat ad institutionem moralem et religiosam. Atque exemptionem istam tamquam sibi debitam, ab immemorabili vindicant. Quare nulla nota desideratur sive consuetudinis, sive praescriptionis centenariae aut immemorabilis. Quod adeo verum est ut ipse S. Pontifex, sollemni Constitutione privilegium istius exemptionis supposuerit et confirmarit quatenus istud sartum et firmum esse voluerit, remota omni quaestione de ipsa acquisitione (Cf. interpretationem anni 1886). Inde, prono alveo fluit:

III. **Conclusio. — Ista religiosorum exemptio manet in statu quo erat ante Codicem.** Quae conclusio confirmatur ipsa natura novi Codicis, qui plerumque disciplinam antea vigentem retinet; iubet ut in dubio a iure antiquo non recedatur (c. 6); ac pacifice acquisitum statum non censetur velle turbare. Confirmatur etiam aliquo modo, eo quod in ipsa nota c. 1382 § 2, allegetur inter fontes C. *Romanos Pontifices*.

Quaestiones de Religiosis.

I. De Consiliariis Superiorum.

Dubium. — Ex ipso Codice satis constat, Consiliarios Superiorum ab ipsis interdum convocari debere, ita ut, in quibusdam negotiis, Superior nihil possit sine suffragatione sui Consilii. Sed, cum convocantur, estne penes solum Superiorem ius definiendi res trac-

tandas, an possunt etiam Consiliarii, invito Superiore, alias res deliberandas afferre.

Resp. — Solutio istius quaestionis, quae generalior esse possit de omni collegio, capitulo, consilio, ab hac altera pendet: Estne Praeses, Caput, vel Superior subordinatus collegio, an potius loco eminentiore positus. Si enim collegium habet supremam potestatem, potest, seclusa peculiari dispositione auctoritatis extraneae et potioris, *agere negotia quae a Praeside nec proposita nec admissa sunt.*

Quare, Codex canonicus c. 288, accurate distinguens inter Concilium *plenarium*, cui praeest Legatus S. Pontificis, et *provinciale*, cui praeest Metropolitanus, de solo Provinciali statuit ordinem deliberationum esse determinandum a praeside, habito Patrum *consensu*. Sic usus habet ut generalia capitula Ordinum seu religionum recentiorum, ad negotia proposita alia addere possint. Capitula enim ista supremam potestatem habent.

Contra, si non est supra Praesidem, de *istis solis rebus deliberare potest* collegium *quae* eius examini *propositae sint.*

Hoc sancit c. 226 de *Concilio oecumenico :* « Propositis a R. Pontifice quaestionibus Patres possunt alias addere, a Concilii tamen praeside antea probatas ».

Non aliter, quando Episcopus ut talis *capitulo Cathedralis ecclesiae* assistit, tunc ipse negotia proponit, vota exquirit et iuxta ea concludit. (Cf. De HERDT, *Praxis capitularis,* p. 430, IV.)

Id de *capitulo abbatiali* habet MOLITOR, *Religiosi iuris capita selecta* n. 484: « 1° Capitulum monachorum ex se nullam actionem inchoare nec materiam deliberationum determinare potest »; Abbas enim est maior (ibidem n. 481).

Iam vero, Consilium non est supra Provincialem cui assistit; — Consultorum munus, e c. 516 § 1, in hoc est ut respondeant Superioribus qui secundum Consti-

tutiones et sacros canones eorum consensum aut consilium exquirunt.

Igitur *quaenam et quo ordine deliberanda sint solus Superior definit.*

Addas nusquam in Codice apparere quo pacto procedendum foret, si Consiliarii vellent materiam quandam Superiori invito obtrudere tractandam. Quis colligeret vota, quis pronuntiaret decisionem? Neque sermo fit de huiusmodi casu ubi agitur de suffragiis sive consultivis sive deliberativis. Casus non praevidetur, quia casus esse non potest.

II. **De facultate facta Superioribus permittendi, ex iusta causa, ut renovatio votorum temporariorum per aliquod tempus, non tamen ultra mensem anticipetur** » (Cf. c. 577 § 2).

De significatione et usu istius facultatis non leviter est dubitatum, et etiam interdum erratum. Etiam recens postulandae fuere a S. Congregatione sanationes perpetuarum professionum quae factae erant contra praescriptum c. 574, ac proin nullitate laborabant.

Operae igitur pretium est genuinam istius facultatis vim perpendere. Attendendum autem est istud principale: facultas c. 577 § 2 nullatenus derogat canoni 574 § 1, qui exigit ante vota perpetua, post noviciatum, professionem saltem ad triennium valituram. Atque hoc tempus trium annorum tamquam tempus minimum ad valorem requiritur vi c. 572 § 2.

Itaque anticipatio permissa c. 577 § 2 ita intellegenda est ut nihil detrahat de isto tempore minimo.

Inde, supponamus professiones annuas per triennium faciendas. Prima professio facta est die prima ianuarii. Ob iustam causam Superior permittit ut annua professio anticipetur a festo Nativitatis Domini.

Quandonam adveniet dies istius renovatae profes-

sionis? Die 25 decembris? Si rem ita intellexeris, cum altera renovatio annua sit tunc facienda in festo Nativitatis Domini, in fine temporis istius tertiae professionis annuae desiderabuntur quinque dies ut triennium sit completum. Quid iuris tunc? Ne derogetur c. 574 § 1, debebit Superior imperare quartam renovationem ad quinque dies valituram.

Nonne igitur satius erit et magis menti Codicis consentaneum, ut annus novus per quem renovatio anticipata religiosum ligabit, currere incipiat a prima ianuarii? Tunc, etsi renovatio facta sit die 25 decembris, religiosus annua sua professione tenebitur usque ad 1 ianuarii.

Dixeris, nonne possit, ad omnem ambiguitatem tollendam, renovatio votorum fieri, in casu proposito ad annum et ad quinque dies?

Hoc quidem fieri per se possit; sed in Instituto cuius vota sunt annua, non videtur esse in potestate Superioris ut spatium istud amplificet.

Liquet autem, sicut etiam observat P. FANFANI, *De iure religiosorum*, n. 246, solam renovationem *votorum temporariorum*, minime autem professionem perpetuam sic anticipari posse.

III. De Clausura Sororum.

Haec de clausura servanda leguntur in Constitutionibus, a S. Sede approbatis, cuiusdam Congregationis Sororum:

« 1. Cum Sorores nostrae clausuram episcopalem strictam observent, licentia exeundi ab Episcopo solo dari potest, et minime a Superiorissa.

« 2. Pro casibus communiter contingentibus, v. g... Superiorissa ab Episcopo petat facultatem habitualem dandi licentiam exeundi;

« 3. Pro ceteris omnibus casibus licentia petenda est singulis vicibus ab Episcopo ».

Hinc **quaeritur**: Utrum necne his Constitutionum verbis a Superioribus propriis ad Episcopum transferatur facultas Codice praesupposita canone 606 § 2, quo indirecte permittitur Superioribus religiosis concedere ut propter gravem et iustam causam subditi extra domum propriae religionis degant?

Et si ita Constitutiones intellegendae sint, utrum post Codicem vigere pergant, an potius sint praefata dispositione suppressae?

Respondemus has Constitutionum sanctiones Codici minime adversari, ac proin non minus quam ante Codicem esse observandas.

Nullus enim canon legitur qui diceret: In Institutis votorum simplicium ius est Superioribus permittendi egressum propter iustas causas; sed contra, in ipso c. 606 § 1, explicite monentur Superiores religiosi ut accurate observentur quae sive circa egressum subditorum e claustris sive circa excipiendos vel adeundos extraneos in propriis Constitutionibus praescripta sunt.

Quibus verbis satis insinuatur egressum subditorum varia ratione ordinari posse. In § autem 2 cautelis munitur facultas Superiorum, si qua in Constitutionibus ipsis detur.

Praeterea, e c. 604 § 3, clausura Congregationum religiosarum ponitur sub cura et vigilantia Episcoporum, et potius hoc sensu iam clausura dicenda est Episcopalis quam hac altera ratione, quod sit vigens vi legis dioecesanae. Cum enim nunc ipso Codice sanciatur, omnis clausura dici possit Papalis.

Dispositio igitur Constitutionum praefatarum et litterae et menti Codicis est consentanea.

Ceterum non desunt Instituta Sororum quae rigore clausurae ipsas Moniales imitantur.

De Sacris ritibus, Quaesita liturgica

I. De Festi Christi Regis dignitate.

Quaestionis occasio. — Supra, p. (32) istius ephemeridis, n. 2 scripsimus festum Christi Regis, cum sit primarium, praevalere tam in occurrentia quam in concurrentia omnibus aliis festis, etiam Dedicationis et Tituli Ecclesiae propriae et Patroni principalis loci.

Quaestio. — Nunc autem, cum hoc anno festum istud, in secundis vesperis concurreret cum festo *Omnium Sanctorum*, quaesitum est: *quomodo ordinandae essent vesperae in illa concurrentia.*

Responsio. — Festum D. N. I. C. est festum primarium Domini 1. classis universalis Ecclesiae, quod proinde cuilibet festo *particulari* praefertur tam in occurrentia quam in concurrentia. Immo, ne commemorationem quidem in Laudibus et Missis privatis admittit occurrentis duplicis maioris, vel minoris aut semiduplicis.

Sed Festum *Omnium Sanctorum* est et ipsum festum primarium universalis Ecclesiae. Re vera non est Festum Domini, sed celebratur cum octava. Porro character maioris sollemnitatis secundo loco considerandus est, cum dignitas personalis non veniat nisi quarto loco. Igitur *festum Omnium Sanctorum praevalet*, et vesperae dicendae sunt, in proposito casu, de hoc festo, cum commemoratione praecedentis et Dominicae.

IOS. PAUWELS, S. I.

II. De tribus Missis in die natali Domini.

Quaestio. — In Missalis editionibus tam antiquis quam recentioribus, in fine primae Missae in Nativi-

tate Domini, haec rubrica legitur: « Debet sacerdos etiam ante sequentes missas Confessionem dicere, et in fine cuiuslibet populo benedicere... » Inde **quaeritur** *utrum nihilo minus in secunda et tertia Missa repetendum sit « Introibo ad altare Dei »* cum psalmo *« Deus in adiutorium... »* an, fere sicut in Missis defunctorum, sacerdos possit, omisso psalmo, statim incipere a *Confiteor*, etc.

Resp. — Rubrica ista, dum affirmat necessitatem repetendi confessionem, non negat alia etiam dicenda esse. Quae autem dicenda sint, seu qua ratione tres Missae legendae vel cantandae sint, docemur universali usu, quo demonstratur *obligatio omnia repetendi quae ante introitum ad pedem altaris recitari consueverunt.*

Ceterum, circa ipsam intentionem et significationem rubricae, interrogans decipi videtur. Rubrica nullatenus intendit ordinem Missae describere. Sed cum ambigi potuerit et fortasse dubitatum sit num sacerdos confessionem generalem iam factam iterum et tertium facere deberet, et num ter populo benedicendum esset, rubrica imperat repetitionem confessionis initio Missae et Benedictionis in fine Missae. Sic enim tota effertur « Debet Sacerdos etiam ante sequentes missas confessionem dicere et in fine cuiuslibet populo benedicere ».

N. B. 1. Rubrica ista invenitur iam in Missali S. Pii V.

2. Antea, quod testantur monumenta saec. XI. - XIII, antiphona *Introibo,* cum Psalmo *Iudica* recitabatur ab egressu e sacristia, ita ut sacerdos ad altare ingressus re vera initium faceret a Confessione. Cf. *Ordines Missae* saeculi XII et saec. XIII inc. relatos sub n. I. XXVI et XXXI, in EBNER, *Quellen und Forschungen zur Geschichte und Kunstgeschichte des Missale Romanum in Mittelalter.*

3. Hodie, vulgari sermone Italico, nomine *Confessionis*, per quandam synecdochen, quandoque omnia designantur quae ad pedem altaris dicuntur.

III. De Tonsura clericali et monachali.

Quaestionis occasio. — Teste MOLITOR, *Religiosi iuris selecta capita*, antiqua consuetudine, tonsura monastica simul pro clericali habebatur, ita ut facta inter monachos chori professione, numquam alia clericalis tonsura professo postea daretur.

Consuetudo ista etiamnum in quibusdam monachorum ordinibus servatur, v. g. apud Cistercienses istos qui vulgo vocantur Trappenses.

Codex autem canonicus, c. 625 et 964, agnoscit abbatibus qui praesunt abbatiae privilegium conferendi primam tonsuram et ordines minores, dummodo fuerint rite benedicti. Quod, novo vigente iure, ita intellectum est, ut abbates qui, ex privilegio, censebantur benedicti ipsa legitima possessione sui monasterii, securitatis causa formalem benedictionem receperint, ut sine ulla dubitatione valide facerent ordinationes. (Cf. *Epitome*, ed. 2, I, n. 726.)

Praeterea, c. 976 § 1 statuit: « Nemo, sive saecularis sive religiosus ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum ».

Et constat etiam collationem primae tonsurae effectum *perpetuum* habere, ita ut qui, recepta prima tonsura, reductus fuerit ad statum laicalem, si dein iterum inter clericos admittatur, nec debeat nec possit iterum tonsurari.

Inde **quaeritur**: 1. Potestne iam tonsura monastica *conferri futuris sacerdotibus*, ante professionem monachalem, secundum morem receptum, an exspectanda sunt studia theologica?

2. Possuntne *abbates* qui, e privilegio, censentur

benedicti sine formali benedictione recepta, tuto tonsuram monasticam conferre?

3. Habetne tonsura monastica *effectum perpetuum*, ita ut monachus tonsuratus, qui valedixerit monasterio, et dein, in seminario saeculari, ad sacros ordines se disposuerit, non debeat tonsuram ante ordines minores recipere?

Responsio. — I. Pauca quaedam *praemittenda* videntur de ipsa tonsura monachali et clericali.

Nullam Apostolicam originem tribuemus tonsurae monachali, quamvis id putaverit S. ISIDORUS (1) et etiam legatur apud ASC. TAMBURINI, *De iure abbatum*, T. I, d. 27, q. 2.; neque eius auctorem celebrabimus S. Petrum, qui in memoriam Dominicae Passionis, in coronam attonsus esse coepisset.

Sed ab antiquo tempore, paenitentes iubebantur caput tondere; quod spiritu humilitatis Monachi imitati sunt. Completa porro abrasio capitis vocata est tonsura S. Pauli; dum S. Petri nomen obtinuit tonsura quae parvam coronam capillorum linquebat.

A monachis autem usus tonsurae transiit ad clericos, qui deinde, magis parce, coeperunt contenti esse tonso supremo vertice in modum parvi circuli. Quae forma, prohibita Conc. Toletano IV (633) can. 41, passim hodie a clericis saecularibus adhibetur.

Varia etiam symbolica explicatio tonsurae data est. Sed cum, in tonsura S. Petri, attentio ferri potuerit in abrasionem aut in servatos capillos, mox in ea distinguere coeperunt tonsuram stricte dictam, quae paenitentiam, humilitatem et contemptum mundi significabat, et coronam ceu signum regiae dignitatis, vel etiam divini regni per ipsam renuntiationem obtenti.

« Hi sunt reges, dicitur in c. Duo sunt, 7, C. XII q. 1, idest se et alios in virtutibus regentes: et ita in Deo regnum

(1) *De officiis ecclesiasticis*, L. 2, c. 4. P. L. 83, 779. 780.

habent. Et hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Romanae Ecclesiae in signum Regni quod in Christo exspectatur. Rasio vero capitis est temporalium omnium depositio ».

Quamvis autem exteriore figura variarent tonsura clericorum et tonsura monachorum, eodem tamen sensu spirituali adhibebantur, ut adhuc demonstrat ipsa forma in collatione tonsurae: « Dominus pars hereditatis meae et calicis mei; tu es qui restitues hereditatem meam mihi ».

Quocirca superfluum videbatur ut monachi qui in professione sua tondebantur, deberent praeterea, ante ordinationes, propriam clericorum saecularium tonsuram accipere. Inde usus antiquus, supra memoratus, et qui locum dat quaestionibus supra allegatis apud monachos ubi adhuc servatur.

II. Iam ad **responsa** deveniamus.

Ad 1. Certum est a mente legis Ecclesiasticae alienum esse ut mores monachorum turbaret, et prohiberet eos momento professionis recipienda tonsura quae simul ipsis est signum professionis religiosae suae. Quocirca incunctanter pronuntiamus, c. 976 § 1 in ipsos minime cadere, ita ut nullatenus debeant exspectare initium studiorum theologiae.

Ad 2. Debentne abbates *formaliter benedici* ut tonsuram monachalem tuto conferant, etiam si vi privilegii censentur iam benedicti?

Quia, ut videtur, tonsura monastica non censetur esse tonsura clericalis, sed dispensare monachum ab ea recipienda, normae Codicis eam non afficiunt, ita ut de canone 964 non debeant, sub hoc respectu, esse solliciti. (Solliciti esse debebunt pro collatione ordinum minorum.)

Ad 3. Simili utemur ratione. Quia tonsura monachalis non est vere clericalis, iuridicos effectus istius tonsurae non gignit; et monachus qui valedixerit

monasterio, debet clericali tonsura donari ut cooptetur inter clericos.

N. B. MOLITOR, l. c. n. 222, p. 303, probabile habet id quod suspicatur THOMASSINUS, monachatum per longum tempus loco ordinum minorum computatum fuisse, ita ut monachi statim ordine maiore initiarentur.

De condicionate iterata consecratione minorum hostiarum, in missa in qua dubie consecratae sunt.

Occasio iterum tractandi hanc quaestionem. — Quae supra in primo fasciculo tomi XV, p. (13) ss. exscripta sunt e lucubratione R. P. DE ARQUER, grávem quendam theologum moverunt ut privatis litteris sententiae ibi propugnatae obiceret ea quae in primis Missalis paginis leguntur de corrigendis defectibus missae, in c. X, n. 13.

Responsum nostrum valde breve esse possit, praesertim cum in his *Periodicis,* XIII, (61), ss. argumentum ex professo tractaverimus, et obiectas difficultates removerimus ibidem, XIV, (74) ss. Quia tamen simul copiam habemus plura dicendi de ipsis normis secundum quas corrigendi sunt defectus qui in Missae celebratione occurrere possunt, operae pretium esse videtur ut dubium istud propius examinemus.

Hic autem erit noster **ordo dicendi.** Primo non eum tantum locum qui ab adversario allegabatur, sed etiam alios qui difficultatem facere possunt referemus. Dein difficultatem plene solvere conabimur, Demum conclusionem nostram confirmabimus auctoritate, praecipue professoris theologiae qui responsum in hac ephemeride utendum nobis scribere humanissime voluit.

I. Praeponuntur textus Missalis.

De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus.

III, 5. « Si id (hostiam esse corruptam aut non esse triticeam celebrans) adverterit post Consecrationem, etiam post illius Hostiae sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut supra, et a Consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis, *Qui pridie quam pateretur,* et illam priorem, si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis et Sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserit, nihilo minus sumat eam quam consecravit: quia praeceptum de perfectione sacramenti maioris est ponderis quam quod a ieiunis sumatur ».

6. « Quod si hoc contingat post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus novus panis et vinum cum aqua, et facta prius oblatione ut supra, sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie,* ac statim sumat utrumque et prosequatur Missam; ne Sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo ».

III, 7. « Si hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, et nequeat reperiri; tunc altera consecretur, ab eo loco incipiendo *Qui pridie quam pateretur,* facta eius prius oblatione ut supra. »

IV, 4. « Si post verba Consecrationis advertat vinum non fuisse positum sed aquam: deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice et consecret, resumendo a verbis praedictis, *Simili modo* ».

5. « Si hoc advertat post sumptionem Corporis vel huiusmodi aquae, apponat aliam Hostiam iterum consecrandam et vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, et consecret et sumat quamvis non sit ieiunus.

« Vel si missa celebretur in loco publico ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi cetera. »

X, 6. « Si aliquid venenosum ceciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio Calice, et aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum: et finita Missa, Sanguis repositus in panno linteo vel stuppa tam dius ervetur donec species vini fuerint desic-

catae, et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium proiciatur ».

7. « Si aliquid venenatum contigerit Hostiam consecratam, tunc alteram consecret, et sumat eo modo quo dictum est, et illa servetur in tabernaculo, loco separato, donec species corrumpantur, et corruptae deinde mittantur in sacrarium ».

X, 13. « At si contingat totum Sanguinem post consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur et de effuso reliquo Sanguine fiat ut dictum est. Si vero nihil omnino remanserit, ponat iterum vinum at aquam et consecret ab eo loco *Simili modo postquam cenatum est,* facta prius tamen Calicis oblatione, ut supra ».

II. **Respondetur difficultati.**

Ex norma X, 13, cui ultro addemus X, 6, fere hoc modo quaeritur argumentum pro sententia quae permittit ut minores hostiae ciborii, si non fuere simul cum hostia a sacerdote sumenda certo consacratae, iterum separatim, in eadem Missa sub condicione consecrentur et fidelibus distribuantur :

« In casu X, 13, utraque species consecrata est; proinde sacrificium est completum; nihilo minus Ecclesia vult ut consecretur novum vinum, et quidem sine condicione. Ex quo elucet Ecclesiam nullo modo dubitare de validitate talis consecrationis. Immo etiam liceitatem pro casu particulari concedit, scil. ut etiam illi ritus qui sacrificium mere integraliter complent, fieri possint.

« Nonne igitur ad communicandum populum licebit saltem condicionate repetere consecrationem supra ciborium ut eius consecratio efficiatur certo valida? »

Plene, ni fallimur, huic difficultati fiet satis, si ostenderimus :

a) propositas solutiones X, 6 et 13, ad particulas dubie consecratas applicari non posse ;

b) ipsam instructionem de corrigendis Missae defectibus positive obstare quominus iterum sub con-

dicione separatim consecres minores hostias quae dubie consecratae sunt. Itaque :

a) **Solutiones X, 6 et 13 ad minores hostias applicari non possunt.**

Expresse enim haec ratio solutionum datur, ne sacrificium maneat imperfectum. Nam saltem ad integritatem sacrificii pertinet ut sacerdos sub utraque specie communicet.

Etenim, nixa hoc principio S. THOMAE, 3. P. q. 83 art. 6 ad 2, « ubi difficultas occurrit, semper est accipiendum illud quod habet minus de periculo; maxime autem periculosum circa hoc sacramentum est quod est contra perfectionem huius sacramenti, quia hoc est immane sacrilegium » ; Instructio de defectibus existimavit minus malum esse iteratam consecrationem quam omissam sacerdotis Communionem, quae gravi praecepto divino sub utraque specie perficienda est.

Neque hoc mireris. Superiore enim aetate, magni theologi putabant sacerdotis communionem ad ipsam essentiam sacrificii Missae pertinere. P. CHRIST. PESCH, S. I. *De sacramentis,* I, n. 897, citat DOM. SOTO, In 4. D. 13 q. 2, a. 1 § « Sed rogas » ; B. BELLARMINUM, *De missa*, L. 1, c. 27 in fine (1) ; et n. 898 profitetur tantum se cum longe communiore scholasticorum sententia tenere conclusionem contrariam, qua essentia missae in sola consecratione consistere dicitur.

Atque etiamsi cum Card. BILLOT, op. cit. p. 618, hanc sententiam omnino veram iudices, restat tamen, sicut ipse Eminentissimus vir habet in ipsa sua thesis LIV enuntiatione, ut actioni consecrativae debeat ex natura rei adiungi *communio celebrantis, quae idcirco indispensabili lege praescribitur.*

Quae sacerdotis communio in bina consummatione consistit.

(1) Bellarmino fere consentientem LUGONEM exhibet Card. BILLOT, *De sacramentis*, I, p. 618 et s.

Consecratio autem minorum hostiarum et communio populi neque ad essentiam neque ad integritatem missae pertinet. Id certissimum est et a nullo catholico negatur post C. Tridentium s. 22, *De sacrificio Missae*, cap. 6 et can. 8, et proscriptam 28 ^{am} Prop. synodi Pistoriensis (Cf. *Denz.* 944. 955. 1528).

Ergo, normae traditae X_6 et X_{13} de defectibus Missae nullatenus transferri possunt ad iteratam sub condicione consecrationem minorum hostiarum. Ambo casus materiali et formali discrimine separantur. Nulla comparatio institui potest inter regulam quae in favorem saltem integritatis Sacrificii posita est, et eius imitationem in gratiam fidelium communicantium.

Instantia. Ast, sic quis forsan obiciat, nonne saltem id inde colligi potest, certo validam esse consecrationem quae distincta quidem est a priore consecratione, sed intra eandem missam repetatur et ad idem sacrificium intentione referatur.

Id nullatenus inde colligi potest. Casus enim consecrationis quae iteratur propter perfectionem sacrificii nimis diversus est a casu iteratae consecrationis hostiarum minorum quae neque essentiam neque integritatem sacrificii attingunt. Quod consecratio quae compleat sacrificium obiective ad istud pertinere dicatur: id facile capere possumus; verum inde nihil concludere licet de consecratione quae mere intentione cum aliquo sacrificio iam completo coniungeretur. Sicut observavimus, *Per.* XIII, p. (65), ut res possint intentione coniungi, necesse est ut sint sub imperio et dominatu coniungentis intentionis. Sed sub imperio humanae voluntatis nullatenus est ut sacrificium sit peracta consecratione perfectum vel imperfectum, nec proin in eiusdem voluntatis potestate est ut, si completa fuerit, novum complementum accipiat. Si momento consecrationis, minores hostiae, deficiente quadam condicione non fuere consecratae, intentio eas

tunc consecrandi omnino frustranea fuit, nec ista praeterita intentio vel nunc iterata quidpiam obiective facere potest.

Verum estne prorsus certum id ipsum quod instantia supponebat? Idest, debueruntne auctores tituli de Defectibus pro certo valida habere iteratam consecrationem quam imperabant? Id minime constare arbitramur, attentis adiunctis in quibus normas scribebant. Tunc temporis enim, ut modo vidimus, dubii valoris a pluribus existimabatur Missa quae bina sacerdotis communione non perficeretur. Quia igitur, in ista existimatione, ipsa Missa mansisset dubia nisi nova consecratione perficeretur, haec ad firmandum valorem Missae honeste tentari potuit, quamvis probabiliter tantum iudicaretur efficax futura. Sicut ab initio ex S. THOMA didicimus, « ubi difficultas occurrit, semper est accipiendum illud quod habet minus de periculo » (3. P. q. 83 art. 6 ad 2). Si autem renovatio consecrationis eligi potuit ut minus mala, electio ista secum quidem ferebat iudicium de probabili valore imperatae consecrationis, non autem de eiusdem valore certo.

Tunc autem dubitatum esse de valore unius separatae consecrationis, etiam inter celebrandum factae, iam constat ex INNOCENTII III testimonio (Cf. *De sacro altaris mysterio,* L. 4, c. 22. 23. P. L. 217, 872) (1).

Obiciesne periculum idololatriae materialis? Consideres quantum, etiam sub hoc respectu, iterata consecratio quae titulo *de Defectibus* praevidetur, differat ab iterata consecratione minorum hostiarum, si non fuerit omnino certi valoris.

---

(1) Adeo dubitatum est de valore unius separatae consecrationis, ut fuerint qui contenderent formulam consecrationis panis effectu suo carere donec altera formula pronuntiata non fuerit.

Hoc quidem hodie prorsus negandum est. Immo ad convellendum istum errorem, qui tamen non est formaliter proscriptus, introducta est elevatio hostiae post priorem consecrationem; huic dein, propter symetriam, ut videtur, accessit elevatio etiam calicis.

Sacerdos qui consecrare intendit hostiam a se consummandam, potest, si efficaciam suae actionis aliquantum dubiam habeat, suam adorationem minus absolutam reddere ; et nemini peractam transubstantiationem formaliter affirmat. Qui autem populo tradendas consecrat hostias, debet, ad populum conversus, ter sollemniter affirmare realem praesentiam Christi sub speciebus quae manu tenet. Quam affirmationem dein iterat toties quoties communionem praebet (1). Quis non videt omne dubium evacuandum esse antequam liceat id audere ?

b) **Ipsa instructio de corrigendis defectibus repugnat iteratae consecrationi minorum hostiarum.**

Haec enim fieret post validam consecrationem vini. Sed, si efficax supponatur, violaret grave praeceptum, invertendo ordinem consecrationum. Quia, post S. THOMAM, instructio de defectibus id valde grave iudicat, ideo qui, post sumptionem sanguinis advertat hostiam fuisse corruptam, iubetur iterum apponere consecrandum novum panem et vinum cum aqua : « ut debitus servetur ordo ». « Ille ordo consecrationis utriusque speciei, ait SUAREZ, *De Eucharistia.* D. 85, s. 1, n. 2, semper mihi videtur magni momenti ». Quod BENEDICTUS XIV confirmat, *De sacrificio Missae*, L. 3, c. 15, n. 2.

Quocirca possit quispiam etiam hac forma ratiocinii uti contra eum qui voluerit, post utramque consecrationem essentialem, supra dubie consecratas hostias iterare consecrationem. Vel dices novam istam consecrationem referri ad essentiales consecrationes eiusdem Missae, vel id negabis. Si id affirmas, tunc ista iterata consecratio speciei panis, si fuerit efficax,

---

(1) Et fideles qui olim iubebantur respondere *Amen* ad verba : *Corpus D. N. I. C.* censebantur actum fidei elicere in veritatem istorum verborum.

peccaret contra gravem legem quae vetat ne consecratio hostiae postponatur consecrationi vini. Si istam relationem negaveris, ista nova consecratio iam ad nullam consecrationem alterius speciei ordinem habet, ita ut certissima evadat inchoatio novi sacrificii imperfecti.

Hoc etiam addas: Si liceret minores hostias *condicionate* iterum consecrare pro utilitate multitudinis, liceret etiam, propter eandem causam, easdem consecrare *absolute*. Namque instructiones e quibus argumentari velint, agunt non de condicionata sed de absolute facta nova consecratione; et condicionate facta consecratio nihil operatur nisi quatenus, ob impletam condicionem, *transierit in absolutam* et prior nulla fuerit.

III. Quaedam Supplementa.

Lectori nec ingratum nec inutile fore putamus, ut quibusdam quaesitis de ipsis istis normis respondeamus.

1. *Estne norma IV, 5 desumpta a* S. THOMA, *in posteriore parte ubi permittitur*, si Missa celebretur in loco publico ut, post sumptionem Corporis, mere apponatur vinum cum aqua, et facta oblatione sacerdos consecret et statim sumat.

Resp. Negative. Exceptio ista, ut refert BENEDICTUS XIV, *De sacrosancto Missae sacrificio*, L. 3, c. 15, n. 6-8, introducta est a SOTO (in 4 D. 13, q. 2. art. 6); neque legebatur in Missali S. PII V, sed tempore CLEMENTIS VIII fuit introducta in Missale. Sufficere autem solam vini consecrationem tradebat SCOTUS,

2. *Num textus* S. THOMAE *sub consideratione unionis moralis iteratae consecrationis cum superiore facta scripti sunt?*

Nulla expressa consideratio huiusmodi emittitur; fuitne implicita seu tacita: id rescire non possumus. Sed, cum aliis auctoribus istius aetatis, S. THOMAS

mere urget necessitatem non permittendi ut sacrificium maneat incompletum seu imperfectum.

Formalis consideratio istius moralis unitatis occurrit apud SUAREZ, *Euch.*, d. 85 s. l, ubi haec habentur: « quam diu durat actio sacra usque ad consumptionem, totam censeri unam moralem actionem ; et ideo, quamvis post consumptum corpus, solus calix consecretur, non censetur una species confici sine alia, quia haec consecratio sanguinis moraliter coniungitur priori consecrationi hostiae, et ex utraque fit una moralis actio, et unum sacrificium. »

3. *Quanam communi sollicitudine scriptae sunt istae instructiones de modo supplendi defectum materiae?*

Communi sollicitudine non linquendi sacramentum imperfectum. « Maxime autem periculosum circa hoc sacramentum est, quod est contra perfectionem huius sacramenti, quia hoc est immane sacrilegium (S. TH. 3 p. q. 83 art. 6 ad 2).

Et ideo etiam urgent sumptionem utriusque materiae a sacerdote, ita ut alteram hostiam iubeant consecrare, si prior absumi non potuerit. Nam « vel id est de substantia sacrificii, ait SUAREZ, l. c. vel ita pertinens ad perfectionem eius, ut de iure divino praeceptum sit. »

4. *Quid istis instructionibus praecipitur, cum dicunt: « aliam hostiam iterum consecret et sumat, » vel similibus verbis utuntur?*

His verbis volunt: *a*) ut consecratio panis incipiat a verbis *Qui pridie quam pateretur;* sanguinis vero a verbis *Simili modo* (1); *b*) Nisi addant « *statim* sumat », volunt ut a consecratione totus canon repetatur. Ac ratio est quia, si alterutra species defuerit, plura verba istius canonis illegitime dicta fuerunt. Cf. BENEDICTUM XIV, l. c. n. 6 et 8.

(1) Num de huiusmodi regula sollicitus fuerit qui iterum sub condicione tentaverit minores hostias consecrare: valde dubitamus.

IV. Responsio facta auctoritatibus confirmatus.

I. Recens in articulo bibliographico de opere P. NOLDIN-SCHMITT, qui prodiit in *Civiltà Cattolica*, 1926, t. II, p. 156. 157, laetati sumus quod doctus censor, breviter quidem sed nervose sententiam de iterata hostiarum minorum consecratione confutarit, eamque aestimaverit prorsus improbabilem.

II. Iam tradamus documentum ab initio promissum, i. e. *responsum eximii Professoris Theologiae dogmaticae.*

« *De consecratione panis sacrificio completo adiecta.* — Pro sententia permittente consecrari condicionaliter, post utriusque speciei consecrationem, novas particulas panis in ordine ad communicandum populum, allegatur a doctore quodam gravi quod legitur in principio Missalis sub titulo *De defectibus in celebratione missarum occurrentibus*, X, 13, ubi bina unius speciei consecratio habetur.

« Instantiae autem isti responderi potest, ad mentem ipsius intructionis *de defectibus*, eas esse in vino consecrando iterationes validas et licitas, quae cum consecratione panis praemissa sic nectantur ut concurrant sive ad essentiam sive ad integritatem sacrificii procurandam. Iam vero essentiae constituendae providetur per consecrationem veri vini post prolatam formam super vinum falso existimatum (*De defectibus*, IV, 4); integritati autem, dum post ipsam consecrationem vini validam aliud denuo vinum consecratur, ne, effuso priore ac deperdito, desit quod a communionem sacerdotis deserviat. Pertinet enim ad integritatem sacrificii communio sacerdotis sub utraque specie. Hinc igitur unitas huius iteratae consecrationis servatur cum praehabita consecratione panis.

« Communio autem populi minime iuxta fidem catholicam requiritur ad integritatem sacrificii obtinendam; nec proinde isthinc oboritur geminatae (si qua fiat) consecrationi panis cum individua consecratione vini, unitas illa quae in sacrificii unius essentia aut integritate tutanda consistit. Sed aliunde sacrificio essentialiter atque integraliter perfecto, nequit adiecticia consecratio non veluti manca pendere; quo fit ut illam vituperationem incurrat quae propria est sacrificiorum per se incompletorum; quae quis merito et pro invalidis et pro sacrilegis habere potest.

« His ad mentem instructionis *De defectibus* supra memoratae notatis, non deerit fortasse qui principium appellet quoddam SUAREZII: « illa quae in Missali proponuntur sub titulo *de defectibus*, solum esse instructiones quasdam doctrinales, non vero speciales constitutiones inducentes novam obligationem; sunt autem illae instructiones datae, iuxta probabilem doctrinam (excerptae nimirum ex S. THOMA plerumque ad verbum); non tamen magis obligant quam res ipsae vel doctrina in qua fundantur » (*De Eucharistia*, disp. 85, sect. 1, n. 3). Quod a Suarezio indubitanter assertum, a Cardinali D'ANNIBALE pro non improbabili habetur (*Summula*, III, 383) (1); accipiturque ab aliis recentioribus bonae notae, ut GÉNICOT (II, 250) (2) plerisque interim quaestionem omnem de auctoritate illorum monitorum omittentibus. Certe locum non habent neque inter *Rubricas generales Missalis*, neque inter normas seu regulas traditas sub nomine *Ritus*

(1) In nota 5, haec subiungit: « Sed hodie quidam omnes praeceptivas esse docent; nec forsan immerito, stricto iure, sed non sunt mutanda quae interpretationem certam semper habuerunt ».

(2) In isto n. 250, GÉNICOT-SALSMANS ed. 8. ita dicunt: « Etiam inter *priores* videntur quaedam esse mere *directivae* seu instructiones doctrinales quae non magis obligant quam doctrina in qua fundantur (et allegant SUAREZ l. c.), puta quae continentur sub titulo *De defectibus*, etc. ». Inter priores, i.e. inter rubricas servandas in ipsa celebratione missae.

servandi in celebratione missae: quare rationabiliter satis existimaverit quis ea non cadere sub praeceptum Pii V » (1).

Casus matrimoniales

I. De casu perplexo

I. Praefatio de beneficio canonis 1045.

Ut pro merito aestimemus beneficium quod, in usu ministerii sacri, nobis contulit can. 1045, satis est meminisse quo impedito iure antea utebamur.

S. ALPHONSUS, III, 613, casum perplexum his verbis introducebat: « Sed hic discutiendus est casus valde facilis eventu, et difficilis solutione ».

Casum autem his verbis exponebat: « Rogatur quid agendum, si sponsi accedant ad ecclesiam ad contrahendum matrimonium, et alter eorum manifestet confessario impedimentum occultum dum omnia sunt parata, et non possit sine scandalo et infamia matrimonium differri ? ».

Varias deinde allegabat solutiones.

a) Quidam auctores, inter quos ipse SANCHEZ (*Matr.* L. II, d. 40, n. 7), suadebant ut paenitens votum castitatis ad tempus, puta ad mensem, emitteret. S. Doctor remedium istud aestimabat periculosum, quia suspicionem impedimenti facile excitaret. Et nos addemus periculosum etiam esse quia neo-coniuges continentiam difficillime servant. Et si coniux impe-

(1) Praeceptum Bullae quae Missali praeponitur sic effertur: « In virtute s. oboedientiae praecipientes ut, ceteris omnibus rationibus ex aliis missalibus penitus omissis... Missam iuxta ritum, modum ac normam quae per missale hoc a Nobis nunc traduntur, decantent ac legant ».

dimenti ignarus votum alterius irritaverit, nulla practica difficultas isto voto minuetur.

b) LUGO (*Paenit.* d. 22, n. 24), consultius aestimabat sponsos in sua bona fide relinquere et sinere ut nuptias contraherent invalidas sed quae cito, impetrata dispensatione, convalidarentur.

c) Communissime, et ipse SANCHEZ, l. c. si alia media non possent adhiberi, docebant episcopum in isto casu dispensare posse. Quod S. ALPHONSUS putabat probabilissime dictum. Mirae tamen rationes afferebantur.

Dicebant enim tunc praesumi posse delegationem Pontificiam, contra principium quod negat valide de futuro praesumi posse consensum qui aptitudinem gignere debeat; vel, quod S. Doctor, l,. nº 191, iudicabat iam improbabile, tribuebant Episcopo facultatem dispensandi in lege Pontificia quotiens dispensatio non foret reservata Papae; in casu autem tantae necessitatis, dispensationem non censeri reservatam.

d) Denique PIGNATELLI (T. III, *Consult.* 33, n. 5) tenebat legem in eo casu cessare, utpote quae perniciosa evaderet. Ac RONCAGLIA (Tr. 21 *De Matr.* q. 5, c. 1, q. 2), dicebat id a parocho vel a confessario declarari posse « si aliquando nec etiam ad episcopum aditus pateret, et nullo modo aliter vitari posset gravissimum periculum infamiae aut scandali ». Volebant tamen ut quantocius recurrerent ad S. Paenitentiariam, pro magis secura dispensatione. S. ALPHONSUS hanc opinionem mere refert.

Ipse autem supponebat impedimentum notum ex confessione, et bonam fidem contrahentium.

Diu post S. ALPHONSUM, BALLERINI - PALMIERI, t. VI, n. 976, qui tamen timidi esse non solent, exclusis primo impedimentis natura sua publicis, plures distinguunt hypotheses, et difficile dicebant admitti posse suppressionem impedimenti, si vel unus contrahentium mala fide peccaret.

WERNZ, *Ius Decr.* t. IV, in una ex longis suis notis (nota 87), minus propter intrinsecas rationes quam propter auctoritatem concedit declarationem de non iam exsistente impedimento.

Quando autem matrimonium iam erat contractum, applicatio casus perplexi pro necessaria matrimonii convalidatione, controvertebatur.

Nunc autem, beneficio can. 1045, removetur omne dubium de casu perplexo, sive agatur de matrimonio contrahendo, sive de iam contracto; casus non circumscribitur ad notitiam habitam ex confessione; pro gravissima infamia, quam postulabant auctores, exigitur tantum probabile gravis mali periculum; nec memoratur condicio bonae fidei contrahentium, ita ut Pontificia Commissio Codici intrerpretando, 1. mart. 1921 (A. A. S. XIII, 177 vel *Per.* XI, 326, hoc benigne respondere potuerit:

« Utrum, ad normam can. 1045 § 1, clausula « quoties impedimentum detegatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias » intelligi debeat stricto sensu, scilicet quod impedimentum antea omnino ignotum fuerit et tunc resciatur, an potius eo sensu quod, quamvis antea cognitum tunc solum tamen ad notitiam Parochi aut Ordinarii sit delatum », solvit hoc modo: « Negative ad primam partem; affirmative ad secundam ».

Atque hoc quidem de facultate Ordinarii loci. Si autem agitur de parocho, de sacerdote qui nuptiis assistat, deficiente ministro per se competente, vel de confessario, c. 1045 § 3 requiritur praeterea, ut Ordinarius adiri nequeat, et agatur de casu occulto.

II. **Casus propositio et solutio**

Species facti. — Parochus quidam litteras miserat ad suum Ordinarium loci ut, in casu urgente, obtineret, pro duobus sponsis: *a*) dispensationem ab impedimento consanguinitatis in secundo gradu lineae collateralis; *b)* dispensationem a bannis.

Cum autem litteras Ordinariatus quae responsum continebant aperuisset, non sine magna miratione sua, legit quidem sibi factam facultatem omittendi banna, sed sine ulla mentione impedimenti consanguinitatis.

Omnia tamen parata sunt ad nuptias. Factum narrare erit occasio indignationis contra Ordinarium et Curiam episcopalem. Et, attenta dispositione familiae sponsorum, quis novit num postea velint in facie Ecclesiae celebrare nuptias, si nunc differantur.

Quid igitur parocho praestandum est?

Solutionis praeparatio. Ipsi solutioni praeponamus examen quarundam quaestionum quae per occasionem istius casus suboriuntur.

1. Potestne *occultus* dici casus, eo quod communis persuasio habeatur, impedimentum esse dispensatione sublatum?

Resp. Quod ideo casus fiat *in se* occultus, negandum non videtur. Impedimentum quidem est notum *materialiter:* norunt v. g. personas istas esse consanguineas; sed *formaliter,* ut impedimentum, est *occultum:* omnes existimant nihil istis nuptiis obstare.

Probabilis autem sententia habet casum occultum haberi eo quod impedimentum sit *qua tale* occultum.

Id admittit v. g. CAPPELLO, *De matrimonio*, 236, dum WERNZ - VIDAL, *Ius matrimoniale*, n. 413, distinctionem *impedimenti* occulti et *casus occulti* praetermittere videtur.

Verum estne *casus occultus talis* qui permittat usum can. 1045 § 3?

De specie ista quam nescimus an umquam tractata sit, dicemus quod modeste sentimus: nobis videtur cum distinctione respondendum esse ad mentem ipsius can. 1045.

Quid enim Ecclesia vult condendo istum canonem? Vult formaliter, via securiore concessae facul-

tatis, dissolvere difficultatem quae locum dabat antea casui qui vocabatur perplexus. Probati auctores tradebant legem impedimenti per epikeiam cessare quando per accidens praevidebatur noxia futura, quia occasio foret gravis diffamationis, vel similis mali aliter inevitabilis. Atque ideo doctrinam suam circumscribebant impedimentis occultis, quia revelatio impedimenti natura sua publici vel notum impedimentum nulli per se gravi incommodo locum dabat, si propterea matrimonium differretur.

Si ita res se habent, dicemus casum considerari posse ut occultum, ad mentem c. 1545, si defectus obtentae dispensationis non possit revelari sine probabili gravis mali periculo. Absente autem tali incommodo, applicari non posse c. 1045 § 3.

2. Ubi non est locus utendi canone 1045 § 3, potestne etiam nunc fieri, in aliquo raro casu, ut sequi possimus et debeamus antiquam sententiam de casu perplexo?

Casus huiusmodi occurrere posse, vidimus in isto Periodico, t. XIV, p. (122). Tunc autem nihil obstat quin adhaereamus sententiae gravium doctorum qui ante Codicem scripsere. Idem tenet R. D. DE SMET in suo praeclaro tractatu *De Sponsalibus et Matrimonio,* n. 839. Non est igitur stricte verum, quod habet CHELODI, *Ius matrimoniale,* n. 44: Per canones 1044 et 1045, celeberrimus " *casus perplexus* ,,, e vivis ereptus, iustis sollemnibus sepultus est » ; nec, contra ac scribit P. CAPPELLO, *De sacramentis,* III, 233, 6^{0}, prorsus cessavit.

3. Si Ordinarius, receptis litteris parochi, re vera dispensaverit, ita ut omissio mentionis de consanguinitate errori secretarii imputanda sit, estne impedimentum re vere sublatum?

Resp. — Impedimentum est re vera sublatum, si, ut fieri consueverit, Ordinarius dispensaverit in forma

gratiosa. Nam de solo exsecutore rescripti valet can. 53, qui postulat ad ipsam validitatem dispensationis ut litterae concedentes facultatem ad exsecutorem pervenerint.

III. **Solutio casus.** — 1. Si ipsum impedimentum consanguinitatis fuerit occultum, quia v. g. consanguinitas erat ex copula illicita, poterit parochus uti can. 1045 § 3. Namque, ut Pontificia Commissio respondit 12 nov. 1922 (A. A. S., XIV, 663 vel *Per.*, XI, p. 183), Ordinarius existimari potest inaccessibilis, si solum per telegramma vel telephonium adiri queat.

2. Si autem nota sit consanguinitas, parochus debet in primis, etiam per telegraphum vel telephonium, si copia habeatur, interrogare Curiam de omissa dispensatione. Namque, ex ipso iure naturae, dubia practica sunt pro viribus diluenda.

Si hoc fieri nequeat, examinare debet incommoda probabilia quae allaturus sit nuntius de nondum obtenta dispensationis notitia. — Si sine gravis mali periculo matrimonium differri queat, *supersedendum est matrimonio* donec certa notitia haberi non potuerit. — Si vero gravia mala timenda sint v. g. nuptiae mere civiles, tunc parochus *celebret matrimonium*, his innixus rationibus: *a*) Fere moraliter certum est dispensationem esse ab Episcopo concessam, et solam scriptam communicationem desiderari; *b*) quatenus non sit concessa, et usus fieri nequeat can. 1045 § 3, adhiberi potest doctrina de casu perplexo ante Codicem. Statim autem monendus erit Ordinarius ut suppleat ad cautelam quod fortasse defuerit in ista celebratione.

II. De Forma et Convalidatione matrimonii.

Species facti. — In regione infideli Africana, ubi usus est ut uxores, pretio soluto, emantur, ita ut

non solutum pretium causa habeatur perfecti divortii, puella quaedam a parente, auctoritatem habente, in coniugium tradita est cuipiam emptori. Ipsa autem, nubilis facta, noluit virum istum pro marito habere. Quod significavit fuga ter tentata, sed frustranea, quia, cum domum paternam repetiisset, a parente toties quoties viro emptori reddita est. Inde evenit ut a fuga denuo tentanda desisteret. Post tres transactos annos, vir factus est catechumenus et baptizatus est. Ipsa mulier coepit scholam catechumenorum frequentare et pacifice cum viro facto christiano vivere, ut posset ipsa baptizari. Baptismo recepto, noluit tamen coram missionario consensum renovare, timens, ut ipsa aiebat, ne tunc vinculo indissolubili teneretur.

Quaeritur iam: **de valore** istius matrimonii:

a) *dum ambo erant infideles;* — b) *post baptismum viri et pacificam cum viro cohabitationem;* — c) *post baptismum ipsius mulieris.*

Respondeo. — Ad *a*) Matrimonium invalide contractum est in infidelitate, deficiente consensu puellae.

b) Pacifica cohabitatione cum viro, post huius baptismum, non videtur ratum haberi posse matrimonium. Namque, post baptismum viri, forma canonica erat necessaria ad contrahendum matrimonium. Ratificatio igitur, quae foret primus consensus matrimonialis, forma canonica dari debuit.

c) Ex negata renovatione coram missionario, post utriusque baptismum, potius habetur praesumptio quod nullus fuerit datus consensus coniugalis a muliere, etiam dum pacifice cum viro baptizato cohabitabat.

N. B. Sed quia ambo nunc sunt baptizati, et matrimonium, si validum sit, fuerit sacramentum, nullitas non potest declarari nisi post processum canonicum; neque partes erunt in foro externo liberae, nisi post duas sententias nullitatis.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

De Probatione ante S. Communionem
Dissertatio Pastoralis

I. Sive ius divinum mere declaraverit, sive istud sua auctoritate compleverit, Ecclesia verbis statim allegandis Conc. Trid. S. XIII, c. 7, definivit probationem animae quam fructuosae communioni praemittere iussit Apostolus 1 Cor. 11, 28 « Probet autem seipse homo, et sic de pane isto comedat et de calice bibat ».

« Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem (ad SS. Eucharistiam percipiendam) necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit copia confessoris. Quod si, necessitate urgente sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur » (cf. etiam can. 11).

Nunc, Codice canonico, pro unico decreto, successerunt duo canones 807 et 856, quorum prior proprius est sacerdotis celebraturi, alter vero communis est cuilibet sacra dape usuro. In priore canone, proprio sacerdotis *celebraturi,* obligatio *quam primum* confitendi, non minus quam in Tridentino, his gravibus verbis urgetur : « Quod si, deficiente copia Con-

fessarii et urgente necessitate, elicito tamen perfectae contritionis actu, celebraverit, quam primum confiteatur ». Priora autem verba c. 807 : « Sacerdos sibi conscius peccati mortalis, quantumvis se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione, Missam celebrare ne audeat », satis conveniunt cum priore parte c. 856 : « Nemo quem conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione ad sacram communionem accedat ». Idem can. 856 sic concluditur : « Quod si urgeat necessitas ac copia confessarii illi desit, actum perfectae contritionis prius eliciat ».

Itaque, quod ad rem, ambo canones 807 et 856 idem praeceptum simili exceptione temperatum efferunt, nisi quod soli sacerdoti iniungitur ut quam primum confiteatur, et c. 856 magis *in recto* exceptionem cum condicionibus promulget : « quod si... urgeat » dum haec in c. 807 potius in obliquo memorantur « deficiente... et elicito, » ut directe inculcet obligationem confitendi quam primum.

Praesens lex canonica igitur expresse supponit esse casus in quibus etiam laicus, cum solo actu perfectae contritionis, sacra dape legitime reficitur.

Binae autem condiciones requiruntur : absentia confessarii a quo possis sine gravi incommodo, extrinseco confessioni, absolutionem petere ; et necessitas communicandi.

De sola necessitate communicandi in praesenti agere proponimus. Quae necessitas difficilius quam necessitas celebrandi accidit.

II. Vigente iure Tridentino, et ante instauratum et propagatum usum cotidianae communionis, dicebant communiter auctores quod iam tradebat LUGO (*De SS. Euch.*, d. 14, n. 107-118), excusari a praemittenda confessione communicaturum *a*) qui in pe-

riculo mortis non possit confiteri, habeat autem occasionem communicandi (n. 107); *b*) qui non possit confessionem praemittere communioni paschali, saltem quatenus praeceptum istud non est mere ecclesiasticum, sed determinat praeceptum divinum; ac proin quatenus agitur de annua communione (n. 116); *c*) quatenus communio omitti nequeat sine nota aliquo modo infamante « quod plerumque etiam procedit quando iam quis accessit ad altare communicaturus » (Casus tamen sub littera *b*) non erat extra controversiam). His casibus, quos LUGO exprimit, certo adiungi potest casus ubi, deficiente copia confessarii, SS. Eucharistia servanda est a profanatione vel a materiali corruptione.

Ita, si reperiatur a laico exigua pars particulae consecratae quae non possit reponi in tabernaculo vel in vase in quo abluuntur digiti post distributam s. communionem, laicus, absente sacerdote, eam sumere posset et deberet, etiamsi non esset ieiunus, vel per usum sacramenti paenitentiae, in statum gratiae restitutus.

BUSEMBAUM, *De Euch.* Dub. II, art. I, 6^0 non loquitur nisi de laico qui in scamno communicantium recordetur peccati mortalis *quod oblitus sit confiteri*, quia ea aetate communissime obligabant ad complendam, ante communionem, confessionem bonam quidem sed in qua peccatum quoddam letale non erat nisi indirecte remissum.

S. ALPHONSUS ipse, L. VI, tr. 3, c. 2, n. 257, alteram sententiam, benigniorem, omnino rationi consentaneam aestimavit. Verum severior sententia causa videtur fuisse cur non consideret in scamno communicantium nisi eum qui oblitus sit peccati in postrema sua confessione. Subinde, in subiectis quaestionibus, n. 265, quaerit tantum de confessione ab eo praemittenda qui propter casum reservatum non possit

a simplici confessario donari directa absolutione omnium peccatorum suorum.

Audiatur iam LEHMKUHL, II, 152 (ed. 8) vel 207, d, ed. 11.

« Necessitas *in laico* extraordinarie adesse potest: 1) Si iam in scamno communicantium coram aliis assidens, peccati gravis recordatur; 2) Si S. Eucharistiam ab impiorum manibus sumendo salvare potest: quod tunc debet, praemissa, quantum rerum angustiae patiuntur, contritione; at si in illis *secundi casus* angustiis id sibi praestare non posse videretur, tamen cum contritionis vel saltem attritionis conatu omnino *deberet* sacram Eucharistiam sumere, propter statum gratiae certius non procuratum nullatenus peccaturus ».

BALL.-PALM., IV, 913, ad casum *de infamia vel scandalo:*

« Perinde dicendum de sacerdote ac de laico, qui assistens scamno recordetur peccati nec praemiserit confessionem. Tunc adest necessitas de qua loquitur Trid. Syn.; necesse est enim communicare ad vitandam infamiam ».

Card. D' ANNIBALE satis habet enuntiare regulam: « si a celebrando vel communicando abstinere nequeas citra periculum scandali vel infamiae » (III, 408).

ELBEL, O. S. F., *Theol. mor.* III, n. 328, veram necessitatem agnoscit, « si Religiosus ex praescripto suae Regulae tenetur communicare... si sacrificium aut communio intermitti nequeant sine scandalo vel gravi iniuria »; addit tamen ultra hos casus alios procul dubio accidere posse, « quorum gravitas prudentis iudicio determinari debet ».

CLEM. MARC, C. SS. R. *Institutiones morales Alphonsianae* (ed. 15), n. 1556: « Excusat... periculum *infamiae* aut *scandali,* v. gr. si quis in communicantium scamno iam reperiretur, nec discedere posset quin ab aliis notaretur. Idem dicendum si allato viatico ad infirmum, confessio, ob angustiam temporis, perfici non posset sine periculo mortis, aut infamiae ».

PRÜMMER, O. P. *Manuale Theol. mor.*, III, 193,

ed. 1, hoc solum exemplum affert: « si quis in scamno communionis iam sistens recordetur peccati mortalis, neque recedere potest sine infamia ».

III. Post diffusum usum frequentis immo cotidianae communionis, auctores perrexerunt excusationem allegare hominis qui in scamno communicantium memoraverit se statu gratiae excidisse, ita ut in exemplis dandis, non multum cogitasse videantur de accessu novae istius circumstantiae.

Ita v. g. GÖPFERT-STAAB, *Moraltheologie* ed. 9, p. 85; PRÜMMER, *Man. theol.*, III, 193 (ed. 2 et 3); CORNELISSE, O. F. M., *Compendium Theol. mor.* III, 132: « Similis casus accidere potest *laico* qui coram aliis scamno communicantum assidet »; AERTNYS-DAMEN, II, 144: « Excusat *Periculum infamiae*, v. g. si quis iam est in scamno communicantium, a quo recedere non valet quin ab aliis notetur ».

CAPPELLO, *De sacramentis*, I, n. 491, indicat periculum mortis; grave scandalum vel infamiam « ex gr. si laicus iam scamno communionis assideat et recordetur alicuius peccati mortalis nondum remissi ».

Neque aliter scripsimus in prima editione *Theol. mor.*, III, 392.

Alia tamen exempla proponi potuerunt, ut si in nosocomio sacerdos quos pridie audivit sacramentaliter, mane sine alio examine vel interrogatione imprudenter adiverit ferens ciborium ad omnes communicandos. Quomodo possit sine infamia recusare communionem, qui conscius fuerit de peccato nocturno?

Perinde dicas de adolescente qui pridie cum parentibus confessus, manu ducitur a parente utroque vel a matre, ita ut neminem adire queat, sed recta ad sacram mensam perducatur, conscius tamen commissi peccati.

IV. Morales tamen theologos, eos maxime qui

simul sacris ministeriis vacant, fugere non potuit difficultas ista quae, in hac re, exorta est postquam usus invaluit apud pios frequenter communicandi non praemissa confessione. Quae difficultas potissima est in communitatibus clausis ubi generalis facta est communio cotidiana. Tales sunt communitates religiosae, conservatoria puellarum, seminaria, collegia.

In *Pastor bonus* t. 28 (1915-16), p. 459. 460, D.r PRAXMARER praevidebat quoque futurum esse ut propter usum frequentioris communionis fideles assuefierent magis se ipsi probare, seu magis personale iudicium ferre de statu suae conscientiae (*Beichtpflicht* und *öftere Kommunion.*

Quare, non nulli coeperunt in libris manualibus rem memorare sive ad insinuandum accidentale incommodum cotidianae communionis quae sit universalis, ut PIGHI (1), sive ad opportuna quaerenda consilia, ut AERTNYS-DAMEN, II, 167. Quod ipsi praesenti lucubratione perficere conabimur.

V. **Quaenam attendenda sint.** Ut per se liquet, non agitur de novis principiis inveniendis, sed de prudenti applicatione principiorum ad casus concretos.

Haec autem componenda sunt: *Usus frequentis immo cotidianae communionis*, quem canon 863 omnibus fidelibus, canon vero 595 § 2 peculiariter religiosis commendat; *status gratiae* procurandus *per confessionem* sacramentalem, ante s. communionem; *vitanda sacrilegia* ex falsa conscientia.

Tria haec simul ad cultum SS. Eucharistiae et ad bonum animarum intersunt; frequens tamen communio maxime nostro bono spirituali, usus confessionis ante communionem cultu SS. Eucharistiae et debita ei reverentia, remotio sacrilegiorum cultu

(1) *Cursus Theol. mor.*, III[3], 148 nota: « Nec periculis vacat quod in communitate religiosa aut educativa omnes omnino singulis omnino diebus communicent ».

SS. Eucharistiae et bono spirituali fidelium aeque commendantur.

Iam de singulis non nulla observemus.

VI. *Frequens, immo cotidianus accessus ad s. communionem* eorum qui digne accedunt minime impediendus est periculo non nullorum sacrilegiorum. Haec quidem maxime dolenda sunt. Haec etiam bonos stimulabunt ut adaucto fervore tristes istos abusus expient. Sed nemo qui sincere adhaesit directionibus quas tanta insistentia dedit S. Sedes decreto *Sacra Tridentina Synodus* et posterioribus documentis, ideo minoris faciet expressam monitionem can. 863 « Excitentur fideles ut frequenter, etiam quotidie, pane Eucharistico reficiantur ad normas in decretis Apostolicis traditas »: quibus verbis decreta ista habenda sunt ut vere Codice contenta (cf. c. 6, 6°). Ceterum fructus servatae innocentiae, excitatae vel confirmatae vocationis superioris, propagatae caritatis christianae et apostolicae mala indigne communicantium, — quae numquam vitari possunt, — abunde compensant.

Verum haec quaestio recens moveri coepta est. Ad praecavenda sacrilegia aliorum qui non ausi sint sacra mensa abstinere si quondam conscii sint maculatae conscientiae, expeditne suadere *Superioribus laicis* vel *optimis iuvenibus* aut *religiosis* ut ipsi, omittendo interdum communionem, ceteris maiorem libertatem procurent?

Id expedire non nulli recentiores affirmarunt.

Audiatur v. g. R. D. MICHELETTI (1):

« Ut autem diligentius sacrilegia devitentur (in quo negotio nulla industria nimia dici poterit), etiam conferet si confessarii cuique ex optimis etiam alumnis suadeant ut a S. Synaxi interdum abstineant. Qua ratione fortasse fiet ut unus vel alter e clericis, infirmiore utens iudicio, adeo maiore libertate acce-

(1) *De Rectore seminariorum*, 1910, p. 151.

dendi vel abstinendi se donatum sentiat, ut suae conscientiae opportunius consulere possit ».

Atque AERTNYS-DAMEN, *Theol. mor.*, II, 167, postquam merito negavit legitime posse dari praeceptum de ista re, « cum unusquisque qui debito modo dispositus sit ius habeat ad S. Communionem, neque caritas eum obliget ut se tanto bono privet ad evitandum damnum illud spirituale proximi » quidpiam isti sententiae concedit his verbis :

« Ubi autem periculum sacrilegiorum re vera adest neque alio modo praecaveri potest, videtur tamen *suaderi* vel saltem *proponi* posse, ut unusquisque, si non semel in hebdomade, attamen aliquando saltem a S. Communione abstineat ; cum sit utique eximium opus religionis erga Deum praecavere sacrilegia, atque actus caritatis erga proximum ; quo insuper etiam propriam libertatem in tuto collocat ».

Alii tamen mirum istud consilium prorsus reiciunt tamquam contrarium voto Ecclesiae, quae cupit ut *omnes* fideles cotidie communicent, et praeterea non necessarium. Atque AERTNYS-DAMEN allegant pro hac parte LINTELO, S. I., *Triduum eucharistique*, et *Nederl. Kath. Steinmen, 1908, p. 356.*

Omnibus perpensis, suasionem huiusmodi non esse opportunam existimamus. Etenim *non est necessaria, non* est valde *utilis* ad finem intentum, et secum fert non *levia incommoda.*

Non est *necessaria*, cum variis aliis modis libertas abstinendi satis secura reddi possit ;

Non est *valde utilis* (1). Namque in ampla communitate non deerunt qui communionem interdum intermittant, atque omissae communiones non adeo innotescunt ; in minore sed fervente communitate, rarus casus qui accidere queat privationem a bonis clericis vel religiosis sustinendam non compensat.

---

(1) In loco allegato R. D. MICHELETTI e consilio generali dato optimis ut quandoque communionem omittant unum hunc fructum sperat ut *fortasse* unus vel alter se magis liberum sentiat.

Nec vacat incommodis. Etenim potestne ratio istius consilii prudenter indicari optimis adolescentibus, vel etiam omni Superiori laico aut (quod peius foret) Superiorissae? Quis non videt animi perturbationes et suspiciones quibus hoc modo via paratur? Si autem rationem non indicemus, cur videbimur dare consilia contraria canonibus?

Praeterea, ubi omnes religiosae cotidie communicare solent, nonne iterata Superiorissae abstinentia eam saltem minoris fervoris insimulabit, ita ut inde communis aedificatio detrimentum capiat?

Quare prudentius facturum aestimamus eum qui singularia et non consueta consilia inire noluerit ad tutanda officia communia.

VII. Verum *pluribus aliis mediis obtineri poterit ut, ubi opus fuerit, communio vel omittatur vel fere non fiat nisi praemissa confessione.* Huc facere possunt:

1. *Prudens hortatio* ad cotidianam communionem. Observes, cum agitur de communione hebdomadaria, Superiores ecclesiasticos et religiosos non prohiberi adhibenda ista cura quae de sacramento paenitentiae et ceteris pietatis exercitiis, ipsis can. 125 et 595 imponitur. Possunt igitur de isto usu subditorum positive sollicitos esse. Talis vigilantia nullum per se morale periculum inducit sacrilegii. Namque, intra hebdomadam, facilis copia est subditis ut per idoneos confessarios se rite ad s. communionem praeparent. Religiosus rursus aut seminarista qui, in praesenti, ne hebdomadariam quidem communionem frequentat, per se seu plerumque tractandus est ut aegrotus, in periculo amittendae vocationis, si vere vocatus sit.

Immo non vetatur Superior privatis et paternis monitis animum facere seminaristae vel religioso qui pluries in hebdomada communionem declinare coeperit.

Si vero agitur de communione stricte vel moraliter cotidiana, Superiores religiosi can. 595 § 2 iubentur

eam *promovere* minime autem eam *curare*. Atque eam prudenter promovebunt generalibus hortationibus potius quam privatis consiliis: haec permittenda sunt confessariis. Immo satius per se esse videtur ut voce aliorum contionatorum potius quam propria, cotidianam communionem praedicent.

Omni autem particulari inspectione abstinebunt. Quare cum agitur de collegiis adulescentum vel de minoribus seminariis, Superior suadendus est ne missam sub qua alumni communicent, ipse celebrare *soleat*.

2. In *collegiis* et in *conservatoriis puellarum*, quoddam *incommodum sufferendum* ab iis qui cotidie communicare voluerint. Non adeo expedire nobis videtur ut cotidie communicantes omni gravamine studiose liberentur. Satius putamus ut beneficium frequentioris communionis quadam mortificatione redimatur: ut si, pro gratiarum actione, communicantes diutius quam ceteri manere debeant in sacello, vel refectio matutina iis sumenda sit paulo tardius aut minus commode. Hac ratione, communiones cotidianae fient magis deliberata voluntate, puriore intentione, et minus bene dispositi earum seriem sine difficultate interrumpent.

3. *Facilis copia confessarii* iis praesertim data qui, ut convictores, Sorores religiosae, maxime claustratae moniales, sacerdotem paenitentiarium libere adire non possunt. Itaque:

Alumnis cotidie pateat accessus ad confessarium ante sacrum, immo intra sacrum sub quo communionem recipiant. Ac ne id ipsum mirationem moveat, ne sit una eademque dies statuta omnibus pro confessione hebdomadaria.

Huiusmodi eligatur cappellanus Sororum vel monialium, quem in aliqua peculiari necessitate adire pro confessione possint ante s. missam. Neque ad hoc is solus idoneus iudicandus erit qui munus habitualis

confessarii gerere possit. Satis est ut sit probus, non propensus ad invadendam provinciam directionis, ac proin potius negotiis distentus quam generatim otiosus.

Superiores et Superiorissae discant etiam accurate servare quae de variis confessariis religiosorum sapienter Codice praescripta sunt.

4. *Prudens confessarius habitualis*, qui fragilem adolescentem avertat a communione stricte cotidiana quam non possit sine rubore omittere; qui bene conformet conscientiam religiosarum ne praepropere se aestiment reas culpae letalis; qui omnes fortiores reddat respectu humano ac doceat, contemptu possibilis notae vel suspicionis, libere agere quae bona et meliora aestimentur.

5. Prohibitio facta Sororibus, noviciis, iunioribus religiosis, seminaristis, miscendi colloquia de constantia vel inconstantia in assiduitate ad s. mensam.

VII. Haec si accurate serventur, status gratiae fere semper recuperabitur per confessionem sine probabili sacrilegio; et tria quae n. IV attendenda diximus erunt inter se harmonice composita.

Verum, in praesenti hominum condicione, praevidendae sunt imprudentes neglegentiae quarum remedium vix aliunde quaeri potest quam ex permissa per can. 856 exceptione legi qua is quem gravat conscientia peccati mortalis sacramentalem confessionem suae communioni praeponere iubetur. Exemplo sit casus (non chimaericus) Sororum quae, in publica ecclesia communicantes, ruri nullum alium confessarium habent praeter parochum; is autem eas non vult nisi semel in hebdomada audire, et praeterea ut scandalosam reprehendit Sororem qui vel unam communionem omittat. D.r PRAXMARER, (art. c. *Pastor bonus*, XXVIII, 460) profert exemplum alterius parochi, qui cotidianam communionem pueris permittebat, nolebat autem ut saepius quam quarta quaque heb-

domada confiterentur. Quare ipse insinuat iam legi non repugnare analogicam applicationem ad laicos regularum quae antea fere de solis sacerdotibus valebant.

Restat igitur ut *de prudenti usu istius exceptionis non nulla dicamus.*

Atque in primis recordemur communiones sacrilegas maxime timendas esse a puellis in conservatoriis, dein a iunioribus in parvis seminariis vel scholis quae ad seminaria introducunt, tum a timidis Sororibus; ac puellas et iuniores simul eos esse qui prae levitate animi facilius derogabunt reverentiae debitae SS. Sacramento, et minus facile actum perfectae contritionis praestabunt. Inde crescit difficultas prudentis actionis. Hanc tamen sic adumbrare posse videmur.

1. In *tradenda doctrina christiana,* lex cum sua exceptione integre et clare proponenda est. Quo iure enim liceret nobis quasi dissimulare partem canonis quem Ecclesia omnibus fidelibus destinavit? Et quae sunt vel non sunt necessaria, sincere et aperte declaranda sunt, ut ait BALL.-PALM., *Op. theol. mor.* IV, n. 912, « ut periculum caveatur, quod non est remotum, sacrilege ex erronea conscientia communicandi ». Atque *obligatio* stricta confessionis limitanda etiam est ad peccata certo mortalia et post confessionem commissa.

Verum *in recto* praedicabitur obligatio confessionis, *in obliquo* tantum sufficientia contritionis si communio sit necessaria et nulla copia confessarii habeatur. In qua necessitate urgebimus obligationem contritionis perfectae.

Nusquam autem, aperta contione, haec regula ut *directiva* dabitur: « post peccatum grave, si nimis difficilis fuerit accessus ad confessarium, elicite actum contritionis et sacram mensam participate ». Quis enim non videt huiusmodi directione non parum

detractum iri de reverentia augustissimo sacramento debita; immo pluribus vim tentationum adauctum iri, suppressa necessitate omittendi communionem vel adeundi confessarium: quae molestia salutaris esse consuevit?

2. Iis a quibus irreverentia maxime timenda est, ne in confessione quidem *generale* consilium per se dari poterit communicandi sine praevia confessione post commissum peccatum grave, sed tantum casui particulari hac ratione prospicere fas erit.

Multo minus huiusmodi consilium dari poterit iis qui pravam consuetudinem deponere debent.

Longe melius erit fortiter urgere apud ipsos ut notam quae non est nisi mirationis vel cuiuspiam suspicionis contemnant, eamque praecaveant, interponendo ab initio inaequalia intervalla inter suas communiones.

3. Personis quae per se magis timoratae sunt, ut moniales et Sorores, in primis proderit si ita instruantur ut peccata dubia a certis discernant.

Hic tamen, prudenter libratis adiunctis, fieri potest ut studium veritatis et removendum periculum sacrilegii suadeant vel adeo imperent monitionem qua certiores fiant non peccari ab eo qui, post peccatum grave, solo elicito actu perfectae contritionis, ad sacram mensam accedat, si non possit aliter vitari confusio similis eius qui in scamno communicantium peccati memor fieret.

De hac re (de sufficientia contritionis) « saltem in particulari paenitens ille cui hoc expedire videbitur instrui poterit ». Sic AERTNYS-DAMEN, II, 167.

« Necessitas communicandi, repetit ARREGUI, *Summarium,* n. 545, 3^{0} difficilius adest, at censetur haberi, cum sine gravi nota vel suspicione communionem omittere non possis ».

De onanistico matrimonii abusu et opponenda resistentia.

I. *Status Quaestionis.* Pestis onanismi coniugalis quae, variis praetextibus (1) colorata, fere ubique luendo modo saevit, varias formas induit quas, pro nostro intento, ad tres revocare possumus. Una enim nullam cooperationem postulat alterius coniugis: haec est propria uxoris quae per antisepticam vaginae praeparationem vel lotionem, fecundatum semen occidere cogitat; altera et tertia a duobus coniugibus aliquo modo simul exerceri debent. Verum inter utramque istud interest, quod in altera actus bene inchoatus ab alterutro se retrahente ante spermatis infusionem male interrumpitur, dum in tertia, vir « condom » indutus, copulam ab initio vitiat.

Quocirca, communi quidem consensu exercitus, uterque modus intrinsece et graviter illicitus est; sed, si alter coniux recte uti voluerit matrimonio, omnemque formalem cooperationem alterius peccato repudiaverit, permittitur admittere alterum coniugem ad recte inchoandam copulam, quam is tamen subinde male abrumpere proposuit. Et quam diu actus recte fit, coniux innocens nulla fruitione interdicitur.

Coniux *innocens*, inquam. Si enim communi consensu statuerint copulam intempestive abrumpere, neuter poterit plenam fruitionem cupere, praeparare vel acceptare.

Ad complementum doctrinae de isto casu, istud etiam addendum est, coniugem innocentem caritate teneri ad negandum debitum coniugi qui copulam mere abrumpere proposuerit, si paucis repulsis eum ad honestum coniugii usum adducere possit.

Neque umquam, frustra nonnullis contradicentibus, obligatur ad copulam acceptandam quam novit non recte perfectum iri. Ad legitimum enim matrimonii

---

(1) Inter *praetextus* ponenda est etiam sic dicta copula dimidiata, quae, propter ipsum timorem completae, saepe est falsa, ita ut eosdem effectus sterilitatis habeat quos artes neomalthusianae. Propter quam rationem etiam, ni fallimur, effugium dimitiatae copulae severe reprobatum est ab Episcopis Neerlandiae et a S. Officio, 22-23 nov. 1922.

usum, non ad peccaminosum, promisit et corpus suum alteri tradidit.

Verum cum, propter adhibitum « condom » seu tegumentum, copula ne rectum quidem initium habet, tunc omnis *formalis* cooperatio ad malam actus exsecutionem omnino reprobanda est et reprobatur (1).

Verum quaeritur de **materiali**, *quousque cooperatio dici possit materialis* et *ob quasnam causas praestari licite queat.* Quaestio etiam hac altera ratione ponitur: quanta resistentia opponenda est ab uxore viro qui nefanda ista ratione copulam pseudo-coniugalem cum ipsa perficere statuerit.

II. **Praevia observatio.** Quam multas aerumnas, difficultates et anxietates haec mala viri voluntas honestiori uxori parare consueverit, nemo ignorat. Quam prudentiora futura sint matrimonia si, ante ipsa sponsalia, sive ipsa puella, sive eius parentes de moribus et intentione sponsi certiores se reddant! Quanto felicior vita mulieris innuptae quam eius quae cotidianis viri peccatis tristis et inermis assistere cogitur! Itaque, si vel modice sapiant, ne dubitent puellae christianae nuptias firmiter declinare a quibus triplex coniugii bonum: fidem, prolem, sacramentum, sibi promittere nequeunt.

Verum, postquam matrimonium utcumque celebratum est, possit quispiam, misericordia motus erga infirmiorem uxorem, eius plorandam sortem mitigare velle, temperando, quantum fas sit, severitatem principiorum. In qua re, non modico errore deceptus fuerit.

Hoc enim habet humana psychologia, ut ne formaliter cupiat quidem quod *ab initio* sibi plane impervium perspexerit, dum, contra, per vias parumper apertas, libido penetrat numquam satiata, ipsis con-

(1) Distinctionem istam quam ALBERTI et PRUEMMER neglegere visi sunt, ipsa S. Sedes ultimis S. Paenitentiariae responsis confirmavit. Cf. infra resp. 3 iun. 1916.

cessionibus audacior facta, donec maxime turpia et inhonesta proponat.

Quare a multis angustiis se in antecessum expedit uxor quae a primo tentamine rei minus honestae fortiter incolumem tuetur suam dignitatem, ita ut ne cogitatio quidem rei peioris mentem mariti subintret.

Sed iam ipsa proposita quaestio directe aggredienda et solvenda est.

III. **Questionis solvendae principium** istud poni potest.

Non magis copulae ab initio vitiatae uxor annuere potest quam mulier innupta violationi sui corporis.

Id iam efficitur responso S. Paenitentiariae quae, de casu nostro interrogata, respondit copulam istam absolute negandam esse.

Responsum S. Paenitentiariae 3 iun. 1916:

« I. — Utrum mulier, casu quo vir ad onanismum exercendum uti velit instrumento, ad positivam resistentiam teneatur?

« II. — Si negative, utrum sufficient, ad resistentiam passivam ex parte mulieris cohonestandam, rationes aeque graves ac pro onanismo naturali (sine instrumento), vel potius omnino necessariae sint rationes praegravissimae?

« III. — Utrum, ut tutiori tramite tota haec materia evolvatur et edoceatur, vir talibus utens instrumentis oppressori vere debeat aequiparari: cui proin mulier eam resistentiam opponere debeat quam virgo invasori?

« Resp. Ad primum: Affirmative.

« Ad secundum: Provisum in primo.

« Ad tertium: Affirmative ».

Id ipsa ratione confirmatur. Mutua corporum traditio qua contractus matrimonialis et, inter christianos, sacramentum matrimonii celebratur, fit ad actus con-

summatos secundum naturam atque ad actus incompletos qui ad istam consummationem aliquem ordinem habent, sin minus subiective seu ex intentione, saltem obiective. Huiusmodi non est ista falsa copula quae peragitur a viro qui « condom » induit. Ergo ad actum istum consensus matrimonialis nec datus est nec dari potuit. Quare pro actu isto coniuges sunt *quasi non coniugati.* Immo potius in peiore condicione versantur, cum peccato isto violetur sanctitas matrimonii, quae in personis solutis laedi non potest.

Videamus iam quamnam *resistentiam puella* oppressori opponere debeat.

Duplex *forma resistentiae* distinguenda est. Altera, seu maxima, in hoc est ut puella manus iniciat in invasorem pudicitiae suae, quantum satis sit ad tuendam suam integritatem. Nec occisio quidem invasoris hac forma excluditur.

Altera, seu minor et minima, in hoc consistit ut, sine vi illata invasori, puella se ab illo defendat per alia media, utputa clamando, vel saltem membris suis seu corporis agitatione impediendo pravi consilii exsecutionem.

Rursus autem *duplici modo*, quamvis invita, puella violationem sui corporis admittere potest. Potest enim vel se componere immediate vel mediate (exuendo vestes) ad alterius peccatum, vel, nihil active praestando, mere a resistentia cessare et tenere se quietam et immobilem.

His praestitutis, **videamus iam quid probati auctores de ista resistentia senserint.** Audiamus Doctorem Navarrum, Salmanticenses, S. ALPHONSUM.

Quod satis erit, cum ipsi testes simul sint opinionis communis.

De casu proposito, AZPILCUETA (Doctor Navarrus) haec habet *Manuale*, c. 16, n. 1 :

« Quaelibet carnalis copula extra matrimonium est culpa letalis: neque metus aut minae mortis vel infamiae, neque pudor vociferandi, neque timor infamiae quae vociferationem consequeretur ab hac culpa excusat. Sufficit enim voluntas aut consensus etiam coactus ut culpae mortalis macula contrahatur; excusaret tamen vis absoluta qua sine ullo consensu cogeretur adulterari aut fornicari, neque tenetur manus iratas inicere in eum qui vim inferre nititur, neque clamore se defendere. Satis est enim non consentire ad hoc ut non peccet coram Deo mortaliter, ut singulariter dixit SOTUS, L. 5, q. 1 art. 5 *De iustitia et iure*. Illud vero quod idem SOTUS addit, non teneri scilicet eiusmodi feminam etiam suis propriis membris resistere, et quod satis sit non se componere aut praeparare ad obscenum illum actum, dummodo animo non consenserit, difficile profecto poterit contingere. Quare credo paucas honestas repertum iri quae aliquo modo non resistant, saltem sine clamore et sine manuum iniectione in eos qui eas tanta iniuria afficere nituntur.

« Interrogatus autem an sentiam peccare mortaliter quae saltem suis membris sine clamore et percussione non resistit; et quid si ob metum aptat in id sua membra....? Respondi me sensisse non peccare solum non resistendo; sed sic, alia in quaestione contenta faciendo, quia ea faciens licet non consentiat ipsi actui obsceno participat tamen cooperando ad illum, quod sufficit ut peccet, iuxta tradita supra c. II n. 12 et fusius, c. 17 n. 20; quae autem solum non resistit, non cooperatur, sed solum patitur ».

Salmanticenses, Tr. XXV c. I n. 125 ss. sic sentiunt.

Distinguunt vim absolutam et vim quae locum subiecto relinquit ut se determinet et voluntarie operetur; apud omnes inconcussum quod femina in casu quaestionis tenetur potius mortem pati quam turpidini consentire. Quod si invasor sub mortis vel alterius praegravis damni poena feminae praecipiat ut se praeparet ad congressum turpem, hoc mulier nullatenus efficere potest, cum eiusmodi praeparatio sit actio cooperativa et dispositiva ad peccatum, praestans influxum in copulam illicitam: quandoquidem nullum signum ex parte feminae ita demonstrat consensum venereum et turpem sicut dicta praeparatio ad tam inhonestum actum..... Num ipsi licet permissive se habere, vel teneatur potius permittere se occidi..... Duplex sententia..... Ubi non est consensus nec cooperatio in peccatum nequit esse culpa..... Feminam permissive se habere in sui

violationem..... est *quietam et immobilem esse* ex parte actuum exteriorum; minime vero circa actum internum voluntatis.

« Secunda sententia (quam amplectimur) est affirmativa;.... qui per voluntarium simpliciter tale efficit aliquid cooperativum peccati letalis letaliter peccat;..... Sed femina permissive se habendo in sui violationem, hoc efficit;..... Quies et immobilitas feminae in ordine ad talem congressum est cooperatio voluntaria et moralis in illum saltem interpretativa;..... eius voluntas imperat omissionem illorum actuum facultatum exteriorum, ne morte afficiatur;..... reputatur ut actio illa quies et immobiliter voluntaria simpliciter ».

S. ALPHONSUS demum, duobus locis *Theologiae moralis* rem nostram attingit: in L. III, n. 368 et n. 430.

In posteriore loco, ipse distinguere videtur duos casus: mulieris quae mere impudicos tactus vitandos habet, et mulieris cui quispiam tentat copulam extorquere. Priorem casum sic proponit et solvit: « Utrum mulier, vi oppressa ad vitandos *impudicos tactus alterius,* teneatur etiam clamare si oporteat? Affirmant *Salmanticenses* ibidem (i. e. de VI Praec. c. 3, puncto 3, § 5) n. 63 cum CAIETANO, ex communi, ut asserunt, et probant ex Deuter c. 23 n. 24..... Sed valde probabiliter dicit NAVARRUS, *Summ.* c. 16 n. 1, SOTO, *De iust.* L. 5, q. 1, art. 5, et BONACINA, De VI Pracc. q. un. n. 10 cum REG. non teneri mulierem ad clamandum cum periculo notabilis damni, sive infamiae vel nimiae verecundiae; quia tunc, si aliter iam resistat quantum potest, non tenetur cum tanto suo incommodo vim repellere (1). Excipe si adsit periculum proximum consentiendi ».

De *copula* autem sic prosequitur: « Non negandum tamen quod si mulier sit in periculo proximo consentiendi in copulam, ob experientiam anteactam vel ob sui cognitam fragilitatem, teneatur utique clamare ad se liberandum ab illo congressu ».

Dein ad casum extremum devenit copulae quae minis mortis extorquetur. Cum autem breviter repetita responsione, nos remittat ad n. 368, ubi idem quaerit de virgine, hunc locum afferre nobis sufficiet.

« An virgo teneatur potius permittere se occidi quam violari, puta si invasor minetur ei mortem si copulae non acquiescat? Adest duplex sententia.

« Prima, quam tenet NAV., *Summ.* c. 16 n. 1, SOTO, *De*

(1) Attamen in *Hom. Apost.* tr. 9 n. 6, ait, ut notat edit. HEILIG « contraria sententia ut tutior est consulenda ».

iustit. L. V. q. 1 art. 5, item. TOLET., LOPEZ, et alii apud Salmanticenses de V Praecepto, c. 1, punct. 5, § 2 n. 127, dicit quod licet possit, non teneatur tamen femina mortem pati, sed potest tunc permissive se habere dum accidit copula; modo voluntate positive resistat et consensus periculum absit, quia, ut dicunt, illa permissio non est tunc cooperatio moralis sed tantum materialis, et ideo ob periculum mortis satis excusatur.

« Secunda sententia, quam tenent SALM. loco citato n. 128 cum LUGO, AZOR, BON., FILL., PAL., etc. docet hoc omnino illicitum esse, quia cum femina possit copulam impedire, si timore inducta quiescit, eius tunc cooperatio vere moralis et voluntaria fit; in femina enim illa quies in copula reputatur ut actio. Haec ratio tamen non convincit, quia illa quies feminae revera non potest dici actio, dum nullo modo est positiva; ideo prima sententia (speculative loquendo) sua probabilitate carere non videtur. Non tamen negandum secundam sententiam omnino suadendam esse, saltem ob periculum consensus quod in illa permissione facile adesse potest. (1) »

Ut haec iam, resumptis resistentiae formis, in pauca contrahamus:

1. Manus in invasorem pudicitiae inicere, servato moderamine iustae defensionis, femina potest; per se tamen non debet. Id non controvertitur.

2. Minor resistentia, qua aliis mediis invasorem pudicitiae positive repellere conatur, sive clamando, sive removendo aggressorem, sive efficiendo agitatione membrorum ut accessus corporis impediatur, per se adhibenda est.

3. Si tamen de solo tactu impudico patiendo agitur, clamor saltem omitti potest, propter periculum gravis damni, vel nimiam verecundiam.

Estne fas aliam resistentiam omittere? Citati auctores casum non contemplantur nisi ubi ipsa copula attentatur.

4. Itaque, cum ipsa copula attentatur, iam tunc, propter periculum consensus, clamor difficilius omitti potest.

(1) Fac observes, ut apparet ex editione P. GAUDE, non nullos auctores esse minus accurate a S. ALPHONSO allegatos.

Severe autem excludunt omnem cooperationem *positivam,* quod saltem de *immediata* exploratum est, nec controvertitur. Mera cessatio ab omni resistentia, seu corporis quies et immobilitas a pluribus ei conceditur quae, si resistere perrexerit, mortem pati debuisset. Ac iure et merito S. ALPHONSUS confutat argumentum eorum qui ne hanc quidem licitam esse posse dicunt. Nihilominus, L. 3, n. 430, benigniorem sententiam speculative potius quam practice probabilem dicit.

Ut severitas doctorum quos S. ALPHONSUS speculative redarguit melius capiatur, consideres quantum praesens casus differat a casu ubi quis minis mortis adigeretur ad auferendam vel tradendam rem alienam, atque etiam a casu ubi quis iuberetur se physice disponere ad vulnus letale suscipiendum. Res temporales, etiam alienae, primaevam suam destinationem ad commune hominum bonum minime amiserunt; quare in extrema necessitate, fas est bona ista tamquam a nemine possessa seu vacantia tractare. Non ita autem corpus, quatenus cum anima componit personam humanam. Aptatio autem corporis ad suscipiendum vulnus letale, tam seiuncta est ab ipsa actione qua vulnus infertur, ut statim cernatur esse mera materialis cooperatio, vacua etiam omni periculo consensus. Dum in copula ipsum corpus personae oppressae intime concurrit cum oppressore, et quidem delectabiliter. Inde difficultas quaedam distinguendi materialem et formalem cooperationem; inde periculum consensus. Cum autem nullum malum corporale (mors, mutilatio) timendum est, sed solum malum morale, cooperatio multo facilius fit formalis, ita ut copula videatur magis propria voluntate electa ad malum istud vitandum.

IV. — **Applicatio ad cooperationem uxoris** cuius maritus vult, adhibito « condom », ad eam accedere.

1. Inter virginem quam quis velit opprimere et uxorem, istud interest, quod actus praevii oppressioni virginis nihil aliud significant nisi praeparationem actus qui gravissime omni consentienti illicitus est, dum iidem actus disponunt uxorem etiam ad imperfectas fruitiones quae inter coniuges obiective licitae sunt. Quare positiva cooperatio materialis quam *remotam* diximus, ab uxore quidem merito negatur, sed negari stricte debere non videtur. Huiusmodi est etiam tori communio, nisi facta sit uxori proxima peccandi occasio quae in remotam converti nequeat. Etenim nullus *consensus* ad istam onanisticam copulam obiective immunis est a gravi peccato.

2. Nulla alia ratio admittendi virum ad copulam quae ab initio vitiata sit excusari potest, praeter passivam istam quae est in quiete et corporis immobilitate.

3. *Passiva permissio* (1) excusari nequit ob timorem ne maritus frigido modo agat, ne omne maritale commercium cum ipsa abrumpat.

4. *Passiva permissio* non videtur excusari posse propter afflictiones *morales*, v. g. adulteriorum, divortii, sive solae mansurae sint, sive simul praevideatur fore ut uxor infamiam patiatur, ut ipsa et proles alimentis careant. Id saltem urgendum est si quaestio fiat de permissione *habituali*, non de *mere accidentali*.

5. Nec minae verberationis, nec percussiones etiam repetitae, nec reductio uxoris ad condicionem ancillae efficiunt ut *habitualis* permissio (etiam solummodo passiva) legitima haberi possit.

6. Percussiones recentes et mox iterandae nisi uxor saltem permissive se habeat, videntur excusare posse *accidentalem* permissionem passivam quae ab auctoribus pro non intrinsece mala habetur.

---

(1) In hoc est, ut uxor dicat marito: Omnino improbo tuum modum mecum congrediendi, sed positive non resistam; me reperies immobilem et quietam.

7. Solae minae mortis vel mali aequivalentis, quando et quam diu moraliter permanere censeantur, excusare posse videntur uxorem quae habitualiter se habeat permissive, dummodo suum dissensum manifestare pergat, et proximum consensus periculum abesse prudenter iudicari possit.

8. Plerumque non expedit uxorem instruere de modo quo resistere debeat, sed satius erit eam monere, de negando absolute omni consensu et opponenda positiva resistentia. Ita, in adiunctis nimis difficilibus, salvabitur sua bona fide, ita etiam, confessarius periculum declinabit falsi intellectus seu interpretationis verborum suorum.

Hactenus, quae de argumento non facili sed nimis practico modeste proponenda putavimus, ut aliqua magis distincta rei informatio non sit frustra in votis confessarii, pro prudenti dispensatione sacramenti paenitentiae.

De litteris S. C. Concilii, 1 iul. 1926 (Cf. *Per.*, supra p. 161-163).

Quod, in fasciculo proxime superiore prae adiunctis temporis non licuit, iam nunc perficere cogitamus, i. e. ut paulo plenius commentemur litteras circulares quas *S. C. Concilii* inscripsit: « Ad omnes Ordinarios, de sacerdotibus valetudinis vel rusticationis animique causa (1) extra suam dioecesim se conferentibus ».

I. Titulus litterarum latius spatiatur quam ipsae litterae, seu, ut dici consuevit, *rubrum* excedit *nigrum;* et *finis* litterarum amplior est quam earum *occasio.* Etenim, dum titulus complectitur sacerdotes qui « valetudinis vel rusticationis animique causa extra suam dioecesim se conferunt », in corpore litterarum directe

(1) *Animi causa,* hoc loco non significat propter bonum spirituale suum, sed significationem habet etiam apud Ciceronem usitatam: voluptatis causa, ad refocillandum animum, i. e. vires morales.

non nominantur nisi qui valetudinis causa rusticationem suscipiunt.

Occasionem autem litteris dedit scandalosa mundanitas qua non nulli sacerdotes quasi statum suum profanare videntur dum rusticatum eunt in alienam dioecesim. Verum, cum etiam aliis temporibus sacerdotes itinerantes extra dioecesim sic propriae dignitatis immemores esse possint, pleraque praescripta litterarum valent de omnibus istis qui non propter seria negotia sed valetudinis vel recreationis causa extra propriam dioecesim itinerantur vel per aliquod tempus in aliena resident.

II. Statim autem subit mentem hoc dubium, utrum S. Congregatio quidpiam novum statuat, an mere ex iure communi iam promulgato depromat sua statuta.

Nec de re prorsus nova agi posse iam probat istud, quod litterae non leguntur fuisse Summo Pontifici pro approbatione subiectae. Iam vero, ex c. 244 § 1, confirmante C. *Sapienti Consilio*, 29 iun. 1908, fine (*Per.*, IV, 230) nihil grave aut extraordinarium in Congregationibus agendum est quin Romano Pontifici fuerit ante significatum.

Litterae igitur potius continent Instructionem, omnino ad mentem iuris communis, in qua tamen quaedam secundaria praescribuntur, fere qualia pro propriis subditis et in proprio territorio ipse Ordinarius praescribere posset.

Ita, art. 1 de residentia, mere urgetur canon 143; dum art. 2 et 3, quaedam proprie praecipiunt Ordinariis, et art. 4 imperat significationem antea non necessariam. — Nova est etiam praescriptio art. 5. — In art. 6, a) nova condicio apponitur pro concessione « Celebret », dum vigilantia ex ipsa natura muneris sui ab Ordinariis exercenda est. — Art. 6, b) monentur Ordinarii ut poenas quas possunt statuant; art. 6, c) confertur potestas quae saltem, sine istis lit-

teris, dubia foret. Denique art. 6, d) iurisdictione muniuntur Ordinarii locorum ad multandos istos sacerdotes; et art. 6, e) relatio facienda praescribitur ut nova obligatio.

Hactenus quae sacerdotes tum saeculares tum religiosos non exemptos respiciunt.

De exemptis autem nihil novum statuitur, cum iurisdictio in exemptos propria sit *S. C. de Religiosis*, vel supponat speciale mandatum S. Pontificis.

III. Restat ut quaedam particularia explicemus.

1. In art. 5 verba *quam primum* servant suam consuetam significationem: quam primum satis facile fieri potest, non stricte immediate.

2. Art. 6 locum dat cuipiam difficultati. Ius commune enim non prohibet aditum theatrorum, cinematographorum publicorum, sed (can. 140) vetat ne clerici intersint « spectaculis, choreis et pompis quae eos dedecent vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris ». Attamen quia saepe, immo plerumque quae in istis locis publicis exhibentur vel turpia sunt vel saltem clericos dedecent, Episcopi possunt simpliciter aditum istorum locorum in territorio suo prohibere. Post huiusmodi prohibitionem, praesentia sacerdotum etiam extraneorum fit scandalosa, ac proin lex ista ex iis est quae, quia ordinem publicum tuentur, etiam ab extraneis observandae sunt. (Cf. De notione legum quae ordinem publicum tuentur, VAN HOVE, *Ephemerides Lovanienses*, I, p. 157 ss. vel nostram *Epitome* I, n. 83.)

3. Poterantne sine istis litteris ab Ordinariis opportunae poenae constitui contra sacerdotes extraneos qui scandalum dederint ?

Haec principia applicanda sunt: *a*) peregrini afficiuntur poenis annexis legi *particulari* qua obligantur (c. 2226 § 1); *b*) non afficiuntur poenis indictis ab Ordinario loci propter violatam legem naturalem vel uni-

versalem (S. ALPH., VII, 350, vel D'ANNIB., I, 296, vel CREUSEN, *Epitome,* III, 417.) — *c*) Scandalosum tamen factum poena arbitraria puniri poterit (c. 2222 coll. cum c. 1566).

Quare, affirmative respondendum est, vi c. 2222 § 1, si scandalum consistat in violatione scandalosa legis particularis qua tenebantur; si autem lege particulari non tenebantur, sola poena arbitraria, culpae proportionata, ab Ordinario plecti possunt ratione scandali. Cf. VAN HOVE, l. c., p. 161.

4. Comminatio suspensionis ipso facto in casibus art. 6, c. incurrendae, non videtur ab Ordinariis ferri potuisse sine auctoritate praesentibus litteris data.

5. Vestis talaris de qua agitur in eodem art. 6, c. intellegenda est de qualibet veste quae, pro more regionum, a clericis ferenda est ut a laicis distinguantur.

6. Art. 6, d, derogat iuri communi quo peregrini non tenentur legibus particularibus locorum « iis exceptis quae ordini publico consulunt » (c. 14 § 1), saltem quatenus non agatur de violatione legis particularis quae peregrinos obligat. Cf. *Epitome*, III, 417, vel VAN HOVE, l. c., p. 161.

Hac dispositione igitur S. Congregatio confert, quatenus opus sit, iurisdictionem poenalem in istos clericos peregrinos.

6. Licentia celebrandi tunc a Curia dioecesana negabitur, cum ab ea petenda erit. Antea igitur poterit sacerdos rusticaturus a rectore ecclesiae admitti ad celebrandum secundum normas can. 805, quae permittunt ut admittatur ad celebrandum sacerdos qui proprii Ordinarii litteras commendaticias habeat; immo ut admittatur semel vel bis sacerdos, his litteris carens et ignotus, dummodo, ecclesiastica veste indutus, nihil ex celebratione ab ecclesia in qua litat percipiat, et nomen, etc. signet.

Quaesita canonica.

1. Iuridica condicio eius qui ab Episcopo non proprio primam tonsuram recepit.

I. **Species facti.** — Ambrosius originem sortitus erat in dioecesi X, ubi natus erat et parentes habitabant. Ipse autem, minor natu volebat servire dioecesi Y. Ideo missus est in minus seminarium dioecesis Y, ut ibi studia humaniora perageret. His completis, *vicennis* missus est Romam pro studiis sacris. Solebat autem per ferias domum paternam in dioecesi X repetere. *Viginti tres annos* natus, sub initio studiorum theologiae, Romae accepit primam tonsuram cum litteris dimissoriis Episcopi dioecesis Y.

Iam *quaeritur*:

I. — 1. *Eratne Episcopus Y competens* ad litteras dimissoriales dandas.

2. *Potuitne fieri* Episcopus *proprius, si* tonsurandus *emisisset iuramentum* perpetuo serviendi dioecesi Y?

3. Et quatenus negative, *estne alicui* dioecesi ascriptus?

Responsa.

Ad 1. Episcopus Y *non erat competens*, quia non erat Episcopus originis vel domicilii. Non erat Episcopus originis: id est in confesso. - Non erat Episcopus domicilii. Etenim, quam diu Ambrosius erat minor natu, domicilium legale habebat apud suos parentes nec proprium acquirere poterat (c. 69 et 93) (1). Maior autem effectus, cum per ferias rediret ad parentes suos, numquam habuit in dioecesi Y commorationem cum praesenti intentione ibi in perpetuum manendi. Commorabatur enim Romae et in dioecesi X; intentio autem eius respiciebat tempus futurum.

(1) Estne hoc tam absolute verum, ut valeat etiam in rebus spiritualibus in quibus minor est sui iuris? Id speciali inquisitioni reservamus.

Ad 2. Deficiente domicilio, *nec per iuramentum* poterat efficere ut Episcopus Y fieret ipsius Episcopus proprius (c. 956).

Ad 3. In *Epitome iuris canonici*, quem cum P. CREUSEN conscripsimus, is I, 202, nescio an primus, rem nostram tangit. Casus autem versat tonsurae collatae illegitime a Vicario vel Praefecto Apostolico qui careant charactere Episcopali: et collationem istam pronuntiat invalidam; - dein tonsurae collatae ab Episcopo titulari, vel ab Episcopo non proprio sed sine intentione incardinandi tonsurandum suae dioecesi: et clericum nulli dioecesi incardinatum dicit. Casum igitur nostrum praetermittere videtur.

Quid iam dicemus?

Canon III § 2 haec absoluta profert: « Per receptionem primae tonsurae clericus ascribitur seu, ut aiunt, *incardinatur* dioecesi pro cuius servitio promotus fuit ».

Atqui Ambrosius recepit tonsuram pro servitio dioecesis Y. Ergo, secundum expressam litteram Codicis, est incardinatus dioecesi Y. Neque ullus canon istam efficaciam primae tonsurae, exclusive propriam dicit tonsurae legitime collatae.

Non potuit tamen illegitima collatio laedere ius quaesitum quod Episcopus dioecesis X habebat ratione originis et domicilii in Ambrosium.

Quocirca existimamus clericum Ambrosium ut suum vindicari posse ab Episcopo dioecesis X, ita ut ieus incardinatio in dioecesi Y sit precaria, quatenus Episcopus dioecesis X abstineat vindicatione.

II. His positis, quaeritur *quid* Ambrosio *faciendum sit a*) Ut *ordines* legitime recipiat; *b*) ut *stabilis* fiat eius incardinatio in dioecesi Y.

Responsa.

Ad *a*) Quam diu, tacente Episcopo dioecesis X, incardinatus manet in dioecesi Y, poterit legitime

ordinari ab Episcopo dioecesis Y vel cum litteris dimissoriis eiusdem Episcopi; si vero vindicatur ab Episcopo X, opus habebit vel manibus vel litteris dimissoriis istius Episcopi, cum ad eius dioecesim pertineat.

Ad *b*) Stabilem incardinationem varia ratione obtinere potest: *a*) per actum quo Episcopus dioecesis X directe cedat iure suo. Et cum Ambrosius sit per primam tonsuram incardinatus dioecesi Y, non est necesse ut excardinetur a dioecesi X. - *b*) Per litteras dimissorias quibus Episcopus dioecesis X mandet ut Ambrosius ordinetur pro dioecesi Y, quo casu, secundum responsum privatum Pont. Commiss. Interpr. statim incardinatur dioecesi Y (*Per.*, XII, 73); - *c*) Fortasse (1) etiam, acquirendo domicilium in dioecesi Y per veram habitationem (cum intentione quam habet) et tunc emittendo iuramentum quod nunc praepropere emisit.

N. B. Tonsuratus nulla poena canonica plectitur propter receptionem tonsurae ab Episcopo non competente; neque, in casu, Episcopus collator primae tonsurae plectitur poena suspensionis per annum can. 2372, quia omnia bona fide peracta sunt. Possitne etiam dici canone isto, qui loquitur de ordinatione non contineri collationem primae tonsurae? CERATO, *Censurae vigentes*, n. 131; CAPPELLO, *De Censuris*, n. 169 ed. 1; CHELODI, *Ius poenale*, n. 94; FERRERES, *Institutiones*, II, 1176, affirmant puniri hac poena etiam collationem primae tonsurae, cum, secundum c. 950, nomine *ordinis*, *ordinationis*, veniat quoque prima tonsura, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur.

II. — **De Quarta Funerali.** Titius, qui domicilium habebat in loco A, sanitatis recuperandae causa se contulit in locum B, valde distantem a loco A, apud

---

(1) Fortasse, inquam, quia obici potest ius Episcopi dioecesis X novo facto tonsurati laedi non posse. Id separatim examinabimus.

filium suum qui ibi instructas aedes possidebat. Ibi autem, post commorationem aliquantum ultra sex menses protractam, mortuus est. Ante mortem autem, Titius voluntatem expressit ut exsequiae suae celebrarentur in paroecia quam propriam in loco A habebat. Quare corpus defuncti illuc translatum est, ubi etiam iusta funebria persoluta sunt.

Quaeritur iam num parochus loci B a parocho loci A quartam funeralem postulare possit.

Resp. *Omne ius ad quartam funeralem a parocho B abiudicandum est.*

Utique, quia Titius mortuus est in loco unde non poterat commode in paroeciam domicilii transferri (c. 1236 § 1), et quia ipsa paroecia loci B facta erat propria ratione quasi-domicilii acquisiti per commorationem ultra sex menxes protractam (c. 92 § 2, coll. cum c. 94 § 1) ne parochus quidem loci B portionem paroecialem parocho domicilii solvere debuiset, si ipse funera celebrasset. Immo, per se, vi c. 1216 § 2, praeferendus erat parocho loci A, cum in territorio B. defunctus decessisset.

Verum id non impediebat quin defunctus posset pro exsequiis et sepultura eligere parochiam loci A. Quae cum manserit propria parochia, versamur extra casum in quo solo c. 1236 solutionem portionis paroecialis imponit: « quoties fidelis non funeratur in ecclesia paroeciali propria ».

III. — **De sepulcro gentilicio in ecclesia.** Sempronius, ante Codicem, sepulcrum gentilicium possidebat in ecclesia nec paroeciali nec regulari. Cum nunc c. 1205 § 2 prohibeat ne cadavera fidelium (quibusdam personis exceptis) sepeliantur in ecclesia, **quaeritur** 1. num Sempronius appellare possit *ius quaesitum*, cui Codex non expresse derogat in casu, ut ipse et filii eius sepeliantur in dicta ecclesia (can. 4); 2. Num ecclesia ius sepeliendi et funerandi istam familiam ser-

vaverit, quamvis nunc non posset eligi ut funerans; idque dependenter vel independenter a servato sepulcro in ecclesia?

Resp. 1. Acquisitio sepulcri nullum ius quaesitum dat contra can. 1205 § 2. Facta enim secundum legem vel consuetudinem antea vigentem, et non propter alium titulum, mutata lege, iam nullo titulo innititur. Sepulturae anteriores legitime factae sunt, sed novae in ecclesia manent prohibitae (Cf. *Epit.*, I, n. 54 et 75). Verum Episcopus, si in loco habebatur consuetudo saltem centenaria contraria novo canoni, consuetudinem illam firmare potest suo assensu; ac praeterea, in casu particulari saltem urgenti, possit dispensare in isto canone, vi c. 81. Res igitur videtur cum Episcopo componi posse. (Cf. MATTHAEUM A CORONATA, *De locis et temporibus sacris*, n. 138.)

Ad 2. Sive sepulcrum, e sententia Episcopi manserit in ista ecclesia, sive removeri debuit, ecclesia servat ius suum quaesitum sepeliendi familiam Sempronii, nisi unus ex ista familia aliam ecclesiam elegerit. Atque etiam si sepulcrum in coemeterio communi iam collocetur, istud coemeterium censetur, quod ad effectus funeris, pertinere ad omnes ecclesias quae, nisi leges obstarent, ius tumulandi exercuissent.

IV. **De Professione sollemni coram solo Superiore.**

In regulis Ordinis Monialium statuitur ut sollemnis professio fiat coram Abbatissa seu Priore et Capitulo. Propter quandam causam quae rationabilis videbatur, cum ageretur de sananda professione ante tempus, bona fide, emissa, professio facta est coram sola Abbatissa seu Priore.

Quaeritur iam de *validitate* istius professionis.

Ipsa regula nullam sanctionem addit.

Resp. Codex can. 572 § 1, ad valorem professionis exigit ut professurus a legitimo Superiore ad-

mittatur ad professionem; et ut a legitimo Superiore secundum Constitutiones per se vel per alium recipiatur.

Ad valorem professionis sollemnis, exigit etiam ut praemissa fuerit professio simplex saltem per triennium. Nusquam autem postulat praesentiam testium.

In casu autem professio non recipitur a Capitulo, quod assistit mere ut testis. Ex c. autem 1680 § 1, nullitas actus non habetur nisi « in eo deficiunt quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut sollemnia seu condiciones desiderantur a sacris canonibus requisitae sub poena nullitatis ».

Ergo professio ista nullo vitio essentiali laborare dicenda est. Sola imminuta est vis probativa actus.

PARS ALTERA

MONUMENTA

1. — SS. D. N. PII Pp. XI

Litterae encyclicae 28 febr. 1926

DE SACRIS MISSIONIBUS PROVEHENDIS
(A. A. S. 1 mart. 1926, XVIII, 65)

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

E principali munere Ecclesiae dilatandi regni Christi exorta perpetua sollicitudo RR. Pontificum de ss. missionibus apud infideles.

Rerum Ecclesiae gestarum memoriam animo intento qui repetant, fugere eos nequaquam potest, inde a prioribus reparatae salutis aetatibus, eo praecipuas curas cogitationesque Romanorum Pontificum fuisse conversas, ut evangelicae lucem doctrinae christianaeque humanitatis beneficia populis « in tenebris et in umbra mortis » sedentibus, nullis unquam difficultatibus impedimentisque deterriti, impertirent. Neque enim ad aliud nata Ecclesia est, nisi ut, regno Christi ubique terrarum dilatando, universos homines salutaris redemptionis participes efficiat: quisquis autem est, qui Iesu Pastorum Principis vices in terris divinitus gerat, is tantum abest ut dumtaxat in tuendo ac servando, quem regundum accepit, grege dominico possit acquiescere, ut, contra, praecipuo muneri suo desit, nisi alienos externosque Christo lucrari atque adiungere omni contentione nitatur. Divinum profecto mandatum, quo obstringerentur, docendi baptizandique omnes gentes, nullo non tempore, decessores Nostros sic confecisse constat, ut missi ab iis sacri

ordinis homines, e quibus non paucos aut ob vitam sanctissime ductam aut ob factum animose martyrium, publice veneratur Ecclesia, Europam et vix inventas exploratasque deinceps ignotas terras fide nostra, vario quidem exitu, collustrare studuerint: vario exitu, inquimus; interdum enim contigit, ut, missionalibus paene incassum laborantibus vel caesis eiectisve, quem colere coeperant agrum, idem aut suam vix exueret asperitatem aut in hortum floribus consitum ante conversus, deinde, sibi ipse relictus, denuo in vepres dumosque, gradatim, abiret. — Laetari interea licet, postremis hisce annis, sodalitates illas, quae sacras Missiones apud infideles populos obeunt, novo quodam studio, curas et fructus duplicasse auctisque missionalium laboribus auctam respondisse ab christifidelibus opis subsidiique largitatem. Ad rem non est dubitandum quin magnopere valuerit Epistola illa Apostolica, quam proximus fel. rec. decessor Noster die XXX mensis novembris an. MDCCCCXIX « de fide catholica per orbem terrarum propaganda » ad Episcopos universos dedit; etenim cum ipsorum a Pontifice acueretur ad opitulandum industria ac sollertia, tum sapientissimis monitis Vicarii Praefectique Apostolici docebantur, quae propulsari incommoda, quae a suis officia, ad fructuosiorem sacrae legationis exercitationem, praestari oporteret.

Recens adaucta studia.

Memorata Apostolica epistola decessoris sui,

Ad Nos quod attinet, cognitum ac perspectum habetis, Venerabiles Fratres, ab ipsis Pontificatus primordiis, deliberatum Nobis esse nihil non experiri, ut ethnicis gentibus, praelato cotidie latius per apostolicos praecones evangelicae veritatis lumine, unam salutis viam sterneremus. Qua in re duo imprimis desiderari videbantur, utrumque non tam opportunum quam necessarium, alterumque arctissime cum altero coniunctum; scilicet ut multo maior, isque ab variis cognitionibus instructior, in immensas interminatasque regiones, christiani adhuc cultus exsortes, dimitteretur operariorum numerus, itemque ut fideles intellegerent, ad opus tam sanctum ac frugiferum quo animi ardore, qua precum apud Deum instantia, qua denique liberalitate esset sibi conspirandum. Huc nonne etiam intendebamus, cum in ipsis Aedibus Nostris sacrarum res Missionum publice ad spectandum proponi iussimus? Atque benignissimo Deo illud referimus acceptum, quod, quemadmodum audivimus, iuveniles nonnullorum animi, in eo conspectu et quasi spectaculo cum divinae gratiae tum magnanimitatis ac nobilitatis humanae, primos catholici apostolatus concepere igniculos; et, quae tanta invisentium multitudines incessit

et propria deliberatione de augendo numero missionariorum et subsidiis missionum amplificandis,

utilitate expositionis Missionum,

apostolicorum operariorum admiratiò, non eam inanem, non ab omni vacuam fructu futuram iam nunc spe bona praecipimus. At vero, ne documenta ac monita maximi ponderis, quae ex ipsis Missionum rebus quasi tacite significantibus exstiterunt, unquam concidant ac pereant, Museum — quod fortasse non ignoratis — ex delectissimis rebus, aptiore quidem modo dispositis, in Aedibus Nostris ad Lateranum constitui decrevimus, eo nempe loco, unde, post datam Ecclesiae pacem, in regiones, quae *albae iam ad messem* viderentur, tot a decessoribus Nostris apostolici viri, sanctitate vitae et religionis studio mirabiles, sunt deinceps dimissi. Quod quidem Museum quotquot invisuri sunt Missionum duces imprimis et gregarii, ut ita dicamus, milites, cum inter se singularum rationes comparaverint, iam ad meliora atque ad maiora spectabunt; qui autem e populo illud adierint, eos putamus non minus commotum iri quam qui Expositionem Vaticanam celebrarunt. Interea, ut excitata haec acriter christifidelium erga sacras Missiones voluntas acrius ad agendum incendatur, vos, Venerabiles Fratres, veluti inclamando, operam advocamus adhibitamque volumus vestram; quam, si in alia unquam re collocari decuit oportuitque, at in hoc potissimum genere ne assiduam studiosissimamque recusetis, prohibet vestrae officium dignitatis, et vel pietas in Nos vestra suadet. Quantacumque sane Nobis divino consilio reliqua erit huius lucis usura, Nos habebunt continenter anxios sollicitosque hae apostolici muneris partes; saepe enim reputantes, ethnicos homines ad decies milies centena milia numerari, non habemus requiem spiritui Nostro (1), et Nobis videmur Nosmet quoque voce illa percelli: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (2).

atque instituto Museo permanente,

Pontifex operam advocat Ordinariorum locorum.

Ipse infidelium numerus premit Pontificis animum.

Qui de ovili Christi sunt, eos nihil quicquam curare de reliquis qui extra saepta infeliciter vagantur, quam longe a caritate abhorreat, qua Deum atque homines universos complecti debemus, non est cur multis dicamus. Postulat sane nostrum in Deum caritatis officium non modo ut pro viribus eorum numerum augeamus, qui ipsum cognoscunt et adorant « in spiritu et veritate (3) », sed etiam ut sub amantissimi Redemptoris imperium quamplurimos subiungamus, quo uberior in dies « utilitas in sanguine (4) » eius exsistat, magisque eidem gratificemur, cui quidem nihil esse gratius potest, quam ut homines

Caritas Christi vult ut fideles solliciti sint de iis qui extra Ecclesiam vagantur.

(1) II *Cor.*, VII, 5.
(2) ISAI., LVIII, 1.
(3) IOAN., IV, 24.
(4) *Ps. 29*, 10.

salvi fiant et ad agnitionem veritatis veniant (1). Quandoquidem vero Christus hanc discipulorum suorum notam fore edixit peculiarem ac propriam ut diligerent inter se (2), numne maiorem insignioremque exhibeamus proximis nostris caritatem, quam si eos e superstitionis tenebris educendos germanaque Christi fide imbuendos curaverimus? Hoc immo ceteris caritatis operibus testimoniisque sic praestat, quemadmodum animus corpori, caelum terris, aeternitas tempori antecellit; quod quidem caritatis opus quicumque, quantum in se est, exercet, donum fidei tanti se facere ostendit, quanti aequum est, et gratum praeterea erga numinis benignitatem animum suum patefacit, id ipsum donum, omnium pretiosissimum, et alia, quibuscum coniungitur, cum miserrimis ethnicis communicando. Quodsi eiusmodi officium detrectare nullus e fidelium communitate queat, num clerus possit. qui sacerdotium et apostolatum Christi Domini, miro ipsius delectu ac concessu, participat: num vos, Venerabiles Fratres, possitis, qui, pro vestra cuiusque parte, christiano clero et populo, sacerdotii plenitudine insignes, divinitus praestis? Legimus equidem, non uni Petro, cuius Cathedram obtinemus, sed omnibus Apostolis, quorum vos in locum successistis, Iesum Christum praecepisse: *Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae* (3): unde liquet, propagandae fidei curam ita ad Nos pertinere, ut in laborum societatem Nobiscum venire Nobisque hac in re adesse, quantum singularis ac propria vestri perfunctio muneris sinit, sine ulla dubitatione debeatis. Itaque ne gravemini, Venerabiles Fratres, Nobis paterno animo hortantibus pie obsequi, a quibus rationem tantae rei haud exiguam Deus aliquando repetet.

Strictiore eiusmodi officio obstringuntur sacerdotes et episcopi: hi successores apostolorum.

Obtineant preces apostolicas

Atque primum, alloquendo id scribendoque efficite, ut apud vestros sanctam inducatis et sensim increbrescere iubeatis consuetudinem cum rogandi *Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam* (4), tum caelestis luminis et gratiae precandi infidelibus adiumenta; consuetudinem, inquimus, ac stabilem perpetuumque usum, quem nemo non videt multo plus, quam preces aut semel aut identidem indictae, apud divinam misericordiam posse ac valere. Elaborent quidem in traducendis ad catholicam religionem ethnicis et desudent et vel vitam pro-

(1) I *Tim.* II, 4.
(2) IOAN., XIII, 35; XV, 12.
(3) MARC., XVI, 15.
(4) MATTH., IX, 38.

fundant evangelii praecones; industriam, sollertiam artesque omne genus humanas adhibeant; at vero nihil iidem profecturi sunt, omnia in irritum cadent, nisi gratiâ Deus suâ infidelium tetigerit animos mollitosque ad se traxerit. Facile autem intellegitur, quemadmodum orandi copia nulli non datur, ita hoc Missionum praesidium ac quasi alimentum in potestate esse omnium; atque idcirco rem feceritis ab optatis Nostris et a popularium ingenio sensuque haud alienam, si iusseritis, exempli gratia, Mariali Rosario aliisque eiusmodi precibus, in curialibus ceterisque templis, aliquam unam pro Missionibus et pro ethnicis ad fidem deducendis precationem accedere atque adiungi. In id ipsum, Venerabiles Fratres, pueri praecipue et sacrae virgines advocentur, incendantur; cupimus scilicet, ut in Asylis, in orphanothropheis, quae vocant, in puerilibus ludis et conlegiis, itemque in omnibus religiosarum feminarum domibus vel coenobiis cotidie sursum adscendat oratio, et descendat in tot infelices homines, in tam crebras ethnicorum gentes Dei miseratio; innocentibus enim casteque viventibus quidnam abnuat Pater caelestis ac deneget? Nec alioqui diffidendum, in teneriores puerorum animos, quotquot, cum primum flos caritatis emergit, pro aeterna infidelium salute orare assuescant, posse appetentiam apostolatus, Dei numine, insinuari: quae, si accurate foveatur, datura fortasse est, successu temporis, operarios apostolico muneri non impares.

a populo, a pueris, a sacris virginibus

Rem vix attingimus sane dignissimam, in quam, Venerabiles Fratres, perdiligentem ipsimet considerationem intendatis. Nullum putamus esse, qui ignoret, detrimenta profecto haud parva fidei propagationem e recenti bello cepisse, cum e missionalibus alii, domum revocati, per immanis conflictionis vices occubuerint, alii, e suo laborum campo deturbati, territorium quisque suum diu incultum reliquerint: quae quidem detrimenta ac damna non tam reparari oportuit hodieque oportet, quam res in pristinum restitui, immo etiam provehi atque amplificari. Praeterea, sive infinitas locorum magnitudines spectemus, quae christianae humanitati nondum patuere, sive ingentem eorum numerum, qui redemptionis beneficiis ad hunc diem carent, sive necessitates et difficultates, quibus missionales, pro eorum paucitate, implicantur ac praepediuntur, eo concordes Episcoporum catholicorumque omnium conatus ferri oportet, ut sacrorum legatorum numerus augeatur et multiplicetur. Si qui igitur in dioecesi cuiusque vestra aut adulescentes aut clerici aut sacerdotes ad apostolatum eiusmodi praecellentissimum vocati divinitus videantur, propensis eorum consiliis studiisque gratia et

Multiplicandi sunt missionarii praesertim cum propter bellum imminuti sint numero.

auctoritas vestra obsecundet, nedum aliquo pacto obsistatis. Liceat quidem vobis, animo integro, probare spiritus si ex Deo sint (1); at si saluberrimum propositum Deo auctore haberi coepisse et maturescere iudicaveritis, iam nulla vos aut cleri penuria aut dioecesis necessitas exanimet atque ab consentiendo detineat, cum populares vestri, salutis adiumenta ad manum, ut ita dicamus, habentes, longe absint minus a salute, quam ethnici, ii praesertim qui in sua feritate ac barbaria consistunt. Data vero eius rei occasione, aequo animo, ob Christi animarumque caritatem, alicuius e clero iacturam faciatis, si quidem iactura dicenda est; quem enim amiseritis adiutorem laborumque vestrorum socium, eundem, vel copiosiore gratiarum in dioecesim effusione vel aliis excitatis sacri ministerii tironibus, divinus Ecclesiae Conditor profecto supplebit.

Propter nullam cleri penuriam obsistant vocatis ad ss. missiones.

At tamen ut cum ceteris pastoralis officii curis huiusmodi negotium apte componatur, Consociationem cleri Missionalem apud vos aut iubeatis constitui aut iam constitutam ad acriorem in dies actionem consilio, hortatu, auctoritate vestra incitetis. Quam quidem Consociationem, octavo ante anno providentissime conditam, cum proximus decessor Noster multis indulgentiae muneribus auxerit et in dicione Sacri Consilii christiano nomini propagando esse voluerit, tum Nosmet, in plurimas orbis catholici dioeceses, postremis hisce annis, diffusam, non uno pontificalis benevolentiae testimonio honestavimus. Quotquot enim de ea sunt sacerdotes — atque ad suam condicionem accommodate, sacrarum disciplinarum alumni — ii, pro instituto suo, fidei donum innumerabili ethnicorum multitudini et ipsimet, inter sacra potissimum, implorare et ad implorandum aliis auctores esse; quoties et ubicumque licuerit, de apostolatu ad infideles provehendo aut contionari apud populum aut curare identidem ut, statis diebus ac coetibus, communiter fructuoseque agatur; opuscula in rem edita vulgo propagare; in quibus eiusdem apostolatus semina auspicato inesse animadverterint, iis ad congruentem institutionem eruditionemque expedire aditum; in suae dioecesis finibus Opus a Fidei Propagatione et duo illa, quae huic tamquam subsidiaria inserviunt, quoquo pacto fovere. Quantum vero stipis adhuc Consociatio cleri Missionalis ad opitulandum iis ipsis operibus conrogaverit, quanto plus posthac — crescente in annos singulos largitate fidelium — sperare iubeat, vos, Venerabiles Fratres, non praeterit, quorum plerisque, pro uniuscuiusque territorio,

Constituatur missionalis consociatio cleri. Ratio, operositas istius consociationis describitur.

(1) I IOAN., IV, 1.

patronis atque impulsoribus utitur; optandum tamen, ut nullus iam sit clericus qui huiusmodi caritatis flammâ sit expers. Etenim Operi a Fidei Propagatione, aliorum quidem omnium, quae ad sacras Missiones pertinent, sane principi, quod, incolumi piissimae feminae, quae eam condidit, et Lugdunensis urbis gloria, huc, novata ordinatione, transtulimus et romana veluti civitate donavimus, ea christianus populus liberalitate subveniat oportet, quae multiplicibus Missionum, quae nunc sunt, quaeque iis deinceps accedent, necessitatibus omnino respondeat. Quae profecto necessitates quot quantaeque numerentur, qualis sit plerumque evangelii praeconum inopia, ex ipsa Vaticana Expositione satis apparebat, at fortasse ne perspexere quidem bene multi, oculis copia, novitate ac pulcritudine rerum propositarum praestrictis. Ne vos igitur, Venerabiles Fratres, pudeat pigeatve, quasi mendicos pro Christo animarumque salute fieri, et, scripto profectaque ex medullis eloquentia popularibus instare vestris, ut quam Opus a Fidei Propagatione quotannis colligit messem, eandem munificentia et benignitate sua multiplicent multoque faciant auctiorem. Cum, ceteroqui, nulli tam inopes aut nudi habendi sint, nulli tam infirmi aut ieiuni aut sitientes, quam qui Dei cognitione gratiaque carent, nemo non videt, qui misericordiam egentissimis omnium hominibus exhibuerint, eos divina misericordia et remuneratione non posse destitui.

Foveant opus a Fidei Propagatione;

Operi autem a Fidei Propagatione principi duo alia adiuncta sunt, ut diximus, quae, cum Apostolica Sedes fecerit sua, christifideles prae ceteris operibus, quae peculiare aliquid sibi propositum habent, conrogata collatave stipe adiuvent ac sospitent, alterum scilicet a S. Infantia, alterum a Petro Apostolo nuncupatum. Illius est, ut habent omnes exploratissimum, pueros nostros asciscere, qui peculium suum reponere assuescant praesertim infidelium infantibus, ubicumque eos proiici vel necari contingit, redimendis catholiceque educandis; huius vero et precibus et collecta pecunia efficere, ut delectos indigenas in Seminariis rite excoli et ad sacros Ordines evehi liceat, quo ipsorum tribules facilius, successu temporis, ad Christum traducantur vel in fide confirmentur.

Opus S. Infantiae;

Opus a Petro Apostolo nuncupatum, cui Teresia ab Infante Iesu patrona est tributa.

Petriano huic sodalicio, ut nostis, Teresiam ab Infante Iesu haud multo ante caelestem patronam attribuimus, utpote quae, cum in terris claustralem vitam ageret, unum vel alterum missionalem, sibi, quasi quodam adoptionis iure, adiuvandum sumpsisset, pro quo et preces et voluntarias vel praeceptas corporis castigationes et praecipue vehementes morbi,

quo laborabat, cruciatus Divino Sponso offerre consueverat. Atque, auspice Lexoviensi virgine, uberiores rei fructus Nobis pollicemur: quo in genere magnopere laetamur, quod Episcopis bene multis placuit inter socios Operis perpetuos se numerari et quod Seminaria aliique catholicorum iuvenum coetus aliquem unum clericum indigenam communi suo ipsorum sumptu alendum instituendumque suscepere.

Commendationem Benedicti XV de utroque opere repetit.

Utrumque sane Opus, quod recte subsidiarium Operis principis appellari solet, ut Episcoporum sollertiae fel. rec. decessor Noster Benedictus XV per Epistolam Apostolicam, quam memoravimus, commendavit, ita Nos vobis commendare non desinimus; quibus suasoribus, confidimus, christifideles neutiquam passuros, se ab acatholicis, qui errorum suorum propagatoribus tam large adsunt, liberalitate vinci ac superari.

Ipsis Vicariis et Praefectis Apostolicis valde gratulatur,

Iam ad vos, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, sermonem convertimus, qui, ob gestam diu, laboriose prudenterque sacram inter ethnicos legationem, digni facti estis, qui vicariatibus ac praefecturis apostolica auctoritate praeficeremini. Atque ut affari vos aggrediamur, quae in universum incrementa, annis proxime superioribus, cepere Missiones, vestrae debita caritati ac sollertiae, ea vobis et evangelii nuntiis, quos regitis ac moderamini, summopere gratulamur. Praecipua sane, quae incumberent vobis officia, quaeque vitanda essent in perfunctione eorum incommoda proximus decessor Noster tam sapienter magnificeque docuit, ut nihil supra potuisset; placet tamen, quid de quibusdam rebus sentiamus, vobiscum, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, communicare.

ipsis demonstrat quantum necesse sit ut indigenae in clerum cooptentur.

Ac primum omnium, cogitationes eo vestras revocamus, quanti intersit indigenas in clerum cooptari: quod nisi pro viribus effeceritis, non tam mancum fore censemus apostolatum vestrum, quam Ecclesiae in regionibus istis constitutioni atque ordinationi diutius moram allatum iri ac tarditatem. Cui quidem necessitati libenter fatemur atque agnoscimus alicubi consuli ac provideri coeptum Seminariis excitandis, ubi optimae spei adulescentes indigenae ad adipiscendam sacerdotii dignitatem atque ad suae stirpis homines fide christiana imbuendos recte instituuntur ac conformantur; verumtamen ab iis rei progressionibus, quas haberi necesse est, nimio longius absumus. Meministis quaenam fel. rec. decessor Noster Benedictus XV hac in re conquestus sit: « Dolendum est, regiones esse, in quas abhinc pluribus saeculis catholica Fides illata sit, atque ubi tamen clerum indigenam, nisi deterioris notae, non repe-

Hactenus non satis in hac re effectum est.

rias: item populos esse nonnullos, mature Evangelii luce illustratos, qui ex barbaria ad eum iam humanitatis gradum emerserint, ut in omni civilium artium varietate praestantes viros habeant, quique, cum multa iam saecula salutari Evangelii Ecclesiaeque virtute sint affecti, tamen adhuc nec Episcopos a quibus regerentur, nec sacerdotes, quorum disciplina civibus imperitaret, efferre potuerint » (1).

Exemplum primitivae Ecclesiae,

Numquam fortasse perpensum satis est, qua via et ratione cum Evangelium propagari tum Ecclesia Dei ubique gentium constitui coeperit; quod cum leviter, in claudenda publice Expositione Missionaria, ut aiunt, attingeremus, monebamus, ex primis christianae antiquitatis litterarum monumentis manifesto apparere, clerum novae cuivis fidelium communitati ab Apostolis praepositum, non aliunde importatum, sed ex natis in ipsa regione electum atque adscitum. Quod autem vobis adiutoribusque vestris apostolicum munus Romanus Pontifex concredidit christianae veritatis ethnicis gentibus praedicandae, non idcirco putetis sacerdotes indigenas in id unice esse oportere, ut missionalibus in minoris momenti ministeriis adsint eorumque actionem aliquo pacto compleant. Quorsum, quaesumus, sacrae Missiones pertinent, nisi ut in tanta immensitate locorum Ecclesia Christi instituatur ac stabiliatur? Et unde haec apud ethnicos hodie constabit, nisi ex omnibus iis elementis, ex quibus apud nos olim coaluit, id est ex suo cuiusque regionis et populo et clero, suisque religiosis viris ac feminis? Curnam clerus indigena ab eo, qui proprius et nativus ipsius est, agro colendo, scilicet a populi sui gubernatione arceatur? Iam ut vobis liceat ad alios aliosque infideles Christo lucrandos cotidie expeditioribus progredi, nonne proderit vehementer, sacerdotibus indigenis stationes custodiendas uberiusque excolendas relinquere? Immo etiam, in regno Christi latius proferendo, quam maxime iidem praeterque omnem exspectationem profecturi sunt. « Nam sacerdos indigena — ut verbis Nostri ipsius decessoris utamur — utpote qui ortu, ingenio sensibus studiisque cohaereat cum suis popularibus, mirum quantum valet ad Fidem eorum mentibus insinuandam; multo enim melius, quam quisquam alius, novit quibus modis quidpiam eis persuaderi queat. Ita saepe fit ut illuc faciles aditus habeat, quo advenae sacerdoti pedem inferre non licet » (2). Quid quod missionales externi, ob inchoatam sermonis cognitionem, sensa quidem sua exprimere interdum prohibentur

natura rerum,

(1) Ep. Ap. *Maximum illud.*
(2) Ep. Ap. *Maximum illud.*

adeo, ut valde praedicationis suae vis atque efficacitas infirmetur? Huc profecto aliae accedunt incommodorum causae, quorum aequam rationem habeamus oportet, licet aut ea rarius incidere aut non magno negotio amoveri posse videantur. Fac, ex bello aliisve politicis eventis in alicuius Missionis territorio alterum regimen alteri suffici, et aut posci aut decerni missionalium exterorum e certa quadam natione discessum: fac item — quod sane difficilius eveniet — indigenas, qui ad altiorem humanitatis gradum pervenerint et civilem quandam maturitatem attigerint, velle, ut sui iuris fiant, externae civitatis sibi imperantis et procuratores et copias et missionales ab suo territorio exigere, idque aliter, quam vi adhibita, impetrare non posse. Quae tum, rogamus, impenderet per eas regiones Ecclesiae pernicies, nisi, quasi quodam rete sacerdotum indigenarum per totum territorium disposito, necessitatibus plebis Christo adiunctae esset plene consultum? At praeterea — neque enim praesenti rerum condicioni minus illud Christi congruit: *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (1) — vel ipsa Europa, unde plerique missionalium proficiscuntur, clero hodie eget, eoque magis eget, quo pluris interest, adiuvante Deo, dissidentes fratres ad Ecclesiae unitatem restitui et acatholicis errores suos eripi; nec quisquam ignorat, ad sacerdotalem vel religiosam vitam si quidem haud minor in praesenti adulescentium numerus, quam antea, vocatur, tamen divini afflatus permotioni numerum parêre longe minorem.

periculum ne propter politica eventa extranei excludantur,

ipsa indigentia Europae, necessitatem fovendi cleri indigenae demonstrat.

Ex hisce, quae memoravimus, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, efficitur, eam sacerdotum indigenarum copiam territoriis vestris suppetere oportere, quae, nulla cleri adventicii habita ratione, cum ad propagandos christianae societatis fines, tum ad communitatem fidelium e sua natione regundam ipsa per se satis valeat. Alicubi quidem, ut paulo ante significavimus, Seminaria erigi coepta sunt alumnis indigenis excipiendis, et ea pleraque medio sita loco inter finitimas Missiones, uni eidemque Ordini vel Congregationi commissas; atque illuc adulescentes Vicarii ac Praefecti Apostolici mittunt singuli lectissimos, sumptu cuiusque suo alendos, quos sacerdotio initiatos et ad sacra idoneos ministeria aliquando recipiant. Itaque quod alicubi a nonnullis inchoatum, id ab omnibus, qui Missionibus praesunt, haud dissimili ratione perfici non tam cupimus quam volumus et iubemus: ut ex indigenis nullus bonae spei sit, quem ab sacerdotio et apostolatu, utique a Deo instinctum vocatumque,

Variae methodi adhibitae.

(1) MATTH., IX, 37; LUC., X, 2.

arceatis. Certe, alumnos rite instituendos quo plures delegeritis — et plurimos delegi omnino opus est — eo vos maiorem facere sumptum cogemini: verum, ne animo concidite, amantissimo hominum Redemptori confisi, cuius providentiâ futurum, ut, aucta catholici orbis liberalitate, Apostolicae Sedi ne desit unde vobis, ad saluberrimi effectum consilii, largius opituletur.

Verum probe instituendus est clerus indigena;

At si curandum, ut alumnorum indigenarum frequentia sit unicuique vestrum quam maxima, eos praeterea rite effingere atque excolere studete ad sanctitatem sacerdotali vitae congruentem ad eumque apostolatus spiritum cum studio fraternae salutis coniunctum, ut parati sint vel vitae iacturam pro tribulibus civibusve suis facere. Summopere tamen interest, eos uno tempore de disciplinis profanis ac sacris non confusam atque incompositam, non breviorem et quasi compendiariam institutionem suscipere, sed per usitatum studiorum curriculum bona doctrinarum copia instrui. Quos enim et integritate vitae ac pietate conspicuos et ad sacra ministeria apprime aptos et peritissimos divinarum legum magistros intra Seminarii saepta effeceritis, ii non modo apud suos, vel optimates litteratosve homines, in honore erunt, sed etiam paroeciis ac dioecesibus tandem aliquando, vixdum Deo placuerit, constituendis nihil quicquam obstabit quominus auspicato praeponantur. Perperam sane iudicat quisquis eiusmodi indigenas quasi inferioris generis ac retusi ingenii homines habet. Etenim diu experiundo cognitum est, populos, qui dissitas orientales australesque incolunt regiones, interdum nostris non cedere, atque etiam certare mentis acie et contendere cum his posse; quodsi in hominibus ex intima barbaria summam fere tarditatem reperias, id quasi quadam necessitate fit, cum ad cotidianas vitae necessitates, sane exiguas, eorum intellegentiae usus contrahatur. Cuius quidem rei si vobis licet, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, esse testibus, at Nos quoque fidem afferre possumus, quorum paene ante oculos indigenae, quotquot in urbanis conlegiis ad omne genus disciplinas instituuntur, non tam ceteris alumnis celeritate ingenii sunt pares doctrinaeque fructibus, quam saepe antecedunt ac praestant. Est praeterea cur sacerdotes indigenas ne patiamini inferiore veluti loco haberi et humilioribus ministeriis addici, quasi non eodem ipsi, ac missionales vestri, sacerdotio potiantur, aut non sint eiusdem omnino apostolatus participes; quin etiam eos in oculis ferte, ut qui conditis vestro sudore ac labore Ecclesiis futurisque catholicorum communitatibus praeesse aliquando debeant. Quamobrem europaeos inter et indigenas missionales nihil esto discriminis nullusque disiunctionis

Studia seria sacra ipsis proponenda sunt,

Nec inferiore loco habendus est.

terminus intercedito, sed alteri cum alteris reverentia et caritate copulentur.

Instituendae etiam ex indigenis, religiosae familiae utriusque sexus.

Quod autem, ut supra monuimus, ad ordinandam in populis vestris Ecclesiam Christi, omnia, ex quibus ipsa divino consilio conflatur, elementa adhiberi necesse est, ex hoc consequitur, in potioribus officii vestri partibus eam numerari, ut religiosas ex utroque sexu sodalitates indigenas instituatis: quos enim novos Christi asseclas superno Deus afflatu tetigerit atque ad altiora impulerit, quidni iidem consilia evangelica profiteantur? In quo ne missionales, ne religiosas feminas, in ipso agro vestro laborantes, Instituti cuiusque sui caritas, honesta sane ac recta, plus aequo abripiat atque a latiore rerum comprehensione detineat. Si qui enim indigenae sunt, qui in veteres Sodalitates cooptari cupiant, modo ad imbibendos earum spiritus et non degenerem dissimilemve in regionibus suis subolem gignendam apti videantur, eos a consilio dehortari atque ab re prohibere nefas esto; verumtamen integre religioseque consideretis, utrumnam expediat, novas potius condi Sodalitates, quae cum ingenio studiisque indigenarum et cum locorum rerumque condicione aptius cohaereant.

Catechistarum multiplicandus est numerus.

Nec alia de re silendum, quae ad evangelii propagationem permagni referat: quantum scilicet proderit, catechistarum multiplicari numerum — sive ex europaeis, sive, potius, ex indigenis deligantur — qui missionalibus operam navent suam, catechumenos potissimum erudiendo et ad baptismum comparando: quos quidem catechistas quales esse oporteat, ut non tam verbo quam vitae exemplo infideles ad Christum alliciant, dicere vix attinet. At vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, certum decretumque sit, eos accurate instituere, ut doctrinam catholicam calleant, et, cum eam proponent atque expianabunt, ad mentem intellegentiamque auditorum accommodare se sciant: quod facturi eo commodius sunt, quo indigenarum naturam interius perspexerint.

Etiam ibi contemplativa vita fovenda est.

De adlectis adlegendisve laborum vestrorum consortibus cum usque adhuc locuti simus, unum hoc in genere restat ut studiosae voluntati vestrae insinuetur: quod si quidem ad effectum deducatur, censemus fidei ocius dilatandae esse haud mediocriter profuturum. Quanti equidem contemplativam Nos vitam, quam vocant, faciamus, testis satis superque est Constitutio illa Apostolica, qua legem Cartusiensis Ordinis propriam, pontificali inde ab initio auctoritate probatam, altero ante anno, post exactam ad Codicis canones emendationem, Apostolicae confirmationis robore perlibenter munivimus. Austerior sane

sta vitae contemplativae consuetudo ut in Missionum territoria, conditis coenobiis, inducatur latiusve pr.vehatur, summos horum Ordinum moderatores, quemadmodum Nosmet impense adhortamur, sic vos, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, opportune importune rogando, curatote; solitarii enim ii viri mirum quantum caelestium gratiarum vobis laboribusque vestris conciliabunt. Atque dubitare non licet quin eiusmodi monachi locum opportunum apud vos nanciscantur, cum incolae, alicubi potissimum, etsi maximam partem ethnici, natura sint ad solitudinem et ad orandum contemplandumque proclives. Qua in re animo obversatur Nostro magnum illud coenobium, quod Cistercienses Reformati de Trappa in vicariatu apostolico Pekinensi condidere; ubi centum fere monachi, quorum plerique Sinenses, perfectissimarum exercitatione virtutum, assiduitate precum, vitae asperitate laborisque tolerantia, ut Dei numen sibi et infidelibus placando propitiandoque demerentur, ita hos ipsos, per exempli efficacitatem, Christo lucrifaciunt. Unde luce clarius apparet, anachoretas nostros, lege ac spiritu Conditoris sui prorsus incolumi nullamque vitae actionem experiundo, posse haud parum momenti ad prosperiorem sacrarum legationum exitum cotidie afferre. Quodsi Ordinum id genus gubernatores vestris postulationibus morem gesserint et sedes suorum, ubicumque de communi consilio placuerit, collocaverint, rem fecerint et tantae ethnicorum multitudini imprimis salutarem et Nobis, ultra quam credibile est, acceptam et gratam.

Exemplo sint Trappenses Pekinenses.

Iam ad nonnulla, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, gradum faciamus, quae ad meliorem Missionum temperationem pertinent: quo in genere si qua proximus decessor Noster haud dissimilia dudum docuit ac monuit, idcirco ea iterare placet, quia magno fore ad fructuosam apostolatus exercitationem praesidio iure meritoque censemus.

Consilia de ipso numere exercendo.

Itaque cum catholici inter ethnicos apostolatus magnam partem in vos recidat exitus, res aptius volumus a vobis ordinari, ut facilior posthac ad christianae sapientiae propagationem pateat aditus et numerus eorum augeatur quibus ea feliciter collucet. Sacros igitur praecones ita vobis cordi sit dispertire, ut nulla territorii pars ab evangelii praedicatione vacet et in aliud tempus excolenda reservetur. Quare longius, per mansiones, procedite, missionalibus in aliquo loco, quasi quodam centro, constituendis, quem locum minores undique stationes circumstent, uni saltem catechistae commissae et sacrâ aediculâ auctae, quas missionales e sede media identidem, stato scilicet tempore, ministerii causa, adeant atque invisant.

Totum territorium evangelizandum est.

Cura valetudinis et sollicitudine de pueris missionarii sibi concilient hominum benevolentiam.

Meminerint interea evangelii praecones, haud secus sibi ad indigenas accedendum, ac Divinus Magister cum populo in terris se gessit. Qui, ante quam turbas doceret, aegros sanare consueverat: *Omnes male habentes curavit* (1); *Et secuti sunt eum multi et curavit eos omnes* (2); *Misertus est eis, et curavit languidos eorum* (3). Atque id ipsum, facta potestate, Apostolis imperavit: *Et in quamcumque civitatem intraveritis... curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: appropinquavit in vos regnum Dei* (4); *Egressi autem circuibant per castella evangelizantes et curantes ubique* (5). Ne obliviscantur quidem missionales, quam se Iesus benignum amabilemque infantibus puerisque praeberet: quos cum discipuli increpuissent, praecepit ne ad ipsum venire prohiberent (6). Ad rem id commemorare libet, quod alias diximus: missionales nimirum, qui Deum infidelibus praedicant, probe nosse, in iis quoque regionibus — ut facile caritatis officiis capiuntur humana corda — quisquis publicam valetudinem curat aegrotantibusque medetur, quisquis infantibus ac pueris blanditur, hunc profecto hominum sibi benevolentiam studiumque conciliare.

Ne nimis sumptuosa aedificia vel templa excitentur.

Atque ut ad ea quae modo attigimus redeamus, si iis in locis, ubi sedem domiciliumque ipsorum vestrum, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, constitueritis, itemque in amplioribus ob incolarum numerum stationibus, domum Dei et cetera Missionis aedificia latius patere opus est, vitandum tamen, ne sumptuosa magnique pretii aut templa aut aedificia excitentur, quasi cathedrales aedes et episcopales domus futuris dioecesibus comparatae; haec suo quidem tempore commodius. Numne ignoratis, in certis quibusdam dioecesibus iam pridem canonice erectis, templa eiusmodi ac domicilia aut paulo ante fuisse exstructa aut in praesenti exstrui? Nec recte ac provide aut in principem aliquam stationem aut in eum, quem incolitis ipsimet, locum instituta atque opera coguntur ac veluti conglobantur, quaecumque bonum animorum ac corporum tuentur; nam si magni sint momenti ac ponderis, iam vestram vel missionalium vindicare adeo sibi praesentiam ac sollicitudinem possunt, ut saluberrima totius territorii, evangelii causa, lustratio gradatim remittat ac desinat. Quoniam vero horum operum mentio huc incidit, praeter hospitia vel conclavia aegris curan-

Ne omnia opera vel instituta in uno principali loco conglobentur.

(1) MATTH., VIII, 16.
(2) MATTH., XII, 15.
(3) MATTH., XIV, 14.
(4) LUC., X, 8-9.
(5) LUC., IX, 6.
(6) MATTH., XIX, 13-14.

dis remediisve diribendis, et litterarios elementorum ludos — quae quidem instituta nusquam desiderari patiemini — praestat, iis qui ex pueris excesserint, nisi agrorum cultionem suscipiant, ad altiores disciplinas vel ad operosas praesertim artes, in scholis per vos conditis, aditum fieri. Atque hoc loco hortamur, ne optimates regionis, eorumque subolem, neglegatis. Esto quidem, ab humilioribus e plebe verbum Dei eiusque praecones facilius admitti; esto, Iesum Christum de se testificatum esse: *Spiritus Domini. ... evangelizare pauperibus misit me* (1). Sed, praeterquam quod debemus illud Pauli ante oculos habere propositum: *Sapientibus et insipientibus debitor sum,* (2) usu atque experientia praeterea docemur, primoribus civitatis ad Christi religionem semel traductis, tenuiores e populo eorum vestigiis facile ingredi.

Habeantur etiam scholae altiorum disciplinarum vel operosarum artium.

Nec neglegantur optimates regionis

Quod autem postremo occurrit, id, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, ut est gravissimum, pro cognito ac perspecto, quo flagratis, religionis animarumque salutis studio, piis accipite animis atque ad prompte obtemperandum compositis. Territoria ea quidem, quorum curam navitati Apostolica Sedes vestrae demandavit ut ea Christo Domino adiungeretis, cum sint plerumque amplissima, fieri interdum potest, ut missionalium ex Institutis cuiusque vestris longe inferior sit numerus quam necessitas postulet. Ne igitur dubitetis, quemadmodum in dioecesi rite constituta solent Episcopo alii ex alia Sodalitate aut clericali aut laicali religiosi viri, aliae ex alia Congregatione Sorores, adesse atque auxiliari, ita in propagationem christianae Fidei, ad institutionem iuventutis indigenae, ad ceteras huiusmodi utilitates promovendas, laborum socios advocare atque adsciscere religiosos sodales ac missionales qui e vestro sodalicio non sint, sive ii sacerdotio potiantur, sive ad laicalia, quae vocant, Instituta pertineant. Sancte quidem glorientur Ordines ac Congregationes religiosae cum de sibi data ad ethnicos populos missione, tum de partis ad hunc diem Christi regno accessionibus; at meminerint, se territoria Missionum non iure quodam proprio ac perpetuo accepisse, sed ad Apostolicae Sedis nutum habere, cui propterea et ius et officium incumbit rectae et plenae eorum cultioni prospiciendi. Nec igitur Romanus Pontifex apostolico muneri hoc unice satisfaciat si territoria maioris minorisve magnitudinis alia inter alia Instituta distribuat; sed — quod pluris interest —

Ne dubitent advocare auxiliares missionarios vel Sorores aliorum Institutorum

Nec odiosa habeatur distributio territoriorum inter plura Instituta.

(1) Luc., IV, 18.
(2) *Rom.*, I, 14.

nullo non tempore omnique sua cura providere debet, ut ea ipsa Instituta tot missionales ac, potissimum, tales in regiones sibi creditas dimittant, qui his, qua late patent, christianae veritatis luce complendis abunde sufficiant atque efficacem dent operam. Quoniam vero Divinus Pastor gregem suum requiret de manu Nostra, quotiescumque necessarium vel opportunius utiliusque ad proferendos Ecclesiae sanctae fines videbitur, territoria Missionum cum de altera in alteram Sodalitatem transferre, tum iterum iterumque partiri, et clero indigenae aliisve Sodalitatibus novos vicariatus ac praefecturas committere neutiquam cunctabimur.

Adhortatio

Iam reliquum non est, nisi ut vos omnes, Venerabiles Fratres, quotquot per catholicum orbem pastoralis muneris et sollicitudines et solacia Nobiscum participatis, denuo hortemur, velitis iis quas diximus, artibus praesidiisque sacras Missiones adiuvare, ut eaedem, quasi quadam renovatione virium, messem in posterum afferant multo uberiorem. Communibus autem benigne adrideat faveatque coeptis sanctissima Regina Apostolorum Maria, quae, cum homines universos in Calvaria habuerit materno animo suo commendatos, non minus eos fovet ac diligit, qui se fuisse ab Christo Iesu redemptos ignorant, quam qui ipsius redemptionis beneficiis fruuntur feliciter.

Benedictio

Caelestium interea donorum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Dies (28 feb. 1926).

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XXVIII mensis Februarii anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

I. Opportunius ac felicius initium, novo volumini nostrarum ephemeridum sperari non poterat quam Enc. litterae quae, de sacris missionibus provehendis, proxime elapso mense februario, a feliciter regnante S. P. PIO Pp. XI, ad ordinarios universi orbis missae sunt.

In his enim argumentum missionum exterarum copiose tractatur: Periodica autem nostra in utilitatem missionariorum peculiariter scribuntur.

Praeterea, de communi vocatione apostolica omnium christianorum ea traduntur quae non satis praedicari possint, ita ut etiam ad generaliorem finem istarum ephemeridum laudatae litterae encyclicae mirifice sint aptatae. Oportet igitur ut tam pretiosa litterarum documenta paulo plenius quam fieri consuevimus illustremus.

Itaque, praestituta schematica rerum propositione, vota ac praecepta S. Pontificis de missionibus paucis exponemus; addemus dein quaenam dubia sint simul dirempta, tum quaenam virtutes his documentis appellentur, ut, coronidis instar, brevi conclusione dicamus quonam sensu et affectione post lectas encyclicas commoveamur.

I. *Schematica rerum propositio.*

I. **Introductio.** 1. Gravissimum officium cuius conscientia omnes Pontifices fecit fervidos evangelii propagatores.

2. Laeti fructus ex Apostolica Constitutione BENEDICTI XV, 20 dec. 1919, collecti, praecipue novus viror sodalitatum Missionariorum.

3. Propria Pontificis studia, praecipue publica expositio Missionalis, quae convertetur in stabile Museum. Spes inde concepta a Pontifice.

II. **Divisio.** Directae non ad omnes fideles sed ad Episcopos aliosque locorum Ordinarios, encyclicae litterae duas partes complectuntur, alteram Episcopis, alteram Vicariis et Praefectis Apostolicis destinatam.

III. **Prior Pars, directa ad Episcopos.**

1. Perspecto ingenti numero ethnicorum, S. Pontifex instanter in auxilium advocat Episcopos, docetque a nullo fideli, multo minus a sacerdotibus et ab Antistibus detrectari posse officium caritatis, contribuendi ad salutem infidelium.

2. Contributio in primis postulatur assiduae ora-

tionis pro conversione infidelium, v. g. per additam ad Mariale Rosarium precationem pro conversione infidelium. « In idipsum pueri praecipue et sacrae virgines advocentur, incendantur ».

3. Multiplicandi sunt missionarii. Quare ne obsistant Episcopi candidatis quorum probaverint spiritum.

4. Missionalis cleri consociatio constituatur, vel actio eius, iam vario modo efficax, promoveatur.

5. Conentur subsidiis amplioribus ditare Opus Propagandae Fidei, ac duo opera quae eidem quasi accedunt: opus a S. Infantia et opus a Petro Apostolo, cui S. Theresia ab Infante Iesu data est ut patrona.

IV. **Altera Pars, directa ad Vicarios et Praefectos Apostolicos.**

1. Ipsis gratulatur sacram legationem naviter et feliciter peractam.

2. Plures autem commendationes addere proponit.

A. **De personis auxiliariis.**

a) Clerus indigena multiplicandus est, probe instrui debet nec in inferiorem locum detrudendus est.

b) Religiosae indigenarum familiae utriusque sexus constituendae sunt, nisi magis expediat indigenas in antiquas cooptare.

c) Multo plures esse debent catechistae, bene instructi.

d) Contemplativi etiam religiosi allegendi sunt.

B. **De Operositate.**

a) Totum territorium evangelizandum est.

b) Per publicae valetudinis curam et sollicitudinem de pueris, populi conciliandi sunt.

c) Vitanda sunt nimis sumptuosa aedificia.

d) Vitanda conglobatio omnium operum et utilium institutionum in unam stationem principalem.

e) Inter utilia et commendanda opera, praeter hospitia et conclavia remediis diribendis, ac scholas elementarias, erigantur scholae altiorum disciplinarum

vel operosarum artium. Evangelizandi sunt etiam primores, eorumque suboles instituenda est.

f) Opera auxiliaris etiam ex aliis Institutis quaerenda est.

g) Facile acceptanda est divisio territoriorum inter plura Instituta.

II. *Vota ac praecepta Pontificis.*

I. **De Introductione et Divisione.**

S. Pontifex litteras pulchre exorditur ab exemplo decessorum suorum et suo proprio, ut inde maiore vi docere possit, utpote qui prior fecerit, ad exemplum Christi de quo sacra Scriptura refert: « Coepit Christus facere et docere » (Act. 1, 1). Conaturaliter subinde litteras, quae non ad omnes fideles sed ad Episcopos et alios locorum Ordinarios missae sunt, in duas partes dispertit, quibus ordine prius Episcopos dein Vicarios et Praefectos Apostolicos congruentibus monitis instruit.

II. **De Parte Episcoporum.**

Hac parte S. Pontifex in primis tum in Pastoribus animarum tum per ipsos in omnium fidelium animis, flagrantissimum zelum accendere studet pro evangelii dilatatione.

Caritas Christi ipsos urgere debet ut opem ferant tantae ethnicorum multitudini, quae ad decies milies centena milia numeratur!

Nonne enim haec sollicitudo de verae fidei communicatione est caritatis erga Christum et proximum demonstratio qua insignior reperiri nequeat? Nonne prodit aestimationem Fidei et gratum animum pro acceptis beneficiis?

Commune autem omnium officium strictius tenet clerum et multo magis successores Apostolorum,

quibus Iesus Christus praecepit ut omni creaturae evangelium praedicarent.

Verum Pontifex postulat zelum *efficacem*. Quare, tamquam corollaria concepti ardoris, commendat:

1. Ut Episcopi sanctam consuetudinem inducant et foveant orandi pro missionibus, cum frustra desudetur sine subsidio gratiae impetrandae. Vult igitur ut e templis, per occasionem Rosarii Marialis, e domibus religiosis, ex asylis, ex orphanotropheis, ex puerilibus scholis et collegiis, frequens, immo cotidiana oratio pro missionibus ascendat.

2. Quia, etiam propter recentem belli calamitatem, numerus missionariorum impar est evangelizandis immensis territoriis et vix numerabili multitudini, Episcopi et omnes conari debent ut sacri legati numero augeantur. Itaque, confisi Dei Providentia, Episcopi nulla cleri penuria vel dioecesis necessitate detineantur a concedenda licentia proficiscendi in missiones exteras omnibus quorum spiritum probaverint.

3. Vigeat, in hunc finem, in eorum dioecesibus, consociatio missionalis cleri, quae praedicatione, scriptis, institutione adulescentium, promoto Opere Fidei Propagationis, cum annexis operibus, tam bene de missionibus ab octo annis meretur.

4. Augere studeant verbis, scriptis et quasi mendici propter Christum facti, reditus Operis a Propagatione Fidei, Operis a S. Infantia, et a Petro Apostolo. Huic Pontifex patronam dedit S. Teresiam ab Infante Iesu, quae, adhuc in terris, unum alterumve missionarium adiuvandum sumpserat.

III. **De Parte Vicariorum et Praefectorum Apostolicorum.**

Posteaquam summopere iis gratulatus est recentia incrementa missionum, S. Pontifex e re esse iudicavit ut ad sapientissima documenta Decessoris Sui non nulla monita adiungeret.

Ad duo autem capita revocantur: ad auxiliares missionariorum et ad rationem et viam peragendi opus missionale.

A. **De adiutoribus Vicariorum et Praefectorum Apostolicorum.**

1. *Clerus Indigena.* Quanti intersit indigenas multos et bene instructos in clerum cooptari! Ac non pauci progressus in hac re desiderantur.

Necessitas habendi talem clerum demonstratur: *a*) exemplo primorum saeculorum, *b*) natura rei: missiones fiunt ut Ecclesia Christi in regione stabiliter constitutatur; nonne haec iisdem elementis quibus apud nos coalescere debebit? Clerus indigena praeterea multo plus ad persuadendum valebit; *c*) Propter securitatem missionis, cum fieri facile possit ut eventa externa pellant missionarios extraneos; *d*) propter penuriam cleri in Europa, quae ipsa tantopere indiget sacerdotibus.

Tanta igitur copia sacerdotum indigenarum paranda est, quae regendae communitati christianae et dilatando evangelio sufficiat. Ideo *vult* et *iubet* S. Pontifex ut ubique seminaria erigantur recipiendis alumnis indigenis: nec sumptibus necessariis parcatur. Rite autem instituendi sunt. Per usitatum curriculum praeparentur tales qui in honore sint apud gentem suam et paroeciis et dioecesibus quondam praefici queant. Minime in inferiore loco collocandi sunt.

2. *Religiosae familiae utriusque sexus* inter indigenas. Tales instituendae vel promovendae sunt. Nec qua tales debent indigenae excludi religionibus europaeis; sed prudenter considerandum est, quid magis expediat.

3. *Idonei catechistae* numero crescere debent. Ipso vitae exemplo infideles ad religionem allicere debent: quo magis praeterea indigenarum naturam introspexerint, eo utiliores erunt.

4. *Religiosi contemplativi.* Non parum proderit si, etiam in missionum territoriis, sint religiosi contemplativi, qui oratione et vitae austeritate Deum placent et homines convertant.

B. **De ipsa muneris exsecutione.**

1. Vult Pontifex ut nulla sit pars territorii quae per aliquod tempus non colatur; sed aliqua ratione, v. g. per multas stationes circa quasdam principales velut totidem centra constitutas, *totum territorium evangelizetur.*

2. Per *beneficia temporalia*, praecipue per curam aegrotorum et puerorum, benevolentia populi acquirenda est.

3. *Ne* ante tempus exstruantur *sumptuosa templa et aedes* Vicariorum vel Praefectorum Apostolicorum.

4. *Ne vita* quasi omnis *in uno* aliquo *centro collocetur*, sed diffundatur in omnia loca.

Nec neglegantur *primores* vel eorum suboles. Inde etiam scholae altiorum disciplinarum vel artium operosarum aperiantur.

5. Gravissimis piissimisque verbis Pontifex hoc inculcat ut impar numerus operariorum proprii Instituti, suppleatur *a religiosis aliorum Institutorum;* ac missionum praefecti libenter ferant territoria magis dividi pro efficaciore Apostolatu.

III. *Quaenam dubia his documentis simul solvantur.*

Dum haec Apostolica monita ex ore Patris universalis fluunt, simul nobis videntur auctoritate suprema dirimere gravissimas quaestiones quae agitari possunt et interdum inter ipsos missionarios controvertuntur Ac re vera:

1. Dum nemo dubitat quin missionarii opportuno tempore a sacerdotibus indigenis adiuvandi sint, quaeri tamen potest, utrum consilium istud, praesertim apud magis intime barbaras gentes iam nunc valere

possit, praesertim cum simul propensae sint ad vanam gloriam, ad insolentem ostentationem; an eius adimpletio differenda sit in futura tempora ?

Ac Pontifex respondet, *iam praesentem esse debere sollicitudinem praeparationis*, utique congruentis, cleri indigenae.

2. Clerus iste, si quis iam est vel mox futurus praevideatur, debetne considerari ut per se inferior, cui sola munera secundaria concredi possint ?

Ac respondet Pontifex : Quamvis *officia principalia* maturo tempore tradenda sint personis quae magis edocendae et educandae sint, *iam nunc* saltem prudenter sed active *huc enitendum est*. Quocirca ipsa praeparatio cleri indigenae non potest esse nimis elementaris, sed ad normam praeparationis cleri europaei exigenda est. Errarit autem qui existimaret indigenas esse inferiores ingenio et aptitudine.

3. Expeditne omnes vires prius intendere in istas hominum classes quae, cum sint humiliores, evangelium promptiore voluntate suscipiunt, an statim, pro viribus superandae sunt difficultates quae conversioni primorum saepe obstare cernuntur ?

Ac S. Pontifex respondet *admitti non posse exclusivam applicationem ad pauperiores*, sed missionarios debere se considerare ut omnibus debitores.

4. Estne intensiva quarundam partium cura, anteponenda est actioni magis extensae ?

Et S. Pontifex respondet fermento evangelico totam massam statim conspergendam esse, idest, *totum territorium* actione Apostolica attingi debere.

5. Estne methodus « Centralizationis » praeferenda actioni diffusivae per omnes partes ?

Et S. Pontifex respondet, *improbando centralizationem*, quasi memor celebris dicti (1), centralizatione

(1) De politica centralizatione, a LAMENNAIS.

obtineri apoplexiam in centro et paralysim in partibus extremis.

6. Suntne splendore temporum et aedificiorum commovendi animi, an praeferendae sunt magis humiles aedificationes ?

Ac repondet Pontifex, *de sumptuosis templis* atque *aedibus diu non esse cogitandum.*

7. Estne in missionibus locus dandus Ordinibus seu religionibus *contemplativis ?*

Et Pontifex respondet *religiones istas plurimum valere* apud Deum et apud homines, ad incrementa verae religionis obtinenda.

8. *Penuria cleri* Europaei praebetne Episcopis iustam causam denegandi aptis sacerdotibus licentiam se offerendi ad missiones exteras ?

Ac Pontifex *negat hanc esse* posse *iustam causam* denegandi talem licentiam, tum quia necessitates ethnicorum sunt graviores et urgentiores, tum quia divina Providentia liberalitatem Antistitis meliore liberalitate, sive abundantioris gratiae sive frequentiorum vocationum, compensare non omittet.

IV. *Quaenam virtutes monitis Pontificis requiruntur.*

Hactenus, repetendo quae Pontifex, non sine eloquentia, fieri iubet aut vetat, veluti corpus encyclicarum litterarum exhibuimus. Corpus autem istud, ne iners maneat, spiritu informandum et vivificandum est. Quare tacite vel implicite, S. Pontifex plures virtutes appellat, quae, si habeantur, dabunt intellectum monitorum, et docilem eorundem exsecutionem parabunt. Qua parte autem deficient, praeiudicia contraria votis Pontificis nascentur, neque iisdem prompte et plene satisfiet.

I. Omnium prima virtus supponitur *Humilitas.* Haec removebit interiorem contemptum vel despectum

quo Europaei, seu potius homines coloris albi, fratres quos alius coloris et civilis cultus, inferiore loco ponere solent.

Removebit etiam omnem invidiam, qua propendemus interdum ut bonum potius non fiat quam non fiat per nos. Suadente autem humilitate, advocabuntur auxiliares, quotquot reperiri possint utiles, etiam aliorum Institutorum, et facile admittetur dismembratio territorii amplioris.

Hic silentio premere non possumus mirabile exemplum III. D. LIVINHAC, b. m. Superioris Generalis Missionariorum Africae. Is, cui tota regio Ugandae obtigerat, animadvertens ad uberiorem messem colligendam conducere posse ut catholici Missionarii advocarentur etiam ex Anglia, quae regionem istam sub suo patronatu subiectam habet, ultro rogavit S. Sedem ut pars territorii sui Congregationi dictae a Mill Hill daretur excolenda: sicut re vera data est.

II. Humilitati affinis est *Modestia*, quae omnem inutilem splendorem externum declinabit, et sumptibus parcet superfluis, ut animis reservaret quod lapides vel ornamenta absumpsissent.

III. *Fides* postulatur viva. Haec sola audebit missionibus dare operarios alibi utiles et paene necessarios; haec magni faciet supernaturalia media orationis, paenitentiarum, vitae contemplativae; haec magnopere aestimabit beneficium communicandi luminis evangelici. Minore fide animati, missionarii interdum ipsi dubitare videntur de nobilitate et momento muneris sui, ita ut minus temporis et virium evangelico operi dare incipiant.

IV. *Fortitudo* necessaria est ut missionarius impavide aggrediatur obstacula quae evangelizationi universali sive territorii sive classium obstare videntur. Fortis non cedet isti tentationi qua quis, post obtentum

parvum quendam gregem, quasi in propria parochia sedere facile cupit.

V. *Caritas* demum, omnium maxime suas mirificas dotes explicare debet. (Cf. I Cor. 13).

« *Non aemulatur* », ac proin nullos auxiliares arcebit.

« *Non est ambitiosa* », ac proin de propriis honoribus non erit sollicita; nec ut suum proprium vindicabit territorium quod a Pontifice Romano ipsi mere commodatum est.

« *Non quaerit quae sua sunt* »; ac proin nec sibi, neque Instituto suo, neque a patriae suae, sed *Christo* lucrari populos studebit. Ipsa etiam libenter tales praeparabit ministros indigenas ut possit iisdem quondam cedere locum.

« *Omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* ». Quare nihil ut impossibile, ut nimis durum detrectabit.

Corollarium. Inde etiam manifestum fit missionarios ita instituendos esse ut virtutes istas assidua prece a Deo impetrent et assiduo conatu easdem in se foveant.

Conclusio.

Encyclicae istae litterae profectae nobis videntur a rerum consideratione quam mirari possumus quantum sit adaequata. Nec necessitates Europae, nec necessitates locorum missionum, nec psychologiam Episcoporum, nec psychologiam missionariorum S. Pontifex ignorat.

Inclamat autem *omnibus* fidelibus ut opem ferant fratribus qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ut omnibus utilem reddere conentur sanguinem Christi; inclamat *missionariis* ut nullum medium sive divinum sive humanum neglegant dum legatione pro Christi funguntur.

Exaudiatur Pontifex, et, sicut singuli homines natura sua et supernaturali vocatione ad Deum, ad perfectiora continuo motu ferri debent, ita universa societas fidelium, a pueris ad senes, usque hanc nobilem metam presequetur amplificanti regnum Christi.

O quam vivens quam speciosa Ecclesia quae hac etiam ratione fiat tota apostolica quatenus omni genere actionis sit dedita Apostolatui.

Conemur igitur efficere ut aurea documenta Pontificis ad familiarem omnium cognitionem perveniant et ab omnibus sedulo exerceantur.

2. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Chirographus 18 ian. 1926

ACTIONEM LAUDANS EM. CARDINALIS A SECRETIS STATUS

(A. A. S. 1 feb. 1926, XVIII, 33)

E.mo Signor Cardinale, (1)

Occasione dandi numisma Mareschalli, laetus, Pontifex testatur qua fideli operositate secundum Ipsius mentem Em. Cardinalis Ipsum in dificillimis negotiis adfuerit auxiliator.

È con particolare compiacenza che, all' indomani dell'Anno Santo e nel giorno sacro alla Cattedra di San Pietro in Roma, Ci vediamo porta l'occasione di donarle, E.mo Signor Cardi-

(1) I. e. latine. - E.me Domine Cardinalis, Peculiari satisfactione, vix elapso Anno Sancto et in die sacro Cathedrae S. Petri in Urbe, oblatam Nobis videmus occasionem dandi tibi, E.me Domine Cardinalis, pulchrum et ponderosum numisma Mareschalli quod his scriptis nostris coniungitur; tibi quem altissimum munus omnibus designat ut nostrum cotidianum collaboratorem et interpretem officialem interpretem Nostrae mentis. Prompto ac libenti animo adiungimus. Te semper fuisse impigrum collaboratorem atque interpretem fidelem, qui in difficultatibus et aerumnis nec paucis nec levibus, confortabaris ad gaudium usque conscientia serviendi causae divini Regis Iesu Christi Eiusque Ecclesiae. Itaque postquam ad Nosipsi, etiam ad te traducere possumus verba hodie lecta S. Petri: *in quo exsultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus.*

Ex toto corde tibi benedicens

18, 26 amantissimus et tamquam frater in I. C.
PIUS PP. XI

nale, la bella e poderosa medaglia del Marschall (1), che si accompagna a queste Nostre righe; a Lei che l'altissimo ufficio a tutti addita come il Nostro quotidiano collaboratore e l'interprete autorizzato del Nostro pensiero. Ci affrettiamo e Ci compiacciamo di aggiungere che Ella Ci è sempre stata e collaboratore indefesso e interprete fedele, alle difficoltà ed alle pene non poche nè lievi, trovando conforto fino al gaudio nella coscienza di servire alla causa del divino Re Gesù Cristo Signor Nostro e della Sua Chiesa. Così che possiamo bene applicare anche a Lei, dopo che a Noi stessi, le parole oggi lette di San Pietro Apostolo: *in quo exsultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus.*

Di tutto cuore benedicendola

18 del 26.

aff.mo e come f.llo in G. C.

Pius PP. XI

3. — SS. D. N. PII Pp. XI

Chirographus 18 feb. 1926

DE REFORMATA LEGISLATIONE ECCLESIASTICA ITALIAE

(A. A. S. 1. mart. 1926 XVIII, 84).

Eminentissimo Signor Cardinale (2),

S. Pontifex declarat eam quae dicitur praeparata lex de nova condicione iuridica Ecclesiae in Italia, non fuisse consensu S. Sedis adauctam.

Si è annunciato che le proposte formulate dalla Commissione Ministeriale circa la legislazione ecclesiastica in Italia siano per essere tradotte in appositi disegni di legge dal Ministero della Giustizia e poi presentate al Parlamento. Si

(1) Numisma Mareschalli est, in fallimur, numisma aureum quod, solito more, cudere voluit, post Conclave in quo electus est S. D. N. Pius Pp. XI, cudere curavit Mareschallus Sanctae Romanae Ecclesiae, perpetuus custos Conclavis, Ludovicus e Principibus Chigi Albani della Rovere (A. A. S. XIV (1922) p. 111 et *Moroni Dizion.* t. 15 v. *Conclave*.

(2) Id est latine: Eminentissime Domine Cardinalis,

Praenuntiatum est fore ut quae Commissio Ministerialis proposuit de ecclesiastica legislatione Italiae, a Ministerio Iustitiae convertantur in similes legum adumbrationes ut subinde Parlamento praesententur. Agitur, ut probe novisti, de ista reformatione legum ecclesiasticarum de qua saepius palam tractatum est in ephemeridibus. Eo autem quod periti ecclesiastici invitati sunt ad partes habendas in Commissione instituta pro studio et praeparatione dic-

tratta, com' Ella ben sa, di quella riforma della legislazione ecclesiastica della quale si è più volte pubblicamente trattato nella stampa. Dal fatto che periti ecclesiastici furono invitati a far parte della Commissione costituita per lo studio e la preparazione della detta riforma, si è voluto argomentare e far credere che la riforma stessa venisse studiata e preparata d' accordo colla Santa Sede e colla suprema Autorità ecclesiastica; ma già fu più di una volta chiaramente dimostrato che l' argomentazione non correva e non esisteva l' accordo, non avendo gli accennati periti ecclesiastici ricevuto alcun mandato. Che se i loro Superiori lor diedero licenza di aderire all' invito, bene quelli fecero, non sapendosi che cosa precisamente si pensasse di fare nè da quali premesse si volesse partire ed a quali risultati arrivare. Delle quali cose quando si ebbe poi sufficiente notizia, si ebbe pure nuova conferma delle non rette nè vere conclusioni che se ne traevano in ordine all' accordo ed alla cooperazione della suprema Autorità ecclesiastica; nè poteva pertanto mancare nè mancò infatti il rinnovarsi delle opportune osservazioni e rettifiche in piena conformità al Nostro pensiero, pur tenendosi il dovuto conto delle migliorie e degli alleviamenti che la più volte ricordata riforma sembrava annunciare alla Chiesa ed al Clero in Italia.

Potestatur nihil legitime posse in his rebus quod non fuerit prius probatum S. Sedi et Ipsi.

Ora che le proposte vogliono tradursi in legge e si vuol quindi per necessità di cose legiferare su materie e persone che sottostanno, almeno in principalità, alla sacra potestà da Dio a Noi affidata, Ci impone il debito del ministero apostolico, del quale a Dio stesso ed a Dio solo rispondiamo, di

---

tae reformationis, concludere voluere et fidem facere ipsam reformationem elaborari et praeparari annuente S. Sede et suprema auctoritate ecclesiastica; sed iam non semel perspicue demonstratum est, argumentationem non valere neque exsistere istum consensum, cum dicti periti ecclesiastici nullum mandatum recepissent. Si eorum Superiores permiserunt ut invitationem acciperent, hoc fecerunt nescientes quid definite cogitaretur faciendum, a quibusnam initiis proficisci et ad quosmam effectus pervenire intenderent. Quando postea haec satis cognita fuere, confirmabatur denuo vanitas et falsitas conclusionum de consensu et cooperatione Supremae Auctoritatis ecclesiasticae; nec deficere potuere vel defuere iterationes opportunarum observationum et correctionum prorsus cum nostra mente congruentium, etiam non neglecta debita ratione condicionum meliorum et mitiorum quas saepe memorata reformatio Ecclesiae et Clero in Italia praenuntiare videbatur.

Nunc autem, cum velint proposita in legem convertere ac proin, consequentia necessaria, legem ferre de rebus et de personis quae saltem principaliter subsunt sacrae potestati quam Deus nobis commisit, officio ministerii apostolici de quo ipsi Deo et soli Deo rationem reddimus, cogimur dicere et declarare nos non posse aliis iura et auctoritatem de huiusmodi materiis et per-

dire e dichiarare che su tali materie e persone non possiamo riconoscere ad altri diritti e potestà di legiferare, se non previe le convenienti trattative ed i legittimi accordi con questa Santa Sede e con Noi.

E certamente nessuno al mondo si indurrà facilmente a pensare ed a credere che senza tali trattative e tali accordi col Sommo Pontefice Romano siasi da uomini cattolici in questa stessa Roma preteso di dare nuovo assetto legale alla Chiesa cattolica in Italia; giacchè di questo appunto si tratta ora e non più soltanto di uno od altro provvedimento come quelli intesi a restituire alla scuola di un popolo cattolico l'insegnamento religioso, al Clero ed alla chiesa qualche parte del già maltolto. Quale accoglienza Noi riserbiamo a provvedimenti di tal sorta, abbiamo, non ha molto, chiaramente lasciato intendere parlando in solenne occasione, vogliamo dire nell'allocuzione concistoriale del giorno 14 dicembre 1925; ma nessuna conveniente trattativa, nessun legittimo accordo ha avuto luogo nè poteva o potrà luogo avere finchè duri la iniqua condizione fatta alla Santa Sede ed al Romano Pontefice.

Nec pactio de his Ebus cum S. Sede sperari potest donec persuanserit iniqua condicio S. Sedis et S. Pontefici facta.

Queste cose abbiamo giudicato opportuno e necessario communicare a Lei, Signor Cardinale, perchè ne faccia a sua volta le opportune e necessarie participazioni; e di cuore Le impartiamo la Apostolica Benedizione.

Ratia istius communicationis.

18 Febbraio 1926.

Dies (18 feb. 1926.

PIUS PP. XI

---

sonis leges ferendi agnoscere nisi prius cum hac S. Sede et Nobiscum congrui tractatus et legitimae pactiones facta fuerint.

Et profecto nemo gentium facile putabit et sibi persuadebit homines catholicos in hac ipsa Urbe, intendisse sine huiusmodi tractationibus et conventionibus cum Summo Pontifice Romano, dare novum statum iuridicum Ecclesiae catholicae in Italia; hoc enim in praesenti agitur, non autem quaepiam provisio qualis integratio institutionis religiosae scholis populi christiani, et partialis restitutio Clero et ecclesiis patrimonii inique ablati. Quomodo huiusmodi provisiones excipiamus, recens non obscure significavimus in sollemni occasione, i. e. in allocutione consistoriali 14 dec. 1925; sed nullus congruens tractatus nulla legitima conventio facta fuit, nec fieri poterat aut poterit quam diu permanserit iniqua condicio facta S. Sedi et Romano Pontifiici.

Opportunum et necesse existimavimus haec tecum Domine Cardinalis, communicare, ut tu rursus eadem nota facias sicut oportet et necesse est; atque ex animo tibi Apostolicam Benedictionem elargimur.

18 februarii 1826

PIUS PP. XI

4. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Litterae 5 iul. 1925

COMPETENTIA ET CONSTITUTIO S. C. PRO NEGOTIIS ECCL. EXTRAORDINARIIS

(A. A. S. 1 mart. 1926, XVIII, 89)

Sanctitas Sua, Litteris ad E.mum Cardinalem a Secretis Status, die 5 iulii 1925 datis, haec quae sequuntur declarare ac statuere dignata est: *Litterae 5 iul. 1925.*

1. Canon 255 de promovendis per Sacram Congregationem pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis ad vacantes dioeceses idoneis viris, quoties cum civilibus Guberniis agendum sit, ita intelligendus est ut ad eamdem Sacram Congregationem spectet Episcopos promovere etiam in casibus, in quibus Gubernia interrogantur circa difficultates, si quae sint, ordinis politici contra personas ad id officii praeelectas. *Interpretantes can. 255.*

2. Inter E.mos Patres Sacrae Congregationis pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis in posterum de iure cooptabuntur: Cardinalis Secretarius S. Officii, Cardinalis Secretarius Sacrae Congregationis Consistorialis, Cardinalis S. R. E. Cancellarius atque Cardinalis Datarius. *Cardinales ad eam S. C. de iure pertinentes.*

3. Eadem Sacra Congregatio suum habebit Praefectum, Cardinalem a Secretis Status, cui, iuxta can. 255, a Summo Pontifice negotia mandantur, examini eiusdem Congregationis subiicienda. *Praefectus ei assignatur.*

4. Omnibus autem Membris et officialibus eiusdem Sacrae Congregationis secretum imponitur S. Officii, emisso speciali iureiurando. *Iuratum secretum S. Officii membris et officialibus imponitur.*

ANNOTATIONES

I. His Pontificiis litteris complentur ea quae tomo XII, anno 1922, p. 43 ss. vulgavimus responsa peculiaris Commissionis Cardinalium de respectiva Competentia SS. Congregationum in argumentis quae sub diverso respectu ad varias SS. Congregationes pertinere posse videntur. Etenim, cum vi canonis

248 § 2, ad S. C. *Consistorialem* spectet constituendos Episcopos proponere, rursus autem vi c. 255 ad S. C. *pro neg. eccl. extraordinariis* pertineat « ad vacantes dioeceses idoneos viros promovere quoties hisce de rebus cum civilibus Guberniis agendum est », dubitari potuit quam late haec postrema verba intellegenda essent: v. g. utrum de solis casibus in quibus ex concordatis vel similibus pactionibus Gubernia civilia titulum interveniendi habeant, puta per nominationem, an etiam de casibus ubi, sine huiusmodi titulo, interroganda sunt vel interrogantur si quae difficultates ordinis politici his vel illis personis obici possint. Cuius dubii authenticam solutionem dant litterae Apostolicae 1925 quae, sub inscriptione *Notificatio*, nunc fiunt iuris publici.

II. Hactenus S. C. *pro Negotiis eccl. extraordinariis* carebat Praefecto, qui nunc ei assignatus est Cardinalis pro tempore a Secretis status. Praeterea quosdam de iure habet in suum gremium cooptatos Em.os Cardinales.

Cum litt. Pontificiae a 5 iulii 1925 scriptae et datae fuerint E.mo Cardinali a Secretis Status, nihil mirum quod in *Annuario Pontificio 1926* S. Congregatio exhibeatur composita ad normam istarum litterarum.

III. Iam in S. C. *Consistoriali*, secreto S. Officii tenebantur qui in nominandis Episcopis partem habebant. Nemo igitur mirabitur membra et officiales S. C. pro negotiis eccl. extr. astringi secreto S. Officii iam ob hanc causam quod saepe de promovendis Episcopis agere debeant.

5. — S. Congr. S. Officii

Decretum 25 ian. 1926

SAC. ERNESTUS BUONAIUTI DECLARATUR NOMINATIM EXCOMMUNICATUS ET EXPRESSE VITANDUS.

(A. A. S. 1. feb. 1926, XVIII, 40)

Die 25 iannuarii 1926

Memoratis superioribus decretis.

Con decreto (1) di feria IV, 26 marzo 1924 (cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol. XVI, p. 159) il sac. Ernesto Buonaiuti veniva colpito di scomunica, di condanna di tutti i suoi libri e scritti e del divieto di più scrivere, tener conferenze ed insegnare nelle pubbliche scuole in materia attinente alla religione.

Con altro decreto di feria IV, 28 gennaio 1925 (cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol. XVII, p. 69) lo stesso sac. Buonaiuti, in pena della sua pertinace disobbedienza era privato del diritto di vestire l'abito ecclesiastico, condannandosi insieme le sue nuove pubblicazioni, nonchè la rivista *Ricerche religiose* da lui diretta.

et documento pertinaciae invincibilis.

Ma neppure questa volta, come è a tutti noto, ha egli ottemperato a queste categoriche disposizioni ed ingiunzioni della superiore Autorità ecclesiastica. Pubblicò invece una *dichiarazione*, da lui inserita nella suddetta Rivista (vol. I, marzo 1925, p. 203), del seguente tenore:

DICHIARAZIONE. — Con decreto in data 30 gennaio 1925 la Suprema Congregazione del Santo Uffizio ha voluto proscrivere

---

(1) Id est latine: Decreto feriae IV 26 mart. 1924 (cf. A. A. S. XVI, 159) Sacerdos Ernestus Buonaiuti feriebatur excommunicatione, condemnatione omnium suorum librorum et scriptorum et prohibitione in posterum scribendi, habendi « conferentias » et docendi in scholis publicis circa res ad religionem pertinentes.

Altero decreto feriae IV, 28 ian. 1925 (cfr. A. A. S. XVII, 69), idem sacerdos Buonaiuti, in poenam pertinacis suae inoboedientiae, privabatur iure gestandi habitum ecclesiasticum. Simul proscribebantur nova eius edita scripta, atque Ephemeris ab ipso directa *Ricerche religiose*.

Verum neque hac vice, ut omnibus notum est, obtemperavit decretoriis dispositionibus et iussionibus superioris Auctoritatis ecclesiasticae.

Edidit autem declarationem insertam in supradictam ephemeridem (t. I, martio 1925, p. 203) sequentis tenoris:

DECLARATIO. — Decreto 30 ian. 1925, Suprema Congregatio S. Officii sol-

solennemente tutte le mie nuove pubblicazioni ed ammonire i fedeli di guardarsi dalla mia opera di insegnante e di scrittore.

Mi sono sforzato di fissare in *Una fede e una disciplina* le ragioni di coscienza che mi hanno indotto a contravvenire alla ingiunzione rivoltami nel precedente decreto di abbandonare la mia cattedra.

Le medesime ragioni mi inducono a continuare il mio lavoro extra-accademico.

Non ho motivo di aprire allo sguardo della pubblica curiosità la tristezza della mia anima, costretta dalla voce imperiosa di una vocazione insopprimibile ad assumere, riluttante, un'attitudine di apparente indisciplina, che mortifica le più profonde mie esigenze religiose.

Ma alla diffida rivoltami, in nome di un canone solitamente invocato per ben altri argomenti di indegnità sacerdotale, perchè io abbandoni l'insegna della mia missione, debbo, con umiltà ma con fermezza, rispondere che, essendo il sacerdozio indelebile e sentendone io viva più che mai la consegna rigida e costante, il recarne dinanzi al mondo il simbolo esteriore e il sigillo appariscente, è un tassativo dovere, è un incoercibile diritto.

ERNESTO BUONAIUTI

S. Cong. confirmans superiores sanctiones, sac. E. Buon-

Dopo tanta ostinazione, da cui non hanno valso a scuotere il ribelle sacerdote anche recentissimi richiami ed ammonimenti, questa Suprema Sacra Congregazione, confermando tutte

---

lemniter proscribere voluit omnia nova mea in lucem edita scripta, et fideles monere ut caveant meam actionem professoris et scriptoris.

In *Una fede e una disciplina* conatus sum definire rationes conscientiae quae me adduxerunt ad transgrediendam iussionem mihi superiore decreto intimatam deserendi meam cathedram.

Eaedem rationes me movent ut laborem meum extra-academicum prosequar.

Non est cur publicae curiositati revelem tristitiam animae meae, coactae imperiosa voce indeclinabilis vocationis, assumere, vel invitae, modum agendi apparentis rebellionis quae altissimis meis postulatis religiosis repugnat.

Ast intimationi mihi factae, vi canonis qui consuevit appellari propter prorsus diversa argumenta sacerdotalis indignitatis, ut nuntium darem insigni meae missionis, humiliter sed firmiter respondere debeo, cum sacerdotium sit indelebile ac magis quam umquam severa et perpetua eius praecepta sentiam, est meum definitum officium et ius non compressum ut eius exterius symbolum ac visibile sigillum coram hominibus deferam. ERNESTUS BUONAIUTI.

Post tantam obstinationem, a qua ne recentissimae quidem querelae et admonitiones rebellem sacerdotem dimovere potuerunt, haec Suprema S. Con-

e singole le precedenti disposizioni, ingiunzioni, proibizioni, sanzioni, a nome e con l'autorità della Santità di Nostro Signore il Sommo Pontefice, dichiara col presente Decreto il sopra nominato sacerdote Ernesto Buonaiuti scomunicato nominatamente e personalmente e, secondo il disposto del can. 2258 § 2, *espressamente vitando,* con tutte le conseguenze di diritto.

aiuti declarat nominatim excommunicatum et expresse vitandum.

Sono pertanto avvertiti i fedeli che, per effetto di questo Decreto, rimane loro vietata col nominato sac. Ernesto Buonaiuti ogni comunicazione a termini dell'altro canone 2267.

Inde proibita communicatio.

Dato a Roma dal Palazzo del S. Uffizio, 25 Gennaio 1926.

Dies (25 ian 1926).

LUIGI CASTELLANO

Notaro della Suprema S. C. del S. Offizio.

ANNOTATIONES

I. Observes decreto *S. Officii* adamussim servata esse omnia praescripta can. 2258 § 2 ut quispiam sit vitandus. Non solum enim miser iste sacerdos nominatim a Sede Apostolica est excommunicatus; non solum excommunicatio est publice denuntiata, sed etiam expresse edicitur ipsum vitari debere.

II. Decreta Suprema *S. Officii* Congregatione lata Pontificia approbatione munienda sunt. Verum hic locus huiusmodi confirmationi non est, cum decretum ipsius Pontificis nomine feratur.

III. Strictissime vetatur, immo plectitur excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata,

---

gregatio, confirmando omnes et singulas suas superiores dispositiones, iniunctiones, prohibitiones, sanctiones, nomine et auctoritate Sanctissimi D. N. Summi Pontificis, praesenti decreto declarat praefatum sacerdotem Ernestum Buonaiuti nominatim et personaliter excommunicatum, et ad normam can. 2258 § 2, *expresse vitandum,* cum omnibus iuridicis consectariis.

Itaque moniti sunt fideles, ipsis, vi huius decreti, ad normam alterius can. 2267, vetari omnem communicationem cum dicto sac. Ernesto Buonaiuti.

Datum Romae e palatio S. Officii 25 ian. 1926.

ALOYSIUS CASTELLANI
Notarius Supremae S. C. S. Officii

omnis *communio quae faveat* ipsi delicto excommunicati (c. 2338, § 2).

Eadem poena plectuntur clerici qui « scienter et sponte in divinis cum eodem communicent et ipsum in divinis officiis recipiant » (c. 2338, § 2).

Etenim vitandus excommunicatus repellendus est, si *divinis officiis*, excepta praedicatione verbi divini, sive active sive passive interesse voluerit.

Si repelli nequeat « ab officio est cessandum dummodo id fieri possit sine gravi incommodo » (c. 2259).

IV. Prohibetur quoque communio in profanis « nisi agatur de coniuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi rationabilis causa excuset » (c. 2267).

Glossa ad c. 3. L. V. Tit. 11 in VI, ita refert prohibitos vitae civilis actus :

« *Os, orare, vale, communio, mensa negatur* ».

In versu isto, *os* designat collocutionem, *orare*, privatam orationem, *vale*, salutationem, *communio*, commune tectum vel negotium, *mensa*, communem refectionem corporis.

Verbis autem « rationabilis causa », can. 2267 complectitur excusationes quas glossa in c. 15 L. V. Decretalium, c. 39 sic efferebat :

« *Utile, lex, humile, res ignota, necesse* ».

In quo versu, *utile* designat omne commodum cuiuspiam momenti ; *lex*, coniugium ; *humile*, famulatum ; *res ignota*, ignorantiam excommunicationis, *necesse*, necessitatem vel ferendum incommodum.

Observes autem excusationem ipso scandalo tolli posse.

V. Alia consectaria sunt variae prohibitiones et privationes quae in excommunicatum vitandum incurrunt. Cf. canones 2260 ad 2266 inclusive, et fusiorem expositionem P. CREUSEN, *Epitome iuris canonici*, III, n. 469.

6. — S. C. de Disciplina Sacramentorum

Responsa 24-29 iul. et instructio 25 nov. 1925.

DE PATRINIS

(A. A. S. 1 febr. 1926, XVIII, 43).

Ultraiecten. *24 iulii 1925.*

Die 8 octobris 1924 Rev.mus Archiepiscopus Ultraiecten. preces, quae sequuntur, huic Sacrae Congregationi porrexit:

Oratori

Beatissime Pater, — Archiepiscopus Ultraiectensis, ad pedes Sactitatis Vestrae provolutus, humiliter petit solutionem dubiorum quae hisce exponuntur:

Dubia de procuratore patrini, ex more regionis.

Ex can. 765, 5º C. I. C. ut quis sit baptismi patrinus, oportet baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneat aut tangat, vel statim levet, seu suscipiat de sacro fonte, aut de manibus baptizantis; et ex can. 768 patrinus cum baptizato contrahit spiritualem cognationem, quae quidem ex can. 1079 matrimonium irritat. Iam vero, uti apud nos moris est, qui patrinum agere vult, nemini mandatum confert expressum, sed, nisi per se officio illo perfungatur patrinus, baptizans vel baptizandi parentes aliam personam invitant, ut pro patrino absente agat.

Hinc sequentia dubia solvenda proponuntur:

I. *an ex tali agendi modo patrinus absens contrahat cognationem spiritualem, et inde exoriatur impedimentum canonis 1079; et si negative:*

I. De cognatione spirituali.

II. *quidnam a patrino faciendum sit ut agere valeat per procuratorem; nimirum:*

II. De legitima procuratoris constitutione.

a) an debeat conferre determinatae personae mandatum speciale:

b) an vero sufficiat, ut edat, sive scripto sive voce, mandatum generale pro persona per parentes vel per baptizandum determinanda; immo

c) an sufficiat mandatum generale praesumptum pro quavis persona?

Hisce dubiis E.mi Patres in plenario Conventu diei 24 iulii 1925 responderunt:

Responsa diei 24 iul. 1925.

« Ad I. Si patrinus, agnoscens huiusmodi consuetudinem, eidem sese conformare intendat, et aliunde patrinus ipse esse possit ad normam can. 765, *Affirmative* ».

Ad I.

Ad II.

« Ad II. provisum in I. Attamen praedicta consuetudo est reprobanda: 1° quia indubitanter constare debet patrinum in facie Ecclesiae proprium munus suscepisse, quod per dictam consuetudinem manet incertum et aequivocum; 2° quia patrinus suum munus suscipere debet cum plena notitia et conscientia inde exorientis obligationis ad mentem can. 769, quod excludere videtur praefata consuetudo, quippe quae redigit patrini officium ad quemdam inanem ritum; 3° quia ex tali recepto more facultas fere demitur parocho conditiones explorandi, quae a can. 765 et 766 requiruntur, ut quis valide et licite patrini munus suscipiat ».

Facienda Instructio decernitur.

« Hisce prae oculis habitis, Instructio pro R.mis Ordinariis locorum fiat ».

Approbatio SS. 29 iul. 1925.

Facta insuper de his omnibus relatione Ss.mo Domino Nostro Pio Papae XI per infrascriptum Secretarium huius Sacrae Congregationis, die 29 iulii 1925, Ss.mus decisionem EE. Patrum ratam habuit et confirmavit.

† A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius.*

INSTRUCTIO

Ex responsionibus datis ad proposita dubia, colligitur quae E.morum ac Rev.morum PP. Cardinalium hac in re mens fuerit.

Antiquitas institutionis et fata historica recoluntur.

Equidem in spirituali hominis regeneratione, quae fit per baptismum, ex vetustissimo Ecclesiae more patrini adhibentur, qui a sacrarum rerum scriptoribus *susceptores*, vel *sponsores*, seu *fideiussores* sunt appellati, horumque mentio primis religionis christianae saeculis iam habetur, ut penes Tertullianum, *De baptismo*, cap. 18. Cum enim ex baptismo vita spiritualis incipiat et confirmatione perficiatur, Ecclesia iam e remotiore aetate baptizantem vel confirmantem nec non patrinum et matrinam habuit tamquam parentes spirituales baptizati vel confirmati; unde nomen patrini et matrinae. Qua ex spirituali cognatione consequens fuit processu temporis, ut inductum sit impedimentum matrimonium dirimens; idque religiose excepit lex Iustinianea (l. 26 Cod. V, 4), hanc reddens rationem: « quum « nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem et iustam « nuptiarum prohibitionem, quam huiusmodi nexus per quem, « Deo mediante, animae eorum copulatae sunt ». Et ex hodierni nostri Codicis praescripto vi cc. 768, 797 cognationis spiritualis institutum in sua substantia perseverat immutatum; verum hodie mutatur eius effectus, quia cognatio tantum quae ex

baptismo oritur impedimentum secumfert dirimens matrimonium (c. 1079), idemque arctioribus limitibus constrictum.

In varietate disciplinae constans studium ut munus patrinorum sancte suscipiatur

Porro Ecclesia, pro diversa temporum conditione, impedimentum ob spiritualem cognationem constitutum, diversis limitibus constringere duxit: nihilominus Decretales RR. Pontificum, instructiones a Conciliis et a Sacris Congregationibus editae, id unum constanter docent, nempe studium, quo Ecclesia semper curavit, ut patrinorum munus sancte suscipiatur, eorumdemque obligationes fideliter expleantur.

Artum vinculum quo patrini ac filioli coniunguntur,

Compertum est enim quam arctis vinculis et officiis patrini ac filioli inter se devinciantur. Ait Nicolaus Papa: « Ita diligere debet homo eum qui « se suscepit de sacro fonte, sicut patrem » (c. 1, C. XXX, q. 3). Ac veteres sacri canones obligationes patrinorum ita diserte describunt: « Vos ante omnia, « tam mulieres quam viros, qui filios in baptismo suscepistis, « moneo, ut vos cognoscatis fideiussores apud Deum exstitisse « pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. Ideo semper « eos admonete, ut castitatem custodiant, iustitiam diligant, « caritatem teneant. Ante omnia symbolum et Orationem Domi- « nicam et vos ipsi tenete, et illis, quos excepistis, ostendite » (c. 105, D. IV, *De consecr.*).

Patrinus semper edoctus de obligatione curandi religiosam filioli institutionem.

Ecclesia nempe indesinenter monuit patrinos atque edixit eosdem teneri ad religiosam filioli institutionem, ut S. C. S. O. explicavit die 9 dec. 1745, ad Mission. Aegypti, ex origine et natura patrinatus, simul referens doctrinam D. Thomae: « Spiri- « tualis regeneratio quae fit per baptismum, quodammodo similis « est generationi carnali; et quemadmodum in generatione « carnali parvulus nuper natus indiget nutrice et paedagogo, « ita quoque in regeneratione spirituali oportet ut aliquis sit, « qui fungatur vice nutricis et paedagogi, filium suum spiri- « tualem instruendo in iis quae pertinent ad fidem et vitam « christianam » (*S. Th.*, p. III, quaest. 67, art. 7). Item in aliis Instructionibus eiusdem S. C., ut mense ianuario 1763, ad Praef. mission. Tripol.; ac die 15 sept. 1869, ad Administratorem Apost. Perthen.

Et quemadmodum Catechismus Concilii Tridentini districte commonefacit: « Universe susceptores semper cogitent se hac « potissimum lege obstrictos esse » (part. II, cap. II, n. 28), ita Codex iuris canonici gravissimis verbis de obligationibus patrinorum quoad baptismum praecipit: « Patrinorum est, ex su- « scepto munere, spiritualem filium perpetuo sibi commenda- « tum habere, atque in iis quae ad christianae vitae institu- « tionem spectant, curare diligenter ut ille talem in tota vita

« se praebeat, qualem futurum esse sollemni caeremonia spopon-
« derunt » (can. 769). Atque in *Rituali Romano*, nuper ad nor-
mam Codicis accommodato, iisdem verbis officia patrinorum
inculcantur (*De patrinis*, n. 38, tit. II, c. I).

Quod valet etiam de confirmatione.

Quod autem ad confirmationem spectat, in Pontificali Ro-
mano ita edicitur: « Pontifex patrino et matrinae annuntiat
« quod instruant filium suum bonis moribus, quod fugiat mala
« et faciat bona, et doceant eum *Credo in Deum*, et *Pater noster*,
« et *Ave Maria*, quoniam ad hoc sunt obligati » (tit. *De con-*
« *firmandis*). Et Codex iuris canonici, can. 797: « Patrinus obli-
« gatione tenetur confirmatum perpetuo sibi commendatum
« habendi eiusque christianam educationem curandi ».

Iude plures munere exclusi.

Quapropter semper Ecclesia prohibuit ne ad patrini munus
admittantur, qui eius obligationes implere fideliter nolint, aut
sedulo non possint; et Codex iuris canonici conditiones distin-
cte enumeravit ad munus illud licite suscipiendum requisitas,
scil. pro baptismo can. 765 et 766 quae item recoluntur in
Rituali Rom., l. c., nn. 35-36; ac pro confirmatione can. 795
et 796.

Querelae de neglecto munere

Quod vero ad quaestiones propositas a R. P. D. Archie-
piscopo Ultraiecten attinet, etiam Synodus prov. Ultraiectensis
anno 1865 habita, vehementer conquerebatur quod nimis leviter
et negligenter patrini munus susciperetur et perageretur, ita
arguens: « Hoc officium nimium negligenter habetur nostris
« diebus, deque eo vix cogitant sive ii quibus patrini inducendi
« cura est, sive iis qui sanctam hanc curationem in se susci-
« piunt. » Et Catechismus Concilii Tridentini graviter ita hunc
morem reprehendit: « Hoc munus adeo negligenter in Ecclesia
« tractatur, ut nudum tantum huius functionis nomen relictum
« sit, quid autem sancti in eo contineatur, ne suspicari quidem
« homines videantur » (l. c., n. 28). Qui contemptus ecclesias-
ticae disciplinae hodierno tempore eo magis est deplorandus,
quo gravior urget necessitas christianae fidelium institutionis.

Inde reprobatus mos et data Instructio.

Quamobrem E.mi Patres Cardinales Sacrae huius Congre-
gationis de disciplina Sacramentorum, cum ad proposita dubia
responderint, ex relata agendi ratione cognationem spiritualem
contrahi, ut supra scriptum est, acriter insimul improbarunt
expositam consuetudinem, et rationes ad rem spectantes in
vulgus edi iusserunt, Instructione scilicet adiecta, ut nempe
gravitas muneris patrini et obligationum eius fidelibus sedulo
explicetur, ab iisque intimius cognoscatur, cum praesertim
Codex leges de patrinis in baptismo diserte tulerit, lib. III

part. I, tit. I. cap. IV, quae in *Rituali Romano* denuo recensentur, et pro confirmatione, tit. II, cap. IV.

Quomodo mandatum dandum sit.

Etenim prouti nemo a parocho proprio est admittendus ad patrini munus, qui conditionibus ad validam aut licitam huius muneris susceptionem requisitis non praestat, ita quoties in sacramenti collatione quis patrini partes expleat non suo nomine, sed alterius certae et determinatae personae nomine eiusque mandato, huiusmodi mandatum seu mandantis voluntas legitime probetur oportet, videlicet per idoneos testes aut per scriptum ac legitimum documentum, nisi aliunde intentio mandantis sit certo et indubitanter parocho proprio baptizandi vel confirmandi explorata, adeo ut parochus investigare queat an designatus patrinus polleat qualitatibus iure requisitis, atque in libris, ubi ad tramitem ss. canonum est notanda sacramenti collatio, inscribatur nomen tum procuratoris tum mandantis, qui se quidem patrini munus cum huius legalibus effectibus suscepisse scire debet. Hisce praecipue de rationibus hic Sacer Ordo reprobandam censuit consuetudinem quae, etsi recte observetur, mandatum dumtaxat generaliter praesumptum continet.

Laici instruendi sunt de munere eiusque vera ratione.

Id denique animadvertendum est, nempe patrinorum munus suapte natura ad laicos pertinere ; quare in *Catechismo Tridentino,* l. c., n. 26, praecipitur, accurate a pastoribus et a sacris concionatoribus efficiendum esse, ut fideles intelligant quae potissimum ad illud rite explendum sint necessaria. Prae primis explicare oportet quae causa fuerit cur patrini adhibeantur, quaeque sint partes eorum, quidque ab illis exigatur ; quae maxime in ipsa sacramenti collatione opus est explanari, tum fidelibus omnibus, tum illis praecipue qui hoc munus suscipiunt.

Urgenda, maxime hodie, perpetua commendatio filioli patrino.

Illud peculiariter est valde inculcandum, patrinorum esse, ex fideiussoris munere suscepto, spiritualis filii christianam institutionem curare (cc. 769, 797, 1335), eumque perpetuo sibi commendatum habere ; unde eruitur quantum dedeceat ut, qui se alterius paedagogum et custodem professus est, illum deserat,quem semel in fidem et clientelam suam recepit, donec illum opera et praesidio suo egere intellexerit *(Catech. Trid.*, eod. l., n. 28). Quod instantius nostris temporibus urgendum est, quibus fides et boni mores magis periclitantur, cum ipsi quandoque parentes, gravium officiorum obliti, christianae liberorum educationi haud sedulo incumbant ; proindeque patrinorum opera diligentius est impendenda « ne a munere, cuius « nomen et signum retinetur moribus, observantia exulet chris- « tianae caritatis, quae illud instituit et commendat » (Ex Conc. Prov. Pragen., a. 1860).

Imitatio institutionis in patrinatibus laicis.

Quae dum recoluntur gravissima documenta, adnotare praestat quod tam nobilis, excellens et efficax visa est Ecclesiae huiusmodi institutio de patrinis, ut passim in civilibus nationibus inducti sint patrinatus seu patronatus, veluti pro pueris, qui scholis incumbant, aut e scholis discesserint; uno verbo, pro omnibus fere huiusmodi necessitatibus, quibus parentes aut ipsi civiles magistratus haud satis prospicere valeant; sed cum fides christiana frigescat, hodie despicitur vel parvi fit sanctus patrinatus ab Ecclesia iam pridem institutus, et ex adverso studiose datur opera laicis institutionibus. At hoc incommodum tam grave tamque probrosum pro christianis viris e medio penitus tollendum est, et menti sanctae matris Ecclesiae obsequendum cum id in salutem quoque ipsius consortii civilis vertat.

Abusus tollendus est.

Dies (25 nov. 1925).

Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 25 novembris 1925.

M. Card. LEGA, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. CAPOTOSTI, Ep. Thermen., *Secretarius.*

ANNOTATIONES

Quaedam de dubiis, quaedam de instructione S. Congregationis observanda videntur.

I. **De dubiis**. Quaesitis Ill. Episcopi Ultratraiectensis istud utile nec tam manifestum interrogatur, de modo quo procurator pro patrino efficaciter constitui possit.

1. Sufficitne mandatum *generale* pro persona ab alio determinanda, an requiritur speciale datum definitae personae.

2. Sufficitne mandatum generale *praesumptum* pro quavis persona.

Ad. 1. E.mi Patres declararunt mandatum generale pro persona ab alio determinanda, iuridice sufficere posse.

Quod nobis manifestum videtur, cum generale mandatum e natura rei sufficere possit, nec Codex quidpiam praeterea exigat. Cum vult mandatum fieri

speciale et directum, istud expresse enuntiat, ut pro assistente matrimonio vel procuratore qui ad consensum matrimonialem pro alio dandum eligitur.

Ad 2. Minus manifesta est responsio ad alterum quaesitum.

E.mi Patres vim agnoverunt praesumptionis de praesenti. Etenim ex more recepto, qui munus patrini acceptat et simul abest a baptismo, censetur admittere mandatarium quem parentes vel baptizans elegerint. Ipso silentio suo, certam coniecturam fundat de praesenti sua intentione.

Prudenter autem E.mi Patres observarunt necesse tamen esse ut ipse mandans esse possit patrinus ad norman c. 765. Quod enim quis iuridice non potest, minus potest per mandatarium.

Verum quaestio amplior est. Non distinguit enim praesumptionem de praesenti et de futuro ; mandatum generale pro persona determinanda a parentibus vel parocho, et mandatum generale pro qualibet persona quae se offerat ad suscipiendum infantem pro alio.

Supponamus hunc casum. Puer defertur ad baptismum. Nullus adest idoneus vel qui velit nomine proprio esse patrinus. Verum quispiam adstans declarat : Ego puerum e fonte levabo pro Ambrosio qui certo rem gratam habebit. Agitne adstans efficaciter pro Ambrosio ita ut is, si ratum habeat factum, vere sit patrinus et contrahat affinitatem ?

Liquet enim nihil esse factum ante quam Ambrosius consensum dederit.

Secundum principium generale, facta aliena promitti possunt ita ut a momento ratihabitionis is cuius factum promissum erat vere obligetur. « Ratihabitionem retrahi et mandato non est dubium comparari » Ita BONIFATIUS VIII, 10 Regula Iuris in 6°.

Porro nihil, in praesenti causa applicationi istius principii repugnare videtur. Nullus textus expresse

illam impedit. Natura rei sinit ut obligationes patrinorum post baptismum contrahantur. Physica manus impositio, seu susceptio ex fonte mere significat sollemniter voluntatem gerendi munus patrini. Signum istud a negotiorum gestore datum est.

Quocirca iste modus etiam, nostra sententia, in rigore sufficere potest.

Itaque, quia huiusmodi comparationes sua utilitate non destituuntur, *licentia* praesumi potest de futuro, quia ista rationabili voluntatis Superioris interpretatione, debita dependentia servatur; praesumi potest de futuro *consensus in contractus obligationes*, quia exsecutio obligationum post ratihabitionem utiliter fiet; praesumi autem de futuro non potest *dispensatio*, quia haec vim suam momento dispensationis exserere deberet. Vim autem istam haurire non posset ex voluntate quae tunc non habetur.

Susceptio autem muneris, qualis est patrini, aequiperatur susceptioni obligationum ex contractu. Munus enim obligat quasi ex contractu. Ergo praesumptum generale mandatum per se sufficere potest.

Verum, quia integrum est praesumpto patrino factum ratum habere vel repudiare, minister sacer, ubi alia copia detur, non poterit contentus esse huiusmodi muneris susceptione praesumpta, nisi iam habetur praeterea altera persona quae munus sive patrini sive matrinae certo assumat. Namque leges ecclesiasticae iubent ut saltem unus sit patrinus vel matrina.

II. **De Instructione**. Instructio ista profecta est a maxime laudabili intentione inculcandi fidelibus quod vocare possimus adorationem et religionem in spiritu et veritate; i. e. ut nihil sacrum peragant mere *pro forma*, sed intellegant quod peragunt vel admittunt, atque ad intellectum mores et actus aptent.

Simul tamen dissimulandae non sunt difficultates quae adimpletioni votorum S. Congregationis hodie

obstant. Etenim, a multis iam annis, apud plerosque fere non attenditur ad officium istud spiritualis sollicitudinis quod simul cum numere patrini assumitur, nec leges civiles permittere solent ut contra parentum voluntatem patrinus quidpiam moliatur.

Nihilo minus assidua praedicatio veritatis, ad quam S. Congregatio tam enixe hortatur, remotio reprobatae consuetudinis, ut seria et deliberata sit susceptio muneris patrini, diu infructuosae esse non poterunt.

7. — S. C. Concilii

Resolutio 4 april. et 13 iun. 1925

DE MENSURIS GERMANIAE

Ratisbonen.

4 aprilis et 13 iunii 1925

Memorato usu academicarum mensurarum

SPECIES FACTI. — Inter ephebos scholarum, praesertim Universitatum germanicarum, monomachiae quoddam genus in usu est, quod dicitur « Mensura academica » : in hoc nimirum consistit ut contendentes, armis peculiaribus, ad modum parvi cultri, utentes, ceteris partibus corporis bene tectis, vulnus, seu potius incisionem in faciem adversarii inferre nitantur, cuius vestigia plerumque brevi tempore oblitterantur. Nequaquam igitur mors seu mutilatio intenditur, nec nisi per accidens, ex imprudentia aliave causa, ex his mensuris sequitur : quae, immo, ut plurimum, non ad ulciscendam iniuriam, vel honorem reparandum committuntur, sed potissimum ludi, crudelis profecto, vel virium animique exercitandi causa. Generatim catholici ab huiusmodi monomachiis se abstinent ; non tamen semper, quia potius ludus temerarius, vitae integritatisve periculo carens, quam res magni momenti aestimantur.

et responso S. C. C. 1890.

Haec eadem referens iam anno 1890 Episcopus Wratislaviensis - cum ad sacros Ordines nonnullos adolescentes promovere intenderet, qui his mensuris, ut committentes vel patrocinantes, partes habuerant, - ab hac Sacra Congregatione

postulavit declarari: « An, a quibus et ex quonam titulo irre-
« gularitas contrahatur quando duellum ea ratione committitur,
« qua his temporibus inter Germaniae Universitatis alumnos
« fieri solet in casu ». Et sacra haec Congregatio die 9 augusti eiusdem anni respondit: « *Affirmative,* a duellantibus eorumque patrinis *ex infamia iuris* ». (Cfr. *Thesaur. resol. S. C. C.* tom. CXLIX, p. 769 ss.) Ex quo responso retentum est certamina illa esse vera duella sensu canonico, et exinde duellantes poenis ab Ecclesia constitutis esse obnoxios. Ad rem Santi-Leitner (*Prael. iur. can.,* 1899, vol. V. tit. XXXIV): « S. C. C. caput Tridentinum authentice interpretata est sic ut sub voce *duellantes* etc., comprehendantur duellantes modo ab alumnis Universitatum Germaniae usitato ». Quamobrem, cum, dato Codice, poenae in duellantes can. 1240 s., 2351 iisdem fere verbis enunciarentur ac in Tridentino, sess. XXV, *de ref.,* c. 19, pronum fuit, quaerenti Episcopo Ratisbonensi « An resolutio S. C. C. in Wratislavien. *Irregularitatis,* die 9 augusti 1890, adhuc hodie vigeat in casu », respondere: *Affirmative.* (cfr. *A. A. S.,* vol. XV, p. 154).

quod adhuc vigere declaratum est 10 feb. 1923,

Nuper tamen, referente, nomine Conferentiae Episcoporum Fuldae habitae die 20 augusti 1924, Cardinali Episcopo Wratislaviensi, controversia haud levis oborta est circa vim responsi huius S. C. diei 9 augusti 1890, cum nonnulli scriptores, distinguendo inter mensuras quae cum periculo *gravis* vulneris committuntur, ab iis quae nonnisi *levis* vulneris periculo perficiuntur, teneant resolutionem Sacri Consilii ad illas, minime vero ad has spectare; quam distinctionem, attenta ratione authenticae interpretationis quae subest eidem resolutioni, plures alii reiiciunt. Cum res agatur - ut patet - quae non meram doctrinam, sed actionem vitae vivendae non parum interest, definitiva quaeritur ab Episcopis huiusce dubii solutio:

controversia refertur oborta de distinctione inter varias mensuras.

Dubium propositum.

« An declarationes eiusdem Sacrae Congregationis Concilii
« anni 1890 et 1923, quibus mensurae in Universitatibus Ger-
« maniae usitatae, quae speciali nomine *Bestimmungmensuren*
« vocantur, poenis ecclesiasticis subiiciuntur, illas tantum men-
« suras respiciant, iuxta nonnullorum recentiorum sententiam,
« quae *cum* periculo gravis vulneris committuntur, an etiam
« complectantur ea, quae *sine* periculo gravis vulneris fiunt,
« in casu ».

Votum prioris Consultoris.

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. — R.mus Consultor, cuius votum in prima actione diei 4 aprilis 1925 propositum est, recentiorum quos dubium refert rationes amplectitur ac proponit. Adnotat nimirum sive in fontibus iuris notissimis sive iuxta pro-

batissimos doctores, ad rationem duelli in sensu canonico requiri periculum mortis vel mutilationis aliusque *gravis* vulneris, cum duellum gravissimis poenis puniatur, quae, ad rationem servandam poenae cum delicto (can. 2218), supponunt *atrox* delictum, quale in se non est pugna sine periculo *gravis* vulneris infligendi. Si nonnisi *levis* vulneris periculum est, nonnisi superest, ad summum, *remota* praeparatio duelli proprie dicti, ad quam genuina interpretatio vetat transferre poenas contra ipsum delictum seu duellum latas. Cum tamen et haec praeparatio duelli, in casu, gravi scandalo et bonis moribus periculo esse consueverit, ac ideo reprobanda et coercenda, dubio in hanc formulam reformato: « An et quomodo coercendae sint mensurae, de quibus in casu » putat respondendum esse: « Affirmative », per propriam censuram, vel ab hac Sacra Congregatione, vel ab Ordinariis Germaniae collatis consiliis, decernendam.

Dilata responsio.

Verum E.mi Patres, re funditus perpensa, censuerunt his nondum plene satisfactum esse quaesito, rescribentes: « Dilata et scribat alter »: quod approbavit Beatissimus Pater.

Votum alterius Consultoris

Alter hic Consultor scite et erudite edisserit in iure de duplici interpretationis genere, cuius notio usitatissima est, nempe de *privata* seu doctrinali, et *authentica*, praesertim quoad legem poenalem; ostenditque pluribus adductis auctoritatibus, ceterum obviis, non licere doctrinali interpretatione comprehendere in lege poenali sub eadem poena casum non expresse significatum, nisi ex identitate obiecti; sed longe aliter sentiendum de interpretatione authentica, quae auctoritate sua supplet defectus motivi adaequati, quod petitur ex rationibus secundariis, ac etiam obiecto extrinsecis. In facto autem censet omnino clarum et perspicuum, vel ex verbis quibus resolutio S. C. C. diei 9 augusti 1890 concipitur, eâdem contineri authenticam interpretationem comprehensivam sub voce *duelli* etiam mensurarum quae cum periculo levis vulneris fiunt. Concedit quidem identitatem adaequati motivi poenae deesse in casu, cum periculum gravis vulneris arceatur; sed fundamentum omnino sufficiens ad *authenticam* interpretationem comprehensivam invenit in favore, qui huiusmodi mensuris praestatur duello, delicto nimirum Ecclesiae semper detestabili et exsecrabili, non modo propter periculum mortis aut mutilationis, verum etiam propter superstitionem vel certe inhonestatem formalem quam induit usus medii ad finem non proportionati.

Animadversiones ex officio;

Ex officio quoque plura, in hanc quidem sententiam, animadvertebantur. In primis quod in resolutione anni 1890 plec-

de vi superioris resolutionis;

terentur mensurae etiamsi cum periculo *levis* tantum vulneris, manifesto patet ex proposito quaestionem ponentis; videlicet haec una suberat dubitandi ratio, quod in casu periculum gravis vulneris arceretur: secus, enim, singularia certamina, quae armis cum periculo vitae fiunt, accenseri duellis atque poenis canonicis subesse, licet ad meram virium ostensionem committantur, id iam definitum erat ac certissimum: ideoque otiosam plane quaestionem posuisset Episcopus.

Liquet idipsum ex verbis quibus dubium conceptum est omnino generalibus, « quando duellum ea ratione committitur « qua his temporibus inter Germaniae Universitatum alumnos « fieri solet »: ubi nulla distinctio fit periculi sive levis sive gravis vulneris; atqui ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus. Idque multo minus in casu: 1º quia in facti specie explicitissime edicitur certaminum ordinarium exitum esse « vulnus in facie cuius vestigia brevi tempore oblitescunt » quod certe non convenit *gravi* vulneri; et ideo casus per distinctionem excludendus, directe intenditur; 2º quia, referentibus Episcopis, « inaudita apparet distinctio inter graviores et le- « viores mensuras. Nam sicut experientia constat, practice vix « notabile discrimen observatur in mensuris a praesidibus « societatum academicarum institutis et sodalibus praescriptis. « Omnes eodem paene modo et secundum easdem paene regu- « las exercentur ubique cum eodem paene periculo vulneratio- « nis, quod utique per se grave non est et solum per accidens « raro aliquando evenire potest grave ».

Nec in contrarium facessit quod in *disceptatione synoptica* resolutioni praevia videatur acceptari et assumi ad arguendum definitio duelli prout a Lehmkuhl traditur (*Th. mor.*, [12 ed.] I n. 1014): « pugna singularis ex condicto, armis ad occiden- « dum sive *graviter* vulnerandis aptis: quae ceterum definitio « — ita subditur — est communis inter auctores ». Notissimum quidem est in hisce relationibus rationes hinc inde, vel inter se contrarias, proferri ad disceptandum, non ad concludendum. Sicut apparet etiam in casu, ubi, iuxta alios, videtur acceptari contraria auctoritas Lucii Ferraris, asserentis, (Biblioth., s. v. *Duellum*, n. 1) ad duelli notionem sufficere periculum occisionis vel vulneris, etiam non gravis, quae pariter definitio, in disceptatione synoptica, expresse appellatur et dicitur « communis inter auctores ».

Stat igitur, praeter omne dubium, Sacram Congregationem E.morum Patrum Concilii Tridentini Interpretum, anno 1890, quo exclusive pollebat facultate sacros canones Tridentinos

authentice proponendi, declarasse sub sess. XXV cap. 19 de *ref.* comprehendi debere mensuras academicas utpote tunc ab alumnis Universitatum fiebant, etiamsi periculum gravis vulneris arceretur.

de motivis istius resolutionis;

Huius interpretationis fundamentum, praeter quidem auctoritatem interpretantis, inepte scriptor aliquis collocat in eo quod Sacra Congregatio « *secuta est* sententiam eorum qui « arma lethalia ad delicti notionem non requirunt, sed duellum « definiunt periculo occisionis, mutilationis *vel vulneris* ». Nam interpretatio authentica potest quidem, et aliquando debet, *perpendere* ea quae doctrinalis ut certa, vel ut dubia proponit, sed *sequi* non cogitur, praesertim cum res utrimque controvertitur. Nominatim in re poenali potest auctoritas legitima decernere eadem mulctari poena actus, in quibus, iuxta doctores, non verificetur ratio perfecta criminis pro quo directe est poena constituta: sive propter peculiarem relationem quam hi actus habent cum eo crimine, sive propter rationem scandali et damni praecavendi (c. 2218). Id perspicue emicat in poenis contra duellantes propositis, quae decernuntur quoque contra quamlibet operam aut favorem praestantes, non solum duellis ipsis, dum peraguntur, sed ipsi duellorum consuetudini; (cfr. Bened. XIV, const. *Detestabilem,* a. 1752, coll. can. 684). Eae immo tanto latius extenduntur quanto apertius demonstrari possit reprobatio Ecclesiae in detestabilem duellorum abusum, qui cum tanto scandalo et damno fidelium coniungitur. Atqui procul dubio huiuscemodi mensurae favent duello, immo sunt eiusdem *proxima* praeparatio. Quod enim iam animadvertebatur in folio causae Wratislavien. 9 aug. 1890: « haec effera certamina viam ad graviora duella cum periculo occisionis et mutilationis sternunt », magis elucet consideranti *obligationes* quas suscipiunt adolescentes dum nomen dant sodalitatibus academicis hisce mensuris faventibus: « Lo studente entrando « in una tale associazione si obbliga alle *Bestimmungmensuren* « assolutamente, *al duello grave condizionatamente,* vale a dire « quando lo studente sia offeso o venga sfidato » *(in actis).* Porro nemo non videt quantum, ex toleratis hisce certaminibus, deficeret Ecclesia a suo proposito arcendi, quanto magis potest, fideles ab effera duelli consuetudine; ex quo proposito dumtaxat poenas duellantium extendit vel ad ex industria spectantes et ad remotissimos quoslibet cooperatores.

de incommodo eam revocandi;

Quod autem proponitur, ut mensurae cum periculo solummodo levis vulneris relinquantur arbitrio Episcoporum coercendae, prae primis directe est contrarium resolutioni iam datae

die 9 augusti 1890, quae, ut vidimus, indubitanter mensuras ipsas mulctavit eisdem ac duellantes poenis. Quamobrem implicite revocaretur eadem resolutio: cuius revocationis faciendae nulla profecto in praesenti suppeditatur necessitatis vel opportunitatis ratio. Deinde vero id consilium non paucis nec levibus confusionibus in praxi, ut pronum est intelligere, originem daret.

de genere armorum quocum mensurae celebrantur.

Demum nec spernendum videtur novum elementum facti quod in actis suppeditatur circa genus armorum quocum hae mensurae peraguntur. Cum, nempe, anno 1890 de re disceptatum est, id tantum relatum apparet, singularem illam pugnam fieri « parvo quodam *cultro* ». Nunc autem nunciatur: « L'arma « che comunemente si adopera nella « Bestimmungmensur » « chiamasi *Schlaeger* o *Haurapier* (i. e. italice, *sciabola*, o fioretto « *da taglio*) ed ha la forma di una *spada* diritta e sottile colla « impugnatura circondata da un guardamano. La lama, il cui « peso è molto minore di quello d'una spada comune è lunga « 80-90 cm. larga 1 cm.; presenta nella sezione trasversale la « forma di un cuneo, con la superficie superiore larga 3 mm.; « è quasi per tutta la lunghezza ottusa ed *ha soltanto verso la « punta un corto taglio vivo*. Gli accademici impiegano quest'arma « secondo determinate regole, per dare colpi non di punta, ma « di taglio. In questi combattimenti *per lo più* non vi è pericolo « di ferite gravi, essendo la parte inferiore del corpo, le braccia, « le ascelle, il collo (spesso anche gli occhi, gli orecchi, il naso, « il mento, la gola) ben protetti per mezzo del cosidetto *Pauk- « wichs* (italice: tenuta da duello). Così l'arma, *sebbene per sè « atta a ferire gravemente*, tuttavia non lo è nelle circostanze « concrete di fatto. » Liquet igitur in his quoque mensuris decertari *armis lethalibus*, iisdem nimirum quibus graviora duella committuntur, totaque res sic agi videtur prout solet in duellis ad primum sanguinem quae vocantur, quaeque ex notissima constit. *Illius vice*, Clementis VIII, 1592, poenis duellantium directe subiiciuntur. Verum, quidquid de hoc sit, procul dubio non eodem modo res agitur, ut quidam praetendunt, in mensuris ac in digladiationibus, *(*vulgo *esercizio di scherma)* ubi ferrum adhibetur acie prorsus retusa.

Quare etc.

Resolutio S. C. 13 iun. 1925;

Resolutio. — E.mi Patres Sacrae Congregationis Concilii, in plenariis comitiis habitis ad Vaticanum, die 13 iunii 1925, omnibus perpensis, ad dubium quod sequitur, nimirum:

« An declarationes S. C. C. anni 1890 et 1923, quibus men-

« surae in Universitatibus Germaniae usitatae, quae speciali « nomine *Bestimmungmensuren* vocantur, poenis ecclesiasticis « subiiciuntur, illas tantum mensuras respiciant, iuxta nonnul- « lorum recentiorum sententiam, quae *cum periculo gravis* « *vulneris* committuntur, vel etiam complectantur eas, quae « *sine periculo gravis vulneris* fiunt in casu »; responderi man- « darunt: « *Negative*, ad primam partem. *Affirmative* ad alteram ».

Quam resolutionem, referente infrascripto Secretario, in audientia diei 20 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. Pius PP. XI approbare et confirmare dignatus est.

Approbatio Pontificis 20 iun. 1925.

† *Iulius, Episc. Lampsacen., Secretarius.*

ANNOTATIONES

Iuvat nunc, addita disputatione synoptica, ex A. A. S. referre resolutionem quam iam antea (t. XIV, 1925-26, p. 172) nostra *Periodica* dederunt.

II. Disputatio autem ista nihil nobis suggerit mutandum in argumentis quibus antea egimus de istis specialibus pugnis singularibus.

Confirmat autem quod tunc monebamus, agi revera de interpretatione extensiva quam S. Sedes profecto propter iustas causas dare et imponere potest. Namque, ut ex ipsa disputatione synoptica colligitur, ex communibus interpretationis legibus, sensus iste in poenali canone de duellis non continetur. Quare minus capimus cur alter Consultor interpretationem istam vocaverit « comprehensivam ».

Potissima autem ratio cur extensiva suaderi posset nobis peti videtur ex eo quod diversa responsio haberi potuisset ut implicita revocatio prioris datae anno 1890.

8. — S. C. de Religiosis

Declaratio 24 nov. 1925

DE NATURA IURIDICA CONGREGATIONIS « SISTERS OF MERCY »

(A. A. S. 15 ian. 1926, XVIII, 14)

Dubia

I De domibus autonomis

Sacrae Congregationi Religiosorum Sodalium negotiis praepositae sequentia dubia, pro opportuna solutione, subiecta fuere:

I. An Congregatio Sororum a Misericordia, vulgo *Sisters of Mercy*, quae, iuxta earum Constitutiones, adprobatas sub die 6 iunii 1841 a Gregorio XVI per tramitem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, singulas domos separatas habent sub respectiva Episcopi iurisdictione atque auctoritate, censenda sit religio iuris pontificii vel iuris tantum dioecesani.

Et, quatenus affirmative ad primam partem et negative ad secundam:

II. De Congregationibus

II. An sint similiter iuris pontificii etiam plures illae Congregationes Sororum a Misericordia, quarum diversae domus variis in locis, cum adprobatione Sanctae Sedis, sub uno gubernio centrali coaluerint.

Responsa

Porro Sacra Congregatio, in congressu diei 7 novembris 1925, re mature perpensa, respondendum censuit prout respondet:

Ad I. Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad II. Ad II. *Affirmative.*

Approbatio Pontificis. Dies (24 nov. 1925).

Facta autem de praemissis relatione Ss.mo Domino Nostro Pio divina Providentia Papae XI, in audientia habita ab E.mo Card. Praefecto huius Sacrae Congregationis, die 24 novembris 1925, Sanctitas Sua resolutionem eiusdem Sacrae Congregationis approbavit et confirmavit ac publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die, mense et anno ut supra.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus*

L. ✠ S.

Vincentius La Puma, Secretarius

ANNOTATIONES

I. Ratio dubitandi haec erat, quod Constitutiones, quamvis approbatae a S. Pontifice, regimen quasi dioecesanum inducebant.

II. Merito tamen S. C. *de Religiosis* naturam iuridicam, potius quam ex regimine, ex Pontificia approbatione definiendam esse existimavit; praesertim cum, anno 1841, minus certo constaret quo pacto Congregationes non exemptae subderentur Episcopis.

Quid est enim religio iuris Pontificii? Est « religio quae vel approbationem vel saltem decretum laudis ab Apostolica Sede est consecuta ». Sic c. 488, 3. cuius descriptio in Congregationem *Sisters of Mercy* perfecte cadit.

III. *Corollarium.* E facta declaratione consequitur, Congregationis Constitutiones ad Codicem esse accommodandas ita ut, sive singulae domus sui iuris, sive domus congregatae non subiaceant Episcopis, nisi sicut aliae Congregationes iuris Pontificii.

Neque id mirum est quod ad domus quae coaluerint in Congregationem sub uno gubernio centrali: haec est enim communis condicio Congregationis iuris Pontificii; sed magis singulare erit quod ad domos separatas, quae minus erunt obnoxiae potestati Episcoporum quam Moniales claustratae.

Itaque, subiectio Episcopis regetur c. 500, § 1; electioni Antistitae generalis vel sui iuris praeerit quidem Episcopus loci, sed non poterit electionem confirmare vel rescindere (c. 506, § 4); visitatio Ordinarii loci peragetur ad normam c. 512, § 2, 3.; non pro omni pecuniae collocatione, sed pro sola collocatione dotum consensus Ordinarius erit necessarius (c. 533, § 1, 2.); sola S. Sedes dabit indultum exclaustrationis vel saecularizationis (c. 638); Superiorissa cum suo Consilio poterit, propter graves causas, dimittere religiosam votorum temporalium.

9. — S. Congr. Rituum

Responsa 6 nov. 1925

VARIA DUBIA

(A. A S. 15 IAN. 1926, XVIII, 21)

Orator,

Popayanen. Dubia. — Maximilianus Crespo, Archiepiscopus Popayanensis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expostulavit; nimirum:

Memorata indulgentia cuiuspiam invocationis,

I. Summus Pontifex Pius X sa. me., die 18 maii 1907, indulgentias christifidelibus concessit qui devote sacram Hostiam adspexerint cum in Missae sacrificio elevatur, additis in ipsa oculorum elevatione verbis « Dominus meus et Deus meus! » Hinc quaeritur:

Quaerit de recitatione alta voce istius invocationis.

1. An fideles Missae adstantes, in sacrae Hostiae elevatione, clara et elata voce verba « Dominus meus et Deus meus! » proferre possint? An etiam ad Calicis elevationem?

2. An ipse celebrans idem agere valeat, submissa tamen voce?

De evangelio proprio S. Pauli

II. Ex Decreto Sacrae Rituum Congregationis, diei 29 aprilis 1922, Missae sanctorum duodecim Apostolorum habent Evangelia stricte propria. Cum vero Sanctus Paulus inter duodecim Apostolos non recenseatur sed, ut ait Sanctus Beda Venerabilis, sit tertius decimus Apostolus, quaeritur:

An Evangelia quae leguntur in Missis de festis Conversionis et Commemorationis S. Pauli Apostoli, diebus 25 ianuarii et 30 iunii, sint stricte propria?

De nona lectione.

III. Si accidat ut aliquod festum duplex maius vel minus aut semiduplex a festo duplici primae classis impeditum commemoretur tantum ad Laudes, debetne omitti ad Matutinum nona Lectio historica vel stricte propria de festo impedito?

De benedictione cinerum.

IV. Sacerdos Feria quarta Cinerum Missam lectam celebraturus in oratoriis semi-publicis, potestne ante Missam benedicere cineres sine cantu eosque omnibus petentibus distribuere?

De ritu celebrandi matrimonii.

V. Ex canone 1100 Codicis iuris canonici, extra casum necessitatis, in Matrimonii celebratione servandi sunt ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescripti aut laudabilibus consuetudinibus recepti. Hinc quaeritur:

1. An in his regionibus Manuale Toletanum, quod passim in celebrando Matrimonio atque in administratione Ss.mi Viatici et Extremae Unctionis adhibetur, sit praeceptivum?

2. Et, in casu affirmativo, an Ordinarii locorum eius usui semel pro semper renuntiare valeant, ut eius loco Rituale Romanum dehinc ab omnibus adhibeatur?

De iteratis primis invocationibus Litaniarum

VI. Attenta declaratione Sacrae Poenitentiariae Apostolicae (Sectio de Indulgentiis), diei 21 iulii 1919, inspectis etiam Decretis Sacrae Rituum Congregationis, diei 15 octobris 1920 et 10 novembris 1921, de ratione cantandi Litanias Lauretanas, quaeritur:

An in Litaniarum recitatione absque cantu iterari liceat priores invocationes hoc modo: ℣. *Kyrie, eleison.* ℟. *Kyrie, eleison.* — ℣. *Christe, eleison.* ℟. *Christe, eleison.* — ℣. *Kyrie, eleison.* ℟. *Kyrie, eleison?*

usus in exsequiis Sororis

VII. Sorores cuiusdam Instituti, ex perantiqua consuetudine, quoties aliqua Soror e vita decedit, huius defunctae cadaver in lignea capsa, *albo* panno undequaque obvoluta, vel *albo* colore ex omni parte picta, in signum virginitatis, recondunt; quae capsa postea, pro Officio et Missa defunctorum, in medio oratorio Communitatis deponitur, sed undique variis *albi* coloris ornamentis circumsepta. Hinc quaeritur:

An talis perantiqua consuetudo tolerari possit?

De transferenda in Dominicam celebratione primae F. VI.

VIII. Pluribus in locis, Deo favente, instituta est consociatio Sociarum Sacratissimi Cordis Iesu, quae in prima cuiuslibet mensis Feria sexta peculiaria pietatis exercitia in honorem Divini Cordis peragere et sacram Communionem recipere student; et tunc celebratur Missa votiva de Sacratissimo Corde Iesu iuxta Decretum generale Sacrae Rituum Congregationis, n. 3712, diei 28 iunii 1889. Cum vero huiusmodi Sociae, ruri praesertim, ab ecclesia paroeciali valde distent, et ob pauperem earum conditionem laboribus ad vitam sustentandam necessariis incumbere debeant, ac proinde sine gravi incommodo ecclesiam in Feria sexta adire nequeant, quaeritur:

An in hisce casibus Missa votiva de Sacratissimo Corde Iesu, a memorato Decreto indulta, in prima mensis Dominica celebrari possit, cauto tamen ut una saltem Missa dicatur de Officio diei?

Responsa

Sacra autem Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, praepositis quaestionibus accurate perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I.

Ad I. Quoad primam partem, *negative in omnibus*, ad mentem Caeremonialis Episcoporum, lib. II, cap. VIII, n. 70, et Decreti generalis n. 3827, ad III, diei 22 maii 1894.

Quoad secundam partem, *negative*, iuxta canonem 818 Codicis iuris canonici et Rubricas Missalis Romani.

Ad II.

Ad II. *Negative.*

Ad III.

Ad III. *Affirmative.*

Ad IV.

Ad IV. *Affirmative*, ex gratia, iuxta Memoriale Rituum, iussu

Benedicti Papae XIII editum.

Ad V. Ad V. Expedire ut adhibeatur Rituale Romanum, iuxta Decreta n. 3654, *Carthaginien.*, 16 februarii 1886, et n. 3792 ad IX, *Strigonien.*, 30 augusti 1892.

Ad VI. Ad VI. *Affirmative.*

Ad VII. Ad VII. Serventur Rubricae ac Decreta n. 3035 ad XI, *Briocen.*, 21 iulii 1855, et n. 4165 ad V, *Dubiorum*, 4 augusti 1905.

Ad VIII. Ad VIII. *Negative.*

Atque ita rescripsit ac declaravit die 6 novembris 1925.

✠ A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae,*
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Cum responsa sint per se clara, satis erit ut tradamus documenta ad quae remittimur.

I. In responsione ad I, appellatur Caerimoniale Episcoporum L. 2, c. 8, n. 70. Ibi haec leguntur: « chorus prosequitur cantum usque ad *Benedictus qui venit*, etc. exclusive; quo finito, et non prius, elevatur Sacramentum. Tunc silet Chorus et cum aliis adorat ». Haec sane produnt mentem minime faventem elatis vocibus fidelium. In decreto autem generali 22 maii 1894 (n. 3827) ad III haec habentur: « Dum SS. Sacramentum sive sub una sive sub altera specie elevatur, cantoribus esse omnino silendum iuxta Rubricas ». Quare omnino intellegitur istud « Negative in omnibus » quod ipsa vi verborum demonstrat nullum in ista re locum esse dubitationi.

Magis etiam a sensu Ecclesiae abhorreret usus quo ipse sacerdos privata oratione vocali ritus missae adulteraret.

Directe offenderet in can. 818, quo sacerdos cavere iubetur ne alias caerimonias aut preces proprio arbitrio adiungat.

II. Ad II. potius responsionem affirmativam exspec-

tavissimus. Ac R. P. PAUWELS, in annotationibus decreti 29 april. 1922, sub nomine festorum ss. XII Apostolorum etiam festa S. Pauli incunctanter intellexit (1). Quomodo enim excludere potuisset festum Apostoli qui, post S. Petrum, ubique primo loco inter Apostolos recensetur, quem S. Leo Papa, in 2° Nocturno festi SS. Apost. Petri et Pauli, cum S. Petro vocat praecipuum Apostolum. Ac S. Beda, in ipso loco (cf. 3um Noct. in Conversione S. Pauli) ubi S. Paulum dicit esse tertium decimum Apostolum, nos monet duodenario numero universitatem saepe designari. Quid, quod Graduale missae Conversionis S. Pauli haec habet: « Magnus S. Paulus, vas electionis, vere digne est glorificandus, qui et meruit *thronum duodecimum* possidere ». Privatus igitur vir non potuit, ante authenticam responsionem, decretum aliter interpretari ac fecit R.mus P. PAUWELS.

III. Ad IV. Observes verba *ex gratia* non referri ad Memoriale Rituum Benedicti XIII, sed ad ipsum S. *R. C.* responsum quod fit affirmativum *ex gratia*. Sententia igitur sic exponenda est: ex gratia conceditur; fiat autem benedictio cinerum iuxta *Memoriale Rituum* Benedicti XIII.

IV. Ad V. de Rituali in celebratione Matrimonii, in administratione SS.mi Viatici et Extremae Unctionis S. *Rit. C.* nihil praecipere voluit; mere dixit expedire ut *Rituale Romanum* adhibeatur. In Decreto n. 3654 non est quaestio nisi de ritu matrimoniali, et respondetur: « in casu sumatur Rituale Romanum ». In Strigonien. autem 30 aug. 1892 (n. 3792) ad IX, S. *Pit. C.* declaravit licere ut Rituale Romanum in quibuslibet functionibus adhibeatur. Inter celebrationem matrimonii et aliorum sacramentorum istud interest, quod in celebratione matrimonii singulae dioeceses vi

(1) Cf. *Periodica*, XI, 110.

ipsius C. Trid. suum ritum servare potuerunt, non autem in aliis Sacramentis.

V. Responsio ad VI non potuit esse dubia iis qui norint hic in Urbe morem esse ut priores invocationes Litaniarum iterentur.

VI. Quod ad colorem album adhibitum in feretro defunctae Sororis, servari iubentur Rubricae ac Decreta: n. 3035 ad 11, ubi declaratur non licere ut in signum virginitatis feretrum panno albo cooperiatur; et n. 4165 ad V, ubi declaratur: « Colorem panni emortualis esse debere nigrum, ornamenta autem sobria esse oportere ».

Vi istius responsi abrogatur consuetudo quae perantiqua dicebatur.

10. — S. Congr. Rituum

Responsum 9 dec. 1925

DE FORMA PARAMENTORUM

(A. A. S. 1 feb. 1926, XVIII, 58)

Dubium. A Sacra Rituum Congregatione nuper exspostulatum est: « An in conficiendis et adhibendis paramentis pro Missae sa- « crificio sacrisque functionibus liceat recedere ab usu in Ec- « clesia recepto, aliumque modum et formam etiam antiquam « inducere ».

Responsio. Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, respondendum censuit: « Re- « cedere non licere inconsulta Apostolica Sede; iuxta Decre- « tum seu Litteras circulares Sacrae Rituum Congregationis ad « R.mos Ordinarios datas sub die 21 augusti 1863 ». *

Approbatio Pontificis. Atque ita, Summo Pontifice Pio XI approbante, rescripsit. declaravit et servari iussit, die 9 decembris 1925.

† A. Card. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, Secretarius.

* *En harum litterarum exemplum :*

R.me Domine uti Frater,

Occasio examinis. Quum, renunciantibus nonnullis R.mis Episcopis aliisque Ecclesiasticis et Laicis viris, Sanctam Sedem non lateret quasdam in Anglia, Galliis, Germania et Belgio Dioeceses immutasse formam sacrarum vestium, quae in celebratione Sacrosancti Missae Sacrificii adhibentur easque ad stylum quem dicunt gothicum elegantiori quidem opere conformasse; Sacra Congregatio legitimis pro tuendis Ritibus praeposita super huiusmodi mutatione accuratum examen instituere haud praetermisit.

Argumenta. Ex hoc porro examine, quamvis eadem Sacra Congregatio probe nosceret sacras illas vestes stylum gothicum praeseferentes praecipue saeculis XIII, XIV et XV obtinuisse, aeque tamen animadvertit Ecclesiam Romanam aliasque latini ritus per orbem Ecclesias, Sede Apostolica minime reclamante, a saeculo XVI, nempe ab ipsa propemodum Concilii Tridentini aetate, usque ad nostra haec tempora illarum reliquisse usum; simulque, eadem perdurante disciplina necnon Sancta Sede inconsulta, nihil innovari posse censuit, ut pluries Summi Pontifices in suis edocuere Constitutionibus, sapienter monentes mutationes istas, utpote probato Ecclesiae mori contrarias, saepe perturbationes producere posse, et fidelium animos in admirationem inducere. Sed quoniam Sacrorum Rituum Congregatio arbitratur alicuius ponderis esse posse rationes, quae praesentem immutationem persuaserunt, hinc, audito Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX oraculo, verbis amantissimis invitare censuit Amplitudinem Tuam, ut, quatenus in Tua Dioecesi huiusmodi immutationes locum habuerint, rationes ipsas exponere velis, quae illis causam dederunt.

Postulatur propositio S. Sedi.

Interim Amplitudini Tuae fausta omnia a Domino adprecor.

Amplitudinis Tuae

Romae die 21 augusti 1863.

Dies (21 aug. 1863).

Uti Frater

C. Ep. Portuen. et S. Rufinae Card. PATRIZI, *Praefectus*

D. Bartolini, Secretarius.

ANNOTATIONES

« Unius Apostolicae Sedis est tum sacram ordinare liturgiam, tum liturgicos approbare libros »

(can. 1257). Ac proinde, procul dubio sola Sancta Sedes ius habet aliquid statuendi circa formam paramentorum, nec sine eius consensu circa hanc formam aliquid innovare licet.

Porro, de forma paramentorum hoc unum in Codice praescribitur: « Circa materiam et formam sacrae supellectilis, serventur praescripta liturgica, ecclesiastica traditio et, meliore quo fieri potest modo, etiam artis sacrae leges » (Can. 1296, § 3). In libris autem liturgicis dantur quidem regulae servandae quod ad colorem paramentorum quae in diversis functionibus liturgicis adhiberi debent. De materia paramentorum quaedam S. *R. C.* decreta aliquid statuunt. De eorum vero forma, et in specie de forma casulae, nihil invenire est nisi quod debeat esse *pulchra* (*Rit.* servandus in celebratione Missae, I, 2) et quod forma casulae supponitur sat ampla (1).

Si vero traditionem ecclesiasticam interrogamus, invenimus formam casulae non fuisse semper eandem. Primitus enim casula erat valde ampla, ita ut celebrantem undique tegeret et usque ad terram pertingeret. Ex hac forma, quae communiter vocatur *forma antiqua*, et ad XIII saeculum sola adhibebatur, videtur *casula* nomen accipisse, quasi *a casa*.

Ineunte saeculo XIII, incepta est casula ex utraque parte excidi, ita ut brachia quidem celebrantis adhuc tegeret, non iam vero eius manus. Ad hanc casulae diminutionem movebat tum ratio commoditatis, tum ratio etiam parcimoniae, cum hoc tempore introducta sit varietas colorum ac proinde singulae ecclesiae pluribus iam coeperint indigere casulis.

---

(1) Sic *Caeremoniale Episcoporum*, L. II, c. 8, n. 19: « Mox surgit Episcopus et induitur ab iisdem (scil. diacono et subdiacono) planeta, *quae hic inde super brachia aptatur et revolvitur diligenter, ne illum impediat* ». Et rubrica *Missalis* (*Ritus*, VIII, 6): « Minister manu sinistra elevat fimbrias posteriores planetae, *ne ipsum Celebrantem impediant in elevatione brachiorum* ».

Haec casula, quae praecipue adhibebatur saeculis XIII, XIV et XV, quo tempore florebat stylus gothicus, exinde plerumque nomen accepit casulae « gothicae », etsi cum stylo dicto gothico non aliam habet relationem quam hanc in tempore simultaneitatem. Rectius igitur diceretur medievalis; nomen vero casulae S. Bernardi, quo nonnumquam appellatur, omni fundamento caret, cum huius sancti tempore sola casula formae antiquae in usu fuerit.

Attamen, saeculo XVI, novam evolutionem subiit casula. Cum enim, praesertim in regionibus transalpinis, confici ceperit ex tela aurea et argentea magni valoris et simul ponderosis ornamentis onerari, commoditas, seu quaedam necessitas simul et parcimonia causa fuere cur magis ac magis ex utroque latere decurtaretur eiusque pars anterior ad brachia excideretur; rigiditas enim eius iam non sinebat eam super brachia revolvi. Et sic paulatim deventum est ad casulam nostram hodiernam, tam excisam et decurtatam ut vix celebrantis humeros tangat et ad eius genua pendeat. Haec de amplitudine et dignitate antiquae vestis sacerdotalis vix ac ne vix quidem aliquod retinet vestigium, et tantum ab antiqua pulchritudine abest, ut ipse PIUS X de ea dixisse perhibeatur: « *È la più brutta possibile, questa forma* ».

Fatendum tamen est Romae, et generatim in Italia, casulam minus hanc deformationem subiisse, uti constat ex verbis GAVANTI in suo *Thesauro Sacrorum Rituum:* « Planeta more Romano late pateat cubitos circiter duos (86 cent.), longe tres (1,30 metr.) » (1), et praecipue S. CAROLI BORROMAEI: « Casula cubitos tres (1,30 metr.) et paulo amplius late patens sit, ita ut ab humeris proiecta, complicationem unius saltem palmi infra utrumque humerum recipere possit. Longe

(1) *Appendix ad Rubr. Miss.* Pars V. De mensuris propriis Sacrae Supellectilis.

autem cubitos totidem, aut aliquanto longius demissa sit, ut pene ad talos usque pertineat. » (1) Uti patet, haec vix differt a casula medievali. Et hodierno die, casula *romana*, etsi et ipsa sat notabiliter excisa, tamen multo minus deformata fuit quam casula in transalpinis regionibus usurpata, et flexibilitate sua aliquid retinet de dignitate antiquae vestis sacerdotalis.

Reflorescente autem medio saeculo XIX studio liturgico et arte christiana, contra hodiernam hanc formam vehementer quidam artis amatores reclamare coeperunt, et conatus adhibere ut ad pulchriorem formam « gothicam » regressio fieret. Acris valde fuit disputatio, eo asperior quod tunc temporis apud nonnullos Italos stylus gothicus male sonabat, et huius styli fautores cuidam suspicioni obnoxii event; et cum res, anno 1859, S. *R. C.* fuerit delata, R.mus D. CORAZZA, Caeremoniarius Pontificalis, in Voto prolixo proponebat ut tum forma decurtata transalpina, tum forma « gothica » utpote innovatio illegitima prohiberentur, et ubique forma moderna romana imponeretur. Non tamen eousque progressa est Congregatio, sed instigante, ut dicitur, ipso Summo Pontifice PIO IX, eius Praefectus Card. PATRIZI, die 21 augusti 1863, ad nonnullos episcopos epistolam scripsit de qua in praesenti decreto.

Nulla in hac epistola casulae forma praescribitur, nulla explicite prohibetur, uti patet ex ipsis amantissimis verbis quibus episcopi invitantur ut quatenus in sua dioecesi huiusmodi immutationes locum habuerint, rationes ipsas exponere velint, quae illis causam dederunt. Unum tantum inculcatur: in hac re nullas mutationes, etiam sub praetextu reveniendi ad formas antiquitus adhibitas, a personis privatis introduci posse, inconsulta Sancta Sede, eo vel magis quod immuta-

(1) *Acta Ecclesiae Mediolanensis*, Pars II, *De Planetis*.

tiones istae saepe perturbationem producere possint, et fidelium animos in admirationem inducere.

Hoc responso controversia sopita quidem est, etsi plerique et optimae notae auctores nullo modo rem ut definitive solutam et multo minus casulam « gothicam » ut simpliciter prohibitam habebant; casulas vero Gavanti, et etiam S. Caroli, in his litteris nulla nota uri omnes ultro concedunt.

Num multi episcopi rationes exposuerint servandi ornamenta « gothica », nescitur. Quidam certe illa prohibuerunt, ut Concilium provinciale in Neerlandia celebratum anno 1865, in quo habetur: « Illa... adhibeatur et servetur sacrorum vestium forma, quae in Ecclesia Romana aliisque latini ritus per orbem Ecclesiis in usu est; nihil quippe in his absque Sedis Apostolicae venia innovare licet, uti pluries Summi Pontifices in suis edocuere Constitutionibus, et nuperrime S. Rituum Congregatio in Litteris ad locorum Ordinarios transmissis, die 21 aug. 1863 approbante SS.mo D. N. Pio IX, declaravit. Quae vestes eam formam non referunt, prohibentur ». Contra, decretum Synodi Pragensis anno 1860 celebratae: « Dolemus autem in praesentiarum casulas esse adeo decisas contra debitam maiestatem et in aliam prope speciem deformatas, ut si cum prisca et propria huius indumenti forma componantur, vix suum tueantur nomen... Longe pateant ad minimum ulnas duas (1,20 metr.) et ab utroque latere infra humeros aliquatenus dependeant » (1). Hoc vero decretum in quo, tacito quidem nomine, ipsa tamen casula « gothica », intendebatur, Romae in Concilii recognitione admissum est.

Quidquid sit, paulatim in diversis dioecesibus, benigna admissa est interpretatio harum litterarum et casula medievalis pedetentim apparuit in nonnullis

(1) Tit. 5, c. 7 (*Coll. Lac.* V, p. 538).

ecclesiis abbatialibus et cathedralibus et ubicumque renovationi liturgicae incumbebatur. Atque hoc iam omnino licitum putabant, eo quod nullae inde perturbationes provenere, nec fidelium animae in admirationem inductae sunt, eo praesertim quod nova editio typica *Caeremonialis Episcoporum* quae anno 1886 prodiit, et *Missalis* quae prodiit anno 1900, uti superius diximus, casulam supponunt sat amplam et flexibilem ; cum casula enim nostra hodierna, decurtata et rigida, nullum commodum in elevatione brachiorum Celebranti affert rubrica Missalis ; rubrica vero Caeremonialis omnino servari non potest.

Accedit quod etiam Romae casula « gothica » post Iubilaeum LEONIS XIII magis cognosci coepta est et aestimari. In visitatione ecclesiastica anno 1904 a PIO X Romae praescripta, explicite fuit approbata et laudata ; ipsi Cardinales in pontificalibus sollemnitatibus ea usi sunt ; immo Summus Pontifex PIUS X dicitur eam laudasse et certe tales casulas nonnullis ecclesiis dono dedit (1).

Iure ac merito tamen *S. R. C.* iterum inculcavit normam contentam litteris 21 aug. 1863, de nulla inducenda in forma vestium sacrarum mutatione quam S. Sedes non probaverit. Etenim, sine huiusmodi severitate, mox novae sine fine invenirentur formae aliae feliciores forte, aliae ridiculae, omnes autem devotionem populi non parum turbantes. Ac re vera, iam ipsa casula medievalis non nullis visa est nimis excisa ut haberet maiestatem quae decet vestem sacerdotalem ; et formam antiquam saec. x instaurare conati sunt.

---

(1) Cfr. J. BRAUN, S. I. *Winke für die Anfertigung und Verzierung der Paramente*, p. 43. — Id. *Die Liturgische Gewandung in Occident und Orient*, p. 199. — CALLEWAERT, *Collationes Brugenses*, 1900, p. 362. — J. L. JANSEN, C. SS. R. *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, 1911, p. 339. — GENICOT, S. I. *Casus Conscientiae*, n. 712. — *Boletin oficial Eclesiastico de Tarragona*, 15 iul. 1925. — *Ecclesiastical Review*, March, 1926, p. 309.

Ceterum fac observes nullam reprobationem incurrere in formam gothicam. Id unum praecipitur: nihil fiat inconsulta S. Sede.

Novimus iam non uni ecclesiae concessum esse ut casulae gothicae adhiberi possent saltem donec usu tritae non essent.

Usus praeterea istarum casularum simpliciter permissus est in catacumbis.

IOS. PAUWELS, S. I.

11. — S. C. Rituum

Responsa 11 dec. 1925

RESPONSORIA 1 NOCTURNI; EVANGELIUM IN FINE MISSAE

(A. A. S. 1 feb. 1926, XVIII, 57)

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposita sunt; nimirum:

I. Quando resumuntur vel anticipantur Lectiones primi Nocturni de quavis Dominica impedita, debentne semper dici cum suis Responsoriis, etiamsi haec in Dominicis seu Feriis praecedentibus recitata fuerint? *Dubium I.*

II. In fine Missae de Festo duplici I vel II classis cum Commemoratione de occurrente Dominica debetne recitari Evangelium eiusdem Dominicae, quamvis Missa Dominicae infra hebdomadam resumatur? *Dubium II.*

III. In fine Missae de Officio diei cum Commemoratione de Missa Dominicae primo infra hebdomadam resumpta debetne omitti Evangelium eiusdem Dominicae? *Dubium III.*

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositis dubiis respondendum censuit: *Responsa.*

Ad I. *Affirmative,* iuxta novas Rubricas generales Breviarii Romani, tit. I, n. 4; nisi anticipentur Lectiones primi Nocturni de Dominica quinta Octobris, quae dicuntur cum Responsoriis de Feria currenti, iuxta specialem Rubricam. *Ad I.*

Ad II et III. *Affirmative,* iuxta novas Rubricas generales Missalis Romani. tit. IX, nn. 1 et 2. *Ad II et ad III.*

Dies (11 dec. 1925).

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 11 decembris 1925.

† A. Card. VICO, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Alexander Verde, Secretarius

ANNOTATIO

Dubia ista ex attente lectis novis rubricis facile solvi poterant.

12. — S. Cong. Rituum

Decretum 20 feb. 1926

VIS CONCESSAE EXTENSIONIS OFFICII ET MISSAE

(A. A. S. 1 mart. 1926, XVIII, 93).

Declaratio de vi factae extensionis

Sacra Rituum Congregatio, per Apostolicae Sedis indulta, quibus Officia et Missae, iam ex speciali privilegio pro aliquibus locis sive Institutis approbata, extendi ad alia loca seu Instituta contigerit, declarat concessionem fieri dumtaxat Officii et Missae de respectivo Communi, exceptis tantummodo Oratione et Lectionibus II Nocturni propriis, nec non una vel tribus Missae Orationibus item propriis, quicumque sit diei festi ritus. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Normae consulendae.

Hac vero occasione, Sacra eadem Congregatio Rev.mos Ordinarios dioecesium et superiores Ordinum seu Religiosarum Congregationum enixe rogat ut, quoties ipsi ab Apostolica Sede impetrare velint nova Officia vel Missas, eorumque extensionem, prae oculis habeant normas quae in Decreto S. R. C., n. 3926, diei 13 iulii 1896 * praescriptae sunt.

Dies (20 feb. 1926).

Die 20 februarii 1926.

✠ A. Card. VICO, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Angelus Mariani, Secretarius.

DECRETUM

QUO AD IMPETRANDA NOVA SANCTORUM OFFICIA NOVASQUE MISSAS AB HAC SACRA RITUUM CONGREGATIONE, NORMAE SEQUENDAE PRAESCRIBUNTUR.

Petitionis obiectum. Necessaria commendatio.

1. Exhibitae nobis petitiones Sanctos Beatosve tantummodo spectare debent in Romano Martyrologio conscriptos, aut publico cultu a Sancta Sede decreto, vel confirmato iam diu fruentes. At vero semper speciali proprii Episcopi commendatione opus est: qui etiam, si exquiratur, sui Capituli cathedralis consensum allegabit.

2. Ad ceteros Sanctos Beatosve quod attinet, etsi longo iam tempore publico fuerint cultu honorati, cum Officio et Missa propria, necesse est ut iuxta communes regulas eorum cultus ab Ecclesia comprobatus et confirmatus sit, antequam Officium ipsum ac Missa permittatur.

Petitiones difficilis concessionis.

3. Postulationes ad obtinenda Officia Missasque proprias pro novis eorum Sanctorum sive Beatorum Festis, qui, sub alio quidem titulo, publico iam fuerint cultu donati, raro admodum excipientur. Semper autem eae rationibus omnino peculiaribus ac solidis, specialissimaque commendatione et, si id materia ipsa exposcat, historicis documentis apprime validis fulciantur oportet.

Quaedam expungenda e calendariis.

4. Ex Calendariis perpetuis vel Propriis cuiusque Dioeceseos, quae huic Congregationi Sacris Ritibus tuendis praepositae approbanda exhibentur, ii sive Sancti sive Beati expungendi sunt, quibus conditiones in § 1 recensitae desunt; novaque item Festa in § 3 indicata; quum de his singillatim ac serio agendum sit.

Quid fiet in Curia Romana.

5. Quaelibet novi Officii ac Missae postulatio Curationi Liturgicae prius examinanda subiicietur; dein summa diligentia in conventu, cui E.mus Cardinalis Praefectus praesidet, discutienda. Cuius discussionis exitus si postulanti faverit, postulatio exhibita, una cum allegatis et necessariis declarationibus super peracto examine et insuper cum R.mi Promotoris Fidei adnotationibus, typis mandabitur. Documentorum fasciculus ita comparatus, ab uno e Cardinalibus Relatoribus, Sacrae Congregationi in Ordinario Conventu exhibebitur.

6. Si Sacra Congregatio petitioni favens annuat, illius sententia Ss.mo Patri confirmanda subiicietur; ac tantummodo post Pontificiam confirmationem, Officii et Missae schema, quod

exhibitum fuerat, cooperante Hymnographo Sacrae Congregationis, cura Cardinalis Ponentis et R.mi Promotoris Fidei, recognoscetur et approbabitur.

De extensionibus.

7. Extensiones Officii et Missae, alicui peculiari Ecclesiae vel Dioecesi iam concessae, ad alias Dioeceses Ecclesiasve, specialibus rationibus inniti debent. Eae vero a delectis per Nos viris sacrae Liturgiae expertis et a Congressu supradicto, sicut primitivae postulationes, expendentur; et, si id iste necessarium existimabit, in pleno Sacrae Congregationis Conventu proponentur, antequam Pontifici comprobandae exhibeantur; quae quidem approbatio semper necessaria est, nisi forte primitiva concessio *singulis petentibus* facta fuerit.

8. Immutationes vel additiones, quas in Officiis vel Missis iam concessis fieri contigerit, eaedem examini ac discussioni sicut extensiones, de quibus in § praecedente sermo est, subiicientur.

Dies (13 iul. 1896).

Die 13 iulii 1896.

Approbatio Leonis XIII.

Ss.mus Dominus Noster Leo Papa XIII in audientia die XIII iulii MDCCCXCVI Eminentissimo Card. Praefecto Sacrae Rituum Congregationis facta, quum hasce supra expositas normas sedulo perlegisset, easdem singulas approbare dignatus est, atque earum observantiam quam accuratissimam praecipere.

CAIETANUS CARD. ALOISI-MASELLA.

L. ✠ S.

Aloisius Tripepi, *Secretarius.*

13. — S. Poenitentiaria Apostolica.

Responsum 21 dec. 1925

CIRCA CORONAS EX VITRO CONFECTAS

(A. A. S. 15 IAN. 1926, XVIII, 24)

Dubium.

Sacrae Poenitentiariae Apostolicae sequens dubium pro opportuna solutione exhibitum fuit:

Sacra Congregatio Indulgentiarum, die 29 februarii 1820, ad 2, expresse declaravit, Coronas Indulgentiis ditari posse etsi ex vitro seu chrystallo confectas, *dummodo globuli sint ex vitro solido atque compacto.*

At in Monito n. 1, praeposito authentico elencho Indulgentiarum Apostolicarum, edito die 17 februarii 1922, ita legitur: « Res aptae ad recipiendam benedictionem pro Indulgentiis « Apostolicis lucrandis, sunt tantummodo Coronae, Rosaria, « Cruces, Crucifixi, parvae Statuae, Numismata, dummodo non « sint ex stanno, plumbo, vitro aliave simili materia, quae fa- « cile confringi vel consumi possit ». Hinc quaeritur:

Num id, quod in allato Monito ita in genere et simpliciter statuitur de Coronis, quae sunt ex vitro, intelligi debeat ad tramitem praedictae declarationis Sacrae Congregationis Indulgentiarum?

Responsum S. Paen. 24 nov. 1925.

Et Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 24 novembris 1925, respondit: *Affirmative.*

Approbatio Pontificis 18 dec. 1925.

Facta autem de praemissis relatione Ss.mo D. N. Pio divina Providentia Papae XI, ab infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiore, in Audientia diei 18 decembris 1925, idem Ss.mus Dominus responsum Sacrae Poenitentiariae benigne approbavit atque publici iuris fieri iussit.

Dies decreti 21 dec. 1925.

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 21 decembris 1925.

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH, *Poenit. Maior.*

L. ✠ S.

S. Fagiolo, S. P. Secretarius.

ANNOTATIO

Responsum privatum quo S. Paenitentiaria 20 nov. 1923 declaraverat etiam ad coronas applicandum esse generale Monitum de indulgentiis, 17 feb. 1926, excludens res ex stanno, plumbo, vitro aliave materia, quae facile confringi vel consumi possit (Cf. *Per.* XIII, 77; XI, 39), plures intellexerunt ita ut in posterum invalide benedicerentur coronae etiam e vitro solido confectae.

Diversam autem sententiam, quam proposuimus in *Per.* XIII, (205), confirmat praesens declaratio S. Paenitentiariae, allegans decretum quo ipsi nixi sumus.

ACTA SUMMATIM RELATA

14. — *SS. D. N. Pius P. XI*

Conventus pro studiis orientalibus.

A. 1. Epistola 29 iun. 1925 ad ep. Labacensem laudatur deliberatio colligendi conventum pro studiis rerum orientalium Labaci (A. A. S., 15 ian. 1926, XVIII, 7).

Approbatio Instituti.

2. Brevi *Sororum a Sancto Iosepho*, 5 aug. 1925, approbatur Institutum Sororum a S. Ioseph Torentinensium (A. A. S., 6 apr. 1926, XVIII, 125).

Numisma expos. Missionalis

3. Motu Proprio *Singulare Dei*. 3 dec. 1925, instituitur numisma argenteum tradendum optime merentibus de Expositione Missionaria (A. A. S., 15 ian. 1926, XVIII, 1).

B. *Litterae de dioecesibus.*

Distractio et unio paroeciarum.

1. Bulla *In altis Sabinae*, 3 iun. 1925, quaedam paroeciae olim ad Abbatiam S. Salvatoris pertinentes a dioecesi Mandelensi distrahuntur et dioecesi *Reatinae* uniuntur (A. A. S., 1 febr. 1926, XVIII, 36).

Dioec. Mandelensis et Sabinensis.

2. Bulla *Suburbicariae Sabinae*, 3 iun. 1925, *Mandelensis* dioecesis exstinguitur eiusque paroeciae dioecesi *Sabinensi* uniuntur (A. A. S., 1 febr. 1926, XVIII, 36).

Gedunensis

3. Bulla *Universa christifidelium*, 30 dec. 1925, erigitur dioecesis *Gedunensis* ex territoriis olim ad dioeceses Culmensem et Varmiensem pertinentibus ac deinde sub Apostolico administratore constitutis (A. A. S., 1 feb. 1926, XVIII, 38).

Prov. Lituaniae.

4. Bulla *Lituanorum gente*, 4 apr. 1926, erigitur provincia ecclesiastica et noviter ordinantur dioeceses *in re publica Lituana* (A. A. S., 6 apr. 1926, XVIII, 121).

C. *Litterae de Vicariatibus et Praefecturis.*

Ucayali in Peruvia.

1. Brevi *Supremi Apostolatus*, 14 iul. 1925, praefectura apostolica de *Ucayali* in Peruvia in vicariatum apostolicum evehitur (A. A. S., 1 mart. 1926, XVIII, 26).

Kavirondo in Africa centr.

2. Brevi *Ut aucto*, 15 iul. 1925, dismembrato territorio e vicariatu apostolico Nili superioris, erigitur praefectura apostolica de *Kavirondo* in Africa centrali (A. A. S., 1 mart. 1926, XVIII, 87).

Sinus de Hud-

3. Brevi *Divini verbi*, 15 iul. 1925, erigitur in propriis con-

finiis, praefectura apostolica *Sinus de Hudson* in America septemtrionali (A. A. S., 1 mart. 1926, XVIII, 88).

son in Amer. septemt.

4. Brevi *Ex hac Petri*, 15 iul. 1925, fines reguntur inter vicariatum de Brazzaville et praefecturam apostolicam de Ubanghi-Kari in Africa centrali (A. A. S., 6 april. 1926, XVIII, 124).

Brazzaville et Ubanghi-Kari in Africa centr.

D. *Litterae de Basilicis.*

n basilicam minorem eriguntur:

1. Brevi *Narrant historici*, 8 iul 1925, templum S. Dominici in civitate Senensi (A. A. S., 15 ian. 1926, XVIII 6).

S. Domenico Siena.

2. Brevi *Historicis constat*, 22 aug. 1925, ecclesia paroecialis SS. Marcellini et Petri loci Seligenstadt in dioecesi Moguntina (A. A. S., 6 apr. 1926, XVIII, 126).

SS. Marcellini et Petri, Seligenstadt.

3. Brevi *Refert ad Nos*, 10 nov. 1925, ecclesia B. M. V. Regum, vulgo « del pino » in civitate Barcinone (A. A. S., 6 apr. 1926, XVIII, 128).

B. Virginis del Pino, Barcelona.

4. Brevi *Ex amplissimis*, 30 nov. 1925, sanctuarium S. Francisci Assis. loci Canindè in archidioecesi Fortalexiensi (A. A. S. 6 apr. 1926, XVIII, 129).

S. Francisci Canindè in Brasile.

15. — *S. Congr. Consistorialis*

A. Decreto 6 mart. 1925, R. D. Camillus Panizzardi constituitur Ordinarius Militaris Italiae cum iurisdictione extensa ad omnes cappellanos militares et ad omnes copias sive terrestres sive aëreas earumque stationes (A. A. S., 1 feb. 1926, XVIII, 42).

Ordinarius Castrensis Italiae.

B. 1. Rescripto 18 dec. 1925, approbatur designatio Patriarchae Venetiarum pro Concilio provinciali et appellationibus facta ab Ordinario Fluminensi (A. A. S., 15 ian. 1926, XVIII, 9).

Tribunal appellationis Venetiarum,

2. Rescripto 11 ian. 1926, approbatur designatio Patriarchae Venetiarum pro Concilio provinciali et appellationibus facta ab Ordinario Iadrensi (A. A. S., 15 ian. 1926, XVIII, 9).

pro variis dioecesibus.

3. Rescripto 29 ian. 1926, approbatur designatio Ordinarii Zagabriensis facta ab archiepiscopo Bellogradensi et administratore apostolico Banatus Serbi, pro appellatione in secundo gradu (A. A. S., 1 mart. 1926, XVIII, 91).

C. *Erectio Delegationis apostolicae.* Die 7 dec. 1925, erigitur nova Delegatio apostolica Antillarum cum sede in civitate Habana, cuius iurisdictio ad omnes extenditur maiores et minores Antillas, insulas A. A. S., 1 mart. 1926, XVIII, 90).

Delegatio Apostolica Antillarum.

D. *Translatio ecclesiae cathedralis.* Die 14 nov. 1924, ecclesia cathedralis dioecesis Beiensis transfertur a templo S. Sigerandi

Transfertur eccl. cath. Beiensis in Lusitania.

ad templum SS. Cordis Iesu et S. Iacobi Minoris (A. A. S., 1 feb. 1926, XVIII, 42).

Sac. Alfonsus De Maria declaratur suspensus a divinis.

E. *Notificatio.* Alfonsus De Maria, sacerdos dioecesis Rheginensis in Italia, declaratur suspensus *a divinis* (A. A. S., 1 mart. 1926, XVIII, 91).

16. — *S. Congr. Concilii*

1. *Panormitana. Condicionis civitatis ad beneficia.*

Cives qui praesentari possunt ad beneficia suntne soli originii *an etiam alii qui v. g. ex* domicilio *sunt cives.*

In civitate Panormitana gravis ac diuturna exsistebat controversia de interpretatione clausulae qua ad parochias praesentati iubebantur esse cives eiusdem civitatis. Alii enim contendebant solos cives *originarios*, seu in urbe natos praesentari posse dum alii etiam cives *ex domicilio* condicioni satisfacere existimabant.

Resolutio.

In plenario conventu 16 maii 1925, E.mi Patres ad dubium: « Utrum verba *cives eiusdem civitatis* ad cives dumtaxat originarios referenda sint in casu (1), respondendum censuerunt: *Negative.* Quam resolutionem SS. Dominus 2 iunii approbare et confirmare dignatus est.

Argumenta.

Pro sensu restrictivo, arguebatur ex reduplicatis verbis: *cives... civitatis*, ex auctoritate eorum qui proximiores Bullae 15 oct. 1599 (quo ius praesentandi concessum est) scripserunt, et ex consuetudine qua saltem ab anno 1650 praxis severior invaluit.

In contrarium autem haec afferebantur: privilegium iuri communi derogans debet in dubio intellegi ut ius commune quam minime laedatur; minus autem per amplam quam per restrictivam interpretationem vocis *cives* laeditur; — intentio senatus Panormitani qui, petendo privilegium, voluit meliori bono animarum consulere, quod facilius potuit servata sibi ampliore facultate praesentationis; qui etiam ex omnium incolarum reditibus sumpsit unde dotationes parochiarum constitueret, ac solos excludere volebat peregrinos, tamquam minus stabiles. Difficultas qua privilegium impetratum est suadet etiam benignam interpretationem. Opposita consuetudo iam nutat, si facta consideraverimus; ac praeterea hodierna raritas

(1) In proposito dubio quaerebatur: « Utrum verba *cives eiusdem civitatis* ad cives dumtaxat originarios, an ad cives quoscumque referenda sint ». Sed reformato dubio suppressa sunt verba: « an ad cives quoscumque ».

sacerdotum postularet ut privilegium abrogaretur ut noxium factum etiam si consuetudine acquisitum esset. (A. A. S. 15 ian. 1926, XVIII, 10 ss.)

N. B. De re erudite scripsit pro sententia quae causam vicit, R. D. ONOFRIO ALESI in opere: *La bolla di Clemente VIII e la civicità dei Benefici parrocchiali di Palermo*, I. vol. in-8, VIII-198 p. Palermo, 1923.

2. *Adrien. Incardinationis.* Sacerdos quidam e dioecesi Adriensi oriundus, anno 1907 litteris excardinationis et incardinationis dioecesi Cerviensi incardinatus est. Dein, anno 1914, cum licentia Ordinarii Cerviensis obtinuit beneficium in dioecesi Montisfalisci. Exeunte anno 1918, vocatus est in dioecesim Sardiniae, sed vix ingressus hanc dioecesim, mortuus est Episcopus. Inde abire coactus, neque ab Adriensi, neque a Cerviensi, neque a Faliscodunensi agnoscitur ut dioecesanus.

Proposito dubio: « Ad quamnam dioecesim sacerdos N. pertinere dicendus sit in casu » S. C. in plenario coetu diei 11 iul. 1925 respondit eum ad dioecesim Cerviensem pertinere. Quam resolutionem SS. D. approbare et confirmare dignatus est.

Satis facile liquet dubium ad dioecesim Cerviensem et Faliscodunensem coartandum esse, cum sacerdos e dioecesi originis regulariter excardinatus fuerit, neque aliquid in Sardinia consecutus sit. Quaestio autem in hoc tota vertebatur utrum can. 114 ad casum applicari possit necne. Canon enim iste admittit excardinationem et incardinationem per collationem beneficii residentialis factam ab alieno Ordinario, cum consensu in scriptis dato proprii Ordinarii. Verum, ante Codicem, non habebantur alii modi incardinationis praeter *ordinationem*, vel formalem excardinationem per litteras dimissoriales perpetuas Episcopi *a quo* et consensum Episcopi *ad quem*. Ratione sufficientis beneficii collati, sacerdos subdebatur quidem Episcopo collatori sed non ideo erat in huius dioecesi incardinatus. Acta ex adverso allata rem non evincunt.

Iam vero actus qui ante Codicem insufficiens erat, non fit sufficiens sola promulgatione Codicis, qui non habet vim retroactivam, sicut matrimonia non sanantur sola suppressione impedimenti per Codicem (A. A. S. 1 feb. 1926, XVIII, 48 ss.).

17. — *S. Congr. de Religiosis*

A. *Approbationes.*

1. Decreto 10 nov. 1925, approbatur congregatio religiosa *Ursulinarum* Cracoviae, eiusque constitutiones ad septennium (A. S. S., 1 febr. 1926, XVIII, 56). *Ursulinae Cracoviae.*

[16. 17.]

Famulae Imm. Conc. Leopolienses.

2. Decreto 24 nov. 1925 conceditur approbatio definitiva instituto Famularum Immaculatae Conceptionis B. M. V. in archidioecesi Leopoliensi (A. A. S., 6 apr. 1926, XVIII, 138).

Filiae Imm. Conc. Iaztauviec. dioec. Leopol.

3. Decreto 24 nov. 1925, approbantur definitive constitutiones congregationis Sororum *Filiarum Imm. Conceptionis B. M. V.* in Jaztowiec, archidioecesis Leopoliensis (A. A. S., 1 febr. 1926, XVIII. 56).

Sorores a S. Familia Mutilenses (Modiglian).

4. Decreto 20 dec. 1925 approbatur institutum *Sororum a S. Familia Tertii Ord. S. Franc.* in dioecesi Mutilensi eiusque constitutiones ad septennium (A. A. S., 1 febr. 1926, XVIII, 56).

Sorores ab Infante Iesu de S. Flori (S. Flour).

5. Decreto 20 dec. 1925 approbantur ad reptennium constitutiones Instituti *Sororum a S. Infante Iesu* in diocesi S. Flori (A. A. S., 1 febr. 1926, XVIII, 56).

Sorores a S. Iuliana Mechlinienses.

6. Decreto 3 febr. 1926, approbantur definitive constitutiones instituti *Sororum a S. Iuliana*, vulgo *Apostolines du Très Saint Sacrement*, in archidioecesi Mechliniensi (A. A. S., 1 mart. 1926, XVIII, 92).

Congr. operariorum christ. a S. Iosepho Calasanctio, Viennensis.

7. Decreto 3 febr. 1926, laudatus *congregatio religiosa pro Operariis christianis a S. Iosepho Calasanctio* in archidioecesi Viennensi eiusque Constitutiones approbantur ad septennium (A. A. S., 1 mart. 1926, XVIII, 92).

Sorores Tertii Ord. S. Franc. Pistorienses.

8. Decreto 3 febr. 1926, laudatur institutum *Sororum Tertii Ord. S. Franc.*, vulgo *Minime del S. Cuore*, in dioecesi Pistoriensi, eiusque constitutiones approbantur ad septennium (A. A. S., 1 mart. 1926, XVIII, 92).

18. — *S. Congr. Rituum*

Causae Beatificationis et Canonizationis.

Ezechiel Moreno Diaz.

1. Die 25 nov. 1925, signata est commissio introductionis causae beatificationis et canonizationis servi Dei *Ezechielis Moreno Diaz,* Ordinis Eremitarum Recollectorum S. Augustini, Episcopi Partopolitani, nati 10 apr. 1848 in dioecesi Turiasonensi (Hispania), defuncti 24 oct. 1870 (A. A. S., 15 ian. 1926, XVIII 15).

Antonius M. Claret

2. Die 6 ian. 1926, decretum est constare de virtutibus in causa servi Dei *Antonii Mariae Claret*, archiepiscopi S. Iacobi de Chile, deinde Traianopolitani, fundatoris congregationis Missionariorum Filiorum Imm. Cordis B. M. V. (A. A. S., 15 ian. 1926, XVIII, 19).

Lucia Filippini.

3. Die 21 mart. 1926, decretum est constare de tribus miraculis obtentis intercessione Ven. Servae Dei *Luciae Filippini*,. Fundatricis Instituti Magistrarum Piarum (A. A. S., 6 apr. 1926, XVIII, 140).

4. Die 25 mart. 1926, decretum est constare de duobus miraculis obtentis intercessione ven. Servi Dei *Andreae Huberti Fournet*, Fundatoris Congregationis Filiarum Crucis vulgo Sororum S. Andreae nuncupatarum (A. A. S., 6 apr. 1926, XVIII, 143). *Andreas Hubertus Fournet.*

19. — *S. Romana Rota*

1. Sententiae editae anno 1925 (A. A. S., 1 mart. 1926, XVIII, 96). *Summa sententiarum.*

2. Decreta in causis aliter eodem anno finitis (A. A. S., 1 mart. 1926. XVIII, 108). *et causarum quae aliter desierunt.*

20. — *Provisio Ecclesiarum*

Decretis *S. Congr. Consistorialis,* nominati sunt:

2 ian. 1926, R. P. D. Eduardus O' Rourke, ep. Gedanen. ex ep. tit. Pergamen. *Danzig.*

12 mart. 1926, R. D. Ernestus van Roey, archiep. Mechlinien. *Malines.*

12 mart. 1926, R. D. Rambertus Faure, ep. S. Claudii. *S. Claude.*

27. mart. 1926, R. D. Franciscus Virag, ep. Quinquecclesien. *Cinque Chiese*

5 apr. 1926, R. P. D. Iosephus Skvireckas, archiep. Kaunen ex ep. tit. Ceramen. *Kaunas in Lituania.*

5 apr. 1926, R. D. Iustinus Staugaitis, ep. Telsen. *Telsiai*

5 ap. 1926, R. D. Casimirus Paltarokas, ep. Panevezen. *Panevezys*

5 apr. 1926, R. P. D. Antonius Karas, ep. Vilkavizken, hactenus eiusdem territorii Ep. Ordinarius (1). *Vilkaviskio*

5 apr. 1926, R. D. Iosephus Kukta, ep. Kaisederen. *Haisedoris*

5 apr. 1926, R. D. Miecislaus Reinys, ep. tit. Tidditan. *Tiddit*

21. — *Nominationes*

A. *Brevibus Apostolicis nominati sunt:*

7 dec. 1925, R. D. Isidorus Maria Ioseph Dumartier, e Societate Parisiensi pro Miss. Exteris, Vic. Apostolicus de Saigon. *Saigon.*

4 ian. 1926, R. P. D. Aloisius Tardy, e Congr. a Spiritu Sancto, ep. tit. Acalyssensis, Vic. Apostolicus Gabonensis in Africa Centrali. *Gabon.*

4 ian. 1926, R. P. D. Ioseph Perrachon, ex Instituto Taurinen. B. M. V. a Consolata, ep. Centurien., Vic. Apostolicus de Kenia in Africa Centrali. *Kenya.*

(1) Observes hanc insolitam appellationem, propter difficultates politicas usurpatam. Eius sedes erat re vera Seynensis (Seiniai)

Magellano. 28 ian. 1926, R. P. Arthurus Jara, e Pia Societate Salesiana, Vic. Apostolicus Magellanensis.

B. *Decreto S. Congr. de Propaganda Fide.*

Prop. Fede Spagna. 30 dec. 1925, R. D. Angelus Sagarminaga renuntiatus est Praeses Consilii Nationalis Pontificii Operis a Propagatione Fidei pro Hispania.

C. *Decreto S. Congr. pro Ecclesia orientali renunciantur*:

Missiones pro Armenis. 21 dec. 1925, R. P. Cyrillus ab Erzerum, O. F. M. Cap., Superior Missionum pro Armenis in Graecia cum iurisdictione Ordinaria.

22. - *Necrologium*

Sale. 5 ian. 1925, Ill. D. Patritius Phelan, ep. Salien.

Le Puy. 20 mart. 1925, Ill. D. Thomas Boutry, ep. Anicien.

Damão. 4 aug. 1925, Ill. D. Sebastianus Joseph Pereira, ep. Damanen.

Helena. 2. nov. 1925, Ill. D. Ioannes Patritius Carrol, ep. Helenen.

Monopoli. 2 dec. 1925, Ill. D. Augustinus Migliore, ep. Monopolitan.

Nizza. 14 dec. 1925, Ill. D. Henricus Ludovicus Chapon. ep. Nicen.

Guayaquil. 22 ian. 1926, Ill. D. Andreas Machado, ep. Guayaquilen.

Malines. 23 ian. 1926, E.mus D. Card. Desideratus Mercier, archiep. Mechlinien.

Salt-Lake. 26 ian. 1926, Ill. D. Iosephus Sarsfield Glass, ep. Lacus Salsi.

Derry. 12 febr. 1926, Ill. D. Carolus Mac-Hugh, ep. Derrien.

Gnesna e Posnania. 13 febr. 1926, E.mus D. Card. Edmundus Dalbor, archiep. Gnesnen et Posnanien.

Burgos. 14 febr. 1926, E.mus D. Card. Ioannes Benlloch y Vivò, archiep. Burgen.

Séez. 16 febr. 1926, Ill. D. Claudius Bardel, ep. Sagien.

Wilna. 17 febr. 1926, Ill. D. Ioan. Bapt. Cieplak, archiep. Vilnen.

Colle Val d' Elsa. 18 febr. 1926, Ill. D. Ioan. Andreas Masera, ep. Collen.

Quebec. 20 febr. 1926, Ill. D. Paulus Eug. Roy, archiep. Quebecen.

Romana Curia Frascati. 27 febr. 1926, E.mus D. Card. Augustus Silj.

28 febr. 1926, E.mus D. Card. Ioannes Cagliero, ep. Tusculan.

Chartres. 13 mart. 1926, Ill. D. Henricus Bouquet, ep. Carnuten.

Grand-Rapids. 26 mart. 1926, Ill. D. Eduardus Dionysius Kelly, ep. Grandormen.

BIBLIOGRAPHIA

Ex libris

Bergmann Wilhelm Dr. *Religion und Seelenleiden.* Vorträge der Sondertagung des Verbandes der Vereine katholischer Akademiker in Kevelaer. 1 vol. in-8, 242 p. L. Schwann, Düsseldorf 1926, Preis 6 G. M.

Dr. BERGMANN : Idee und Bedeutung der Tagung. — Dr. LINDWORSKY, S. I. : Das Problem der Psychogenen Erkrankung vom Standpunkt der Psychologie. — Dr. HERMKES : Das Problem der Psychogenen Erkrankung vom Standpunkt der Medizin. — Dr. HEGEMANN : Frühsymptome seelischer Erkrankungen als Warnungszeichen für Seelsorger. — Dr. **Schulte,** O. M. Cap. : Die pastorale Behandlung der Psychopathien. — Dr. BERGMANN : Einführung in die Psychoanalyse und Individualpsychologie, und psychologisch-medizinische Kritik beider. — Dr. BOPP : Theologisch-pädagogische Beurteilung der Psychoanalyse und Individualpsychologie. Berichte der Aussprache über die Vorträge.

*** *Um Sitte und Sittlichkeit.* Ein Kommentar zu den katholischen Leitsätzen und Weisungen zu verschiedenen modernen Sittlichkeitsfragen. 1 vol. in-8, VII. 150 p. Verlag der Kath. Schulorganisation. Düsseldorf, 1926. Vorwort. - I KAP. Die sittliche Lage unseres Volkes. — II. KAP. Das Entstehen der bischöflichen Leitsätze und Weisungen. — III. KAP. Der tiefere Sinn der « Leitsätze und Weisungen ». — IV. KAP. Der Verpflichtungscharakter der « Leitsätze und Weisungen ». — V. KAP. Erläuterungen zu den einzelnen « Leitsätzen und Weisungen ». — VI. KAP. Die Aufgaben der Katholiken bei der Durchführung des bischöflichen « Leitsätze und Weisungen ».

Anhang. 1. Bischöfliche Aeusserungen. — 2. Aeusserungen katholischer Organisationen.

*** *L'Apostolat missionnaire de la France.* Conférences données à l'Institut Catholique de Paris. Série 1924-25.

1 vol. in-8, 321 p., Paris, Tequi, 1926, Prix, 7 frs.

MGR. BEAUPIN : Introduction : Les Missions catholiques et le problème de la civilisation. — MGR. de Guébriant : Les origines de la Societé des Missions Étrangères. — SŒUR JEANNE :

Le relèvement de la femme païenne aux Indes. — MGR. BEAUPIN: L'émulation missionnaire à travers le monde. — R. P. DHÉLIAS S. I.: Madagascar religieux. — R. P. COURTAIS: Les missions maristes en Oceanie. — FRÈRE CORDIEN: Institut missionnaire des Frères des Écoles chrétiennes. — MGR. JAROSSEAU: La mission des Gallas en Abyssinie. — T. R. P. LEBON: L'apostolat par l'éducation au Japon. — R. P. LEBBE: Les étudiants chinois à l'étranger. — MGR. DESCAMPS: Ce que j'ai vu en Afrique occidentale française.

Schüth, Ferd. Heinrich (S. I.). *Mediatrix.* Eine Marialogische Frage. Dogmatisch-kritische Studie. 1 vol. in-8. 354 p. Marianischer Verlag, Innsbruck, 1925.

Einleitung. Veranlassung, Zweck, Status quaestionis, und Einteilung. I. TEIL. Die Tatsächlichkeit der katholischen Auffassung von der universalen Mutterschaft Marias auf Grund ihrer Mitwirkung beim Erlösungswerke: die Mediatrix verbunden dem Mediator. II. TEIL. Die Art und Weise der Mitwirkung Marias beim Erlösungswerke und die Polemik Bartmanns gegen Scheeben. *Schluss.* Grund und Bedeutung der Kontroverse; Zusammenhang mit der katholischen Lehre von der leiblichen Aufnahme Marias in den Himmel.

Th. Mainage, Prof. à l'Institut cath. de Paris. *Immortalité.* Entretiens sur le problème de la survivance. 1 vol. in-8 253 p. Paris, Téqui, 1926, Prix 7 fr.

L'univers. - Les religions. - L'homme. - La metapsychique. - La conscience. - La raison. - Éternité.

Jules Riche. *Les savants sont-ils des croyants?* (Causeries de Lucien Roland) 1 vol, in-8, 127 p. Paris, Téqui, 1925, Prix 5 fr. - La foi gêne-t-elle la science? - Les mathématiciens - Les astronomes - Les physiciens - Les chimistes - Les naturalistes - Les géologues - La science de la vie.

Joseph Vernhes (P. S. S.). *Amour et souffrance ou le Problème de la douleur humaine ici-bas.* 1 vol., in-16, 154 p., Paris, Téqui, 1926. Position du problème - Difficultés et solutions - Conséquences pratiques.

Mgr. Tissier, Évêque de Châlons. *Le cinquantenaire de l'Institut Catholique de Paris.*

Discours prononcé à la solennité d'action de grâces, en l'Eglise Saint-Sulpice, le 24 Novembre 1925. 1 vol. 40 p. Paris, Téqui, 1926, Prix, 2 frs. 50.

Hostachy Victor, missionnaire de la Salette. *Joie et Sainteté.* Quatrième série. Études d'âmes du IV, siècle. 1 vol. in-16, XVII - 183 p. Huitième Mille. Desclée, De Brouwer et Cie. Lille,

Paris, Bruges, 1925. - En Orient. Olympiade : La joie de la compassion. - Gorgonie: La joie de la piété. - Emmelie : La joie de la famille. - Macrine: La joie de la famille (suite) - Apollonie: La joie du martyre. - Pélagie : La joie du martyre (suite).

Hostachy Victor, Missionnaire de la Salette. *Feux de joie,* 1 vol. in-16, 200 p. (Poésies). Desclée, De Brouwer et C.ie Lille, Paris, Bruges, 1926.

Los et Jubilation. L'aube - Matines et Laudes. - Cantilènes d'Ombrie. - Les Cités du Silence. - Triduum. - Les Petites Heures. - Le Crépuscule. - FIORETTI. Argument. Le Jardinier. Le Jardin clos. - Analogies. - Les douze petites fleurs d'Assise. - Fiorellini. - Les jours de grande liesse. - *Jubili.* Allons, jubile en Dieu. Les Fêtes. - Mystères joyeux. - Les Onctions. - Les Miettes.

S. Louismet (O. S. B.) *L'initiation mystique* (Traduit de l'anglais par l'auteur sur sa 3e édition). 1 vol. in-8, 369 p. Paris, Téqui, 1926, Prix 7 fr. 50.

Paraphrase des versets du cantique des cantiques. PREMIÈRE PARTIE : Jeunesse de l'âme-épouse. DEUXIÈME PARTIE : L'âme épouse devient nubile.

Louis Rouzic. Aumônier « rue des Postes ».

Les Saints-Ordres. Doctrine et action. 1 vol. in-8, 522 p. Paris Téqui, 1926, Prix 12 frcs.

La vocation - Le séminaire - La soutane - Le surplis - La tonsure - Le sacrement de l'ordre - Les ordres mineurs - Le sous-diaconat - La chasteté - Le bréviaire - Le diaconat - La prêtrise - La Sainte Messe - La confession - La direction - La prédication - Le catéchisme - La bénédiction - La présidence - Le professorat.

A. Surmont de la Cong. du Coeur immaculé de Marie, *Dans l'intimité du Bon Maître.* Entretiens avec Jésus-Hostie. 1 vol. in-8, 225 p., Bruxelles, Albert Dewit, 1925, Prix, 6 fr. 75.

Acte d'amour de complaisance - Acte d'amour de bienveillance - Acte d'amour de contrition - Acte d'amour de condoléance - Acte d'amour de préférence - Acte d'amour de gratitude - Acte d'amour d'aspiration - Acte d'hommage à la Très Sainte Trinité.

E Periodicis

Collationes Brugenses, Ian. - april. 1926. G. J. ep. BRUG. Analecta ascetica et mystica (excerpta ex sermone Odonis Canthuar. de assumptione S. Mariae). - V. COUCKE. De absolutione indirecta a peccato - De iubilaeo anni 1926 - De sigillo sacramentali.

E. HOSTEN. De modo observandi festa. J. BRYS. De portione paroeciali.

Commentarium pro religiosis ian - april. 1926. - A. LARRAONA Interpretatio can. 501 § 1. - P. MAROTO. Circa naturam iuridicam Congregationis Sororum a Misericordia. Annotationes ad decl. S. C. de Rel. 24 nov. 1925. - E. NEBREDA. De loci Ordinariorum iuribus circa pia legata donationesve tum religiosis tum eorum ecclesiis etiam paroecialibus facta.

Il Monitore Ecclesiastico, febbr. - april 1926. - Norme per la liquidazione e la concessione dei supplementi di congrua al clero (Decreto legge 7 genn. 1925). - Il nuovo Rituale; Dell'Estrema Unzione e assistenza ai moribondi; delle esequie.

Nederlandsche Katholieke Stemmen. febr, - april. 1926.

BEIJERSBERGEN, S. I. Eene kleine toelichting over het woord *Locus* voor het Jubilé van 1926. Over de extensie van het Jubilé.

Nouvelle Revue Théologique. Février - avril 1926. E. MERSCH S. I. La fonction de l'autorité. - J. ARENDT S. I. La matiére absolument grave dans le vol. J CREUSEN S. I. L'extension du Jubilé. L'École catholique. — J. CREUSEN, Le Christ-Roi. — E. JOMBART: Vie religieuse et piété filiale. — A. VERMEERSCH S. I.: A la pieuse mémoire du Card. Mercier. — PIERRE CHARLES S. I. Le Card. Mercier et la théologie.

Pastor bonus. Ian. - mart. 1926. Dr. MONCH (Ill. D.), Caritas und Klerus. Dr. v. MEURERS, Das Königtum Christi. Dr. WEHR, Ausdehnung des Jubiläumsablasses auf den ganzen kath. Erdkreis. VAN ACKEN, S. I. De precum omissione inter missam.

Le Recrutement sacerdotal. Mars 1926 I. D. Après le Congrès de Paris. - X. La vocation sacerdotale, suite, G. Ch. La conscience professionnelle cléricale et sa formation au « for externe » dans les Petits Séminaires. - Mgr. GRUMEL: Lettre d'un évêque à un enfant de choeur. - *La Direction*: Le deuxiéme Congrès national et les prochains Congrès nationaux de recrutement sacerdotal. - Vocations de jeunes étrangers. - Lettre de S. E. le Card. VAN ROSSUM à M. Mulders.

Revue ecclésiastique de Liège, t. 17. E. LEROUX. De dispensatione et commutatione votorum. - De peccato sacrilegii. G. KISELSTEIN. De dominio auctorum. - A. POSTELMANS. De tempore, loco et ritu distributionis s. communionis.

Theologisch-praktische Quartalschrift. Linz. 1926 Heft I und II. Dr. JONE, O. M. C. Die Absolutionsvollmachten in Todesgefahr. Van ACKEN, S. I. Spendung der heil. Sakramente an Kranke und Sterbende. Dr. JOSEF LOHR, Die Rechtstellung der Kirchendiener. Pastoralfälle.

PARS ALTERA

MONUMENTA

23. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Litterae encyclicae " Rite expiatis „ 20 apr. 1926.

DE SANCTO FRANCISCO ASSISIENSI SEPTINGENTESIMO AB EIUS OBITU ANNO EXEUNTE

(A. A. S. 3 maii 1926, XVIII, 153).

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iubilaeo magno opportune accedit commemoratio septies centenaria obitus S. Francisci.

Rite expiatis in hac Alma Urbe atque ad perfectioris vitae institutum excitatis animis plurimorum Iubilaeo magno — cuius quidem toto orbe fruendi facultatem in finem vertentis anni prorogavimus — iam ad maximas utilitates vel quaesitas inde vel speratas cumulus quidam videtur Nobis accessurus ex ea quae ubique gentium apparatur de Francisco Assisiensi commemoratio sollemnis, septimo exeunte saeculo cum terrestre exsilium caelesti patria feliciter mutavit. Hominem, non tam turbulentae aetati suae quam christianae omnium temporum societati emendandae divinitus datum, cum Actioni catholicae, quam vocant, proximus decessor Noster caelestem Patronum attribuerit, eos sane decet filios Nostros, qui in ea provincia secundum praecepta Nostra desudant, ita, cum creberrima Francisci subole concinentes, eius et acta et virtutes et spiritum revocare atque extollere, ut, commenticia illa Seraphici viri specie reiecta, quae aut recentiorum errorum fautoribus aut urbanis lautisque hominibus ac mulieribus arridet, quam ipse in se rettulit san-

ctitatis formam, ad evangelicae castitatem simplicitatemque doctrinae compositam, christifideles omnes eandem imitentur atque induant. Huc enim et sacros ritus et publicas ferias et recitationes et contiones, per saecularis anni decursum, spectare cupimus, ut, qualis ex naturae gratiaeque donis, ad absolutissimam sui proximorumque perfectionem mirifice adhibitis, Patriarcha Seraphicus exstitit, talis omnino, nec alius aut dissimilis, germanae pietatis significationibus celebretur. Quodsi temere facit quisquis adscitos in caelestem patriam sanctitatis heroas inter se comparat, quorum alios ad aliud Spiritus Paraclitus munus ad aliamque causam apud mortales obeundam delegit — quae quidem comparatio, ab incompositis animorum motibus plerumque profecta, omni est fructu vacua inque Deum ipsum sanctitatis auctorem iniuriosa — videtur tamen nullus fuisse, in quo Christi Domini imago et evangelica vivendi forma similior, quam in Francisco, atque expressior eluxerit. Propterea, qui se ipse appellavit *magni Regis Praeconem*, idem recte *alter Christus* nuncupatus est, quod se quasi reviviscentem Christum aequalium suorum societati et saeculis praestitit futuris: unde consecutum, ut is vivat hodie ante oculos hominum in omnemque victurus sit posteritatem. Quod ipsum iam quis miretur, quando ii, qui primi ex aequalibus eius temporis de vita et rebus Patris sui Legiferi scripsere, hunc paene maiorem augustioremque quam pro humana natura existimarunt; quando decessores Nostri, qui Francisco familiariter usi sunt, in populi salutem Ecclesiaeque praesidium a Deo illum providenter missum agnoscere non dubitarunt? Cur vero, tam diuturno a Seraphici viri obitu intervallo catholicorum in eum pietas atque ipsorum acatholicorum admiratio novo quodam ardore effervescit, nisi quod eius forma haud minore hodie, quam ante, claritate mentibus collucet, eiusque vis ac virtus, ad medendum populis cum plurimum adhuc possit, in id advocata desideratur? Etenim emendatrix ipsius actio ad humani generis universitatem sic pertinuit, ut, praeter restitutam late fidei morumque integritatem, evangelicae caritatis iustitiaeque rationes communem ac socialem, ut aiunt, vitam multo interius pervadendo temperarent.

In cuius memoria celebranda reicienda est commentitia illa Seraphici Patriarchae species ab aliquibus efficta et talis celebrandus qualis revera exstitit.

Iam vero nullus Sanctorum fuit Christo Domino et evangelicae vivendi formae similior.

Decessorum exempla secuti, franciscalem spiritum excitare cupimus, idque eo magis quod ad hunc hauriendum animi nunc videntur paratiores.

Eventi igitur, quod adesse properat, amplitudini ac faustitati aptissime congruit, ut, vobis, Venerabiles Fratres, alloquii Nostri nuntiis atque interpretibus, per Assisiensis Patriarchae documenta vitaeque exempla hac temporis reique opportunitate salutariter revocata, franciscalem spiritum, qui ab evangelico sensu atque habitu nihil prorsus abest ac distat, in christiano

populo excitemus. Placet enim contentione pietatis cum proximis certare decessoribus Nostris, qui nullam siverunt praecipuorum eius vitae dierum facinorumque saecularem praeterire memoriam, quin apostolici auctoritate magisterii illustrarent fidelibusque agendam decernerent. In quo maxima cum animi voluptate meminimus — ac nequeunt Nobiscum non meminisse quiqui florentem excesserunt aetatem — in Franciscum eiusque instituta ubique gentium incensa fuisse popularium studia per Encyclicas Litteras *Auspicato*, a Leone XIII quarto ac quadragesimo ante anno datas, cum septimum pariter ab Assisiensis viri ortu saeculum compleretur; quae quidem studia quandoquidem in multiplices pietatis significationes et in optatam quamdam animorum erupere renovationem, minime intellegimus cur proximi eventi gravitate paris exitus par esse non debeat. Quin etiam longe superiorem portendunt quae sunt in praesens christianae societatis tempora. Quem enim fugiat, bona spiritus pluris fieri communiter coepisse, et populos, superioris aetatis experientia, doctos nisi ab reditu ad Deum nihil quietis sibi ac securitatis sperandum, ad unam salutis causam Ecclesiam catholicam suspicere? At praeterea cum saecularibus hisce sollemnibus, quae ab spiritu paenitentiae caritatisque seiungi non possunt, nonne prolata ad orbem terrarum romani Iubilaei venia, de qua diximus, auspicato concurrit?

Aetas S. Francisci difficilis admodum et acerba fuit.

In comperto est, Venerabiles Fratres, quam difficilis quamque acerba Francisco aetas contigerit. Esto, christianam fidem tum in populo altius esse defixam: cuius quidem rei argumento est, non tam conductos milites quam ipsos omnis ordinis cives, ad liberandum Christi Sepulcrum, signa in Palaestinam, sacro impetu, intulisse. At tamen in agrum dominicum obrepere sensim haereses ac serpere, vel ab notis auctoribus vel ab occultis circulatoribus propagatae, qui, vitae austeritatem assimulatamque virtutis disciplinaeque speciem ostentando, facile simplices debilesque decepere homines: inde infesti quidam rebellionis igniculi in multitudines insinuari. Si qui autem, privatorum maculis Ecclesiae Dei inustis, se ad hanc emendandam divinitus vocatos superbe censuerunt, haud ita multo post, cum doctrinas auctoritatemque Apostolicae Sedis reiecissent, liquido apparuit quibus ii consiliis regerentur; expedite vero ad libidinem et luxuriam, ad ipsamque rerum publicarum perturbationem, concussis religionis, dominii, familiae civitatisque fundamentis, plerosque eorum devenisse constat. Scilicet id tum evenit, quod hac illac plus semel saeculorum decursu, ut conflatae in Ecclesiam inque civitatem seditiones pari gradu, altera alteram

iuvante, procederent. Verum, licet catholica fides in animis aut incolumis aut non omnino obscurata consisteret, cum evangelici spiritus paene defecissent, tum Christi caritas in societate hominum adeo deferbuerat ut quasi restincta videretur. Nam, ut de eorum contentionibus sileamus qui hinc cum Imperio, illinc cum Ecclesia facerent, intestinis Italicae urbes bellis lacerabantur, seu vellent nonnullae se ab dominatu unius in civilem libertatem vindicare, seu aliae ex maioribus alias sibi minores subigere niterentur, seu factiones in una eademque civitate de principatu certarent: unde immanes utrimque caedes, incendia, expilationes direptionesque locorum, exsilia, rerum bonorumque publicationes. Iniquissima plurimorum fortuna, cum inter dominos et clientes, maiores, quos vocabant, et minores, eros et colonos, nimio plus dispares intercederent rationes, quam ipsa pateretur humanitas, et tenuiores e populo a potentioribus opprimi atque impune vexari solerent. Abrepti porro amore sui suarumque rerum studio, quotquot e miserrima plebe non erant, insatiabili divitiarum cupiditate exardescere; sumptuariis alicubi legibus nequiquam latis, insanum vestium, epularum deliciarumque omne genus iactare atque ostentare apparatum; paupertatem pauperesque contemptui habere; animo ab leprosis, tum frequentibus, esse aversissimo eosdemque segregatos neglegere: a qua sane tanta fruendi bonis voluptatibusque libidine ne ii quidem vacabant — etsi satis multi e clero morum austeritate commendabantur — qui religiosius vacare debuerant. Quamobrem usu venerat, ut magnos sibi quisque et uberes quaestus omnibus ex rebus, unde licuisset, hauriret ac constitueret; non modo igitur pecunia per vim extorquenda vel iniquo fenore exigendo, sed etiam publica munera, honores, iustitiae administrationem, vel ipsam reis impunitatem venditando, rem familiarem non pauci augebant atque exaggerabant. Nec vero tacuit Ecclesia nec a puniendo se abstinuit; at, quantumne id profuturum erat, quando vel Imperatores, publico pessimoque exemplo, Apostolicae Sedis anathemata provocabant contumaciterque spernebant? Monasticum quidem institutum, quod tam laetos ad maturitatem fructus perduxerat, mundano respersum pulvere, ad resistendum repugnandumque minus poterat; quodsi per novos religiosorum virorum Ordines ecclesiasticae disciplinae aliquantum praesidii accessit ad firmamenti, multo tamen copiosiore et lucis et caritatis effusione laborantem hominum societatem reparari oportebat.

Itaque eiusmodi, quam adumbravimus, societati cum illustrandae, tum ad incorruptam evangelicae sapientiae speciem reducendae, divino consilio Assisiensis apparuit idemque effulsit Solis instar, quemadmodum cecinit Alighierius (1); quae ipsa demum est Thomae a Celano sententia, scribentis: « Radiabat velut stella fulgens in caligine noctis et quasi mane expansum super tenebras » (2).

Cui illustrandae et reducendae destinatus est.

Adulescens uberiore quodam et vehementiore ingenio, fertur, pretiosis indutus vestibus, delicatis ac iucundis, quibus uteretur, comitibus caenas apponere lautissimas et inter hilariores cantus urbis suae obire vias consuevisse, integritate tamen morum, castitate sermonum divitiarumque contemptu commendatus. Qui, post Perusinae captivitatis ac morbi cuiusdam molestias cum se interius immutatum non sine admiratione sensisset, nihilo secius, ut ex Dei veluti manibus elaberetur, heroicos oppetiturus casus in Apuliam contendit. Verum, cum iter faceret, haud ambiguo Dei monitu Assisium redire iussus est, ubi, quid sibi agendum foret, doceretur; postquam vero dubitationibus diu aestuavit, et divino afflatu et audito inter sacrum solemne illo Evangelii loco, qui ad Apostolorum missionem vitaeque genus pertinebat, intellexit, se « ad formam Sancti Evangelii » vivere et Christo servire oportere. Iam tum, igitur, cum Christo coniungi arctissime eique omnino similis effici aggressus est; et « totum viri Dei studium, tam publicum quam privatum, circa crucem Domini versabatur; et a primaevo temporis, quo Crucifixo coeperat militare, diversa circa eum crucis mysteria praefulserunt » (3). Vere bonus is miles et eques Christi, pro nobilitate et generositate animi, fuit; qui, ne qua in re cum Domino suo et ipse et discipuli sui discreparent, praeterquam quod evangelicum codicem, oraculi causa, adire ac consulere inter deliberandum solebat, legem Ordinum, quos condidit, cum evangelio ipso itemque religiosam suorum vitam cum apostolica vita unus adaequavit. Quapropter in Regulae fronte recte inscripsit: « Regula et vita Minorum fratrum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare... » (4). Iam, ut rem pressius ingrediamur, videamus, Venerabiles Fratres, quam praeclara perfectissimarum virtutum exercitatione se Franciscus ad inserviendum divinae misericor-

Quomodo ad hoc munus exercendum paratur

(1) *Par.* XI.
(2) *Leg.* I, n. 37.
(3) Th. a Cel., *Tract. de mirac.*, n. 2.
(4) *Reg. Fr. Minorum*, initio.

diae consiliis pararit idoneumque publicae emendationis administrum praestiterit.

Studium paupertatis.

Quonam studio flagraret noster evangelicae paupertatis, si mente facilius fingimus, describere tamen censemus perarduum. Ipsum nemo ignorat ad opitulandum egenis fuisse natura proclivem, et, teste Bonaventura, tantae plenum benignitatis, ut, « iam Evangelii non surdus auditor », decrevisset, nulli se mendico stipem negaturum, quisquis praesertim in petendo « divinum allegaret amorem » (1); at vero naturam cumulate gratia perfecit. Itaque, interiore Dei impulsu, reiectum olim pauperem paenitentia commotus, statim conquirere eiusque misericorditer atque abunde allevare inopiam; iuvenibus stipatus cum aliquando post laetum convivium per urbem concinendo cursitaret, consistere subito, per summam spiritus dulcedinem a corpore abstractus, rogantibusque, ubi se recepit, comitibus uxoremne cogitaret, respondere illico ardenterque eos recte dixisse, cum uxorem, qua nulla sane nobilior et ditior et pulcrior, ducere sibi proponeret: quibus quidem verbis seu paupertatem seu religionem praecipuo paupertatis cultu innixam intellegebat. Etenim a Christo Domino, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia divites essemus (2), divinam illam sapientiam didicit, quam nulla unquam humanae sapientiae commenta delebunt, quaeque sancta novitate res una omnes instaurare potest. Docuerat sane Iesus: *Beati pauperes spiritu* (3)*; Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo: et veni sequere me* (4)*;* eiusmodi autem paupertatem, quae, utpote posita in ea voluntaria studiosaque rerum omnium iactura quam quis Spiritus Sancti instinctu suscipiat, invitae illi et morosae et ostentatae veterum quorundam philosophorum omnino repugnat, ita amplexus est noster, ut dominam et matrem et sponsam reverenter amanterque appellaret. Ad rem sanctus Bonaventura: « Nemo tam auri quam ipse cupidus paupertatis, nec thesauri custodiendi sollicitior ullus quam iste huius evangelicae margaritae » (5). Ac Franciscus ipse, cum in lege Ordinis propria singularem prorsus eius virtutis exercitationem suis commendat ac praecipit, quanti eam faceret, quantopere adamaret,

(1) *Leg. mai.*, c. 1. n. 1.
(2) II *Cor.*, VIII, 9.
(3) Matth., V. 3.
(4) Matth., XIX, 21.
(5) *Leg. mai.*, c. 7.

perspicuis profecto verbis ostendit: « Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, carissimos fratres meos, haeredes et reges Regni caelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Haec sit portio vestra;... cui... totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub caelo habere velitis » (1). Atque idcirco Franciscus paupertatem amavit praecipue, quod eam consideraret Deiparae familiarem et Christi Iesu non tam familiarem quam Sponsam in ligno Crucis adscitam, et ab hominibus deinde oblitteratam et mundo valde amaram atque importunam. Quae cum secum ipse reputaret, mirum quantum consueverat lacrimarum edere ac ploratuum. Iam quis insigni isto hominis spectaculo non commoveatur, qui ex paupertatis amore pristinis lautitiarum suarum sociis aliisque non paucis insaniisse visus est? Quid quod posteros, vel ab evangelicae perfectionis captu usuque alienissimos, huius tanti paupertatis amatoris auctior in dies admiratio perculit et nostrae homines aetatis percellit? Cui quidem posteritati omnino Aligherius praeivit, cantu illo (2) de sponsalibus inter Franciscum et Paupertatem initis, in quo nescias utrum magis mirere, granditatemne elationemque sententiarum, an carminis mollitudinem ac venustatem.

Humilitatis,

Iamvero quae in mente animoque Francisci paupertatis et notio altissima et generosa insidebat cupiditas, externorum dumtaxat bonorum abdicatione terminari ac circumscribi non poterat. Nam cui liceat germanam ad Christi Domini exemplum adipisci ac profiteri paupertatem, nisi se spiritu pauperem seque humilitatis virtute pusillum effecerit? Quod cum probe teneret noster, alteram virtutem ab altera nunquam dissociando, utramque simul consalutat ac salvere iubet: « Domina sancta paupertas, Dominus te salvet cum tua sorore sancta humilitate... Sancta paupertas confundit omnem cupiditatem et avaritiam et curas huius saeculi. Sancta humilitas confundit superbiam et omnes homines huius mundi et omnia quae in mundo sunt » (3). Franciscum autem uno ut verbo depingat, aurei *De Imitatione Christi* libri scriptor humilem appellat: « Quantum unusquisque est in oculis tuis (Deus), tantum est et non amplius, ait humilis S. Franciscus » (4). Cui profecto fuit curae potissimum, ut, tamquam omnium minimum ac postremum, submisse

(1) *Reg. Fr. Min.*, c. 6.
(2) *Par.* XI.
(3) Opusc. *Salutatio virtutum* (Ed. 1904), pag. 20 et seq.
(4) L. III, c. 50.

se gereret. Itaque, inde ab inito emendatioris vitae curriculo, cupere is vehementer ludibrio ac risui esse hominibus; etsi Conditor Paterque Minorum Legifer erat, unum tamen aliquem ex suis sibi moderatorem ac dominum deligere, a cuius nutu penderet; vixdum licuit, nullis suorum precibus fletibusque devictus, summum Ordinis magistratum deponere « ad servandam humilitatis sanctae virtutem », et permanere « exinde subditus usque ad mortem, humilius agens quam aliquis aliorum » (1), oblatum saepe a Purpuratis Patribus primoribusque civitatis liberale magnificentissimumque hospitium abnuere ac recusare; reliquos homines aestimare quamplurimi et omni honoris testimonio prosequi, factus « inter peccatores quasi unus ex eis ». Namque peccatorum maximus ipse sibi videbatur, dicere solitus, si quam sibi Deus adhibuerat misericordiam, eandem scelesto alicui homini praestitisset, hunc decies tanto perfectiorem fuisse evasurum, praetereaque Deo dumtaxat tribuendum, a quo unice profectum esset, quicquid in se honesti ac boni reperiebatur. Qua de causa privilegia et charismata, quae hominum existimationem ac laudem parere sibi possent, atque in primis Stigmata Domini Iesu in suo corpore impressa divinitus, omni occulere contentione studuit; si quando autem privatim publiceve dilaudaretur, non tam se ipse putabat ac fatebatur contemptu contumeliisque dignum, quam incredibili quodam maerore, non sine gemitibus lamentisque, angebatur. Quid quod se indignum adeo existimavit, ut sacerdotio initiari noluerit? In hoc ipso igitur humilitatis quasi fundamento Ordinem Minorum niti voluit ac consistere. Quodsi hortationibus mirae sapientiae plenis suos iterum iterumque docebat, cur non liceret ulla de re, nedum de virtutibus gratiisque caelestibus, gloriari, in primis tamen eos ex fratribus admonebat et pro opportunitate obiurgabat, quibus sua ipsorum officia periculum inanis gloriae superbiaeque facesserent, ut divini verbi praecones, ut litterarum optimarumque artium peritos, ut coenobiorum provinciarumque moderatores. Longum sane est singula persequi, sed hoc unum commemorare libet: humilitatem Franciscum ex Christi exemplis ac verbis (2) in suos, quasi peculiarem Ordinis notam, derivasse; fratres enim suos « voluit vocari *Minores*, et praelatos sui Ordinis dici *ministros*, ut et verbis uteretur evangelii, quod observare promiserat, et ex ipso nomine discerent discipuli eius, quod ad discendam humilitatem ad scholas humilis Christi venissent » (3).

(1) Th. a Cel., *Leg.* II, n 143.
(2) Matth., XX, 26-28; Luc. XXII, 26.
(3) S. Bonav., *Leg. mai.*, c. 6, n. 5.

Obedientiae, praesertim erga Ecclesiam,

Vidimus, Seraphicum virum, ex ipsa quae in mente sua inesset paupertatis absolutissimae notione, tam se pusillum humilemque praestitisse, ut, vel cum Ordini praesideret, alicui uni — immo, ut addamus, fere omnibus — candida cum simplicitate obtemperaret; quisquis enim semet non abnegat, nec arbitrium abicit suum, non is profecto dicendus aut se quibusvis rebus despoliasse aut demisso fieri animo posse. Itaque noster voluntatis libertatem, munus ceteris praecellentissimum a Deo Creatore humanae naturae tributum, Iesu Christi Vicario per obedientiae votum ultro addixit permisitque totam. O quam faciunt inepte, quam longe ab Assisiensis cognitione recedunt qui ut suis commentis erroribusque serviant, Franciscum quendam fabricantur ac fingunt — incredibile dictu — cum ecclesiasticae intolerantiorem disciplinae, tum de ipsis fidei doctrinis nihil omnino curantem, tum etiam praecursorem ac praenuntium multiplicis illius, quae ab recentioris aevi initio iactari coepit, ementitae libertatis, unde tanta Ecclesiae civitatisque exstitit perturbatio. Iam mirificis exemplis ipse suis, quam arcte cum Ecclesiae hierarchia, cum Apostolica hac Sede et cum Christi doctrina cohaereret, Praeco magni Regis catholicos doceat acatholicosque universos. Etenim, ut e litterarum monumentis illius aetatis, iisque fide dignissimis, constat, « venerabatur sacerdotes, et omnem ecclesiasticum ordinem nimio amplexabatur affectu » (1); « hoc... ipse *vir catholicus et totus apostolicus* in praedicatione sua principaliter monuit, ut Romanae Ecclesiae fides inviolabiliter servaretur, et ob Dominici Sacramenti, quod ministerio sacerdotum conficitur, dignitatem, in summa sacerdotalis ordo reverentia teneretur. Sed et divinae legis doctores et omnes ecclesiasticos ordines docebat summopere reverendos » (2). Quod autem popularibus e suggestu tradebat, id ipsum fratribus suis multo inculcavit vehementius; quos monere identidem consueverat — et Testamento illo suo, et moriturus etiam atque etiam monuit — praelatis et clericis, in sacri ministerii exercitatione, modeste parerent cum iisque filios pacis se gererent. At vero, quod hoc in genere caput est, cum primum propriam sui Ordinis legem Seraphicus Patriarcha condidisset ac conscripsisset, nihil paene morae interiecit, quominus eam Innocentio III, coram cum prioribus undecim discipulis sistens, adprobandam subiceret. Immortalis autem memoriae Pontifex, verbis et conspectu pauperrimi humillimique hominis

(1) Th. a Cel., *Leg.* I. n. 62.
(2) Iulian. a Spira, *Vita S. Fr.*, n. 23.

mirifice affectus divinoque afflatus spiritu, cum Franciscum peramanter complexus esset, tum exhibitam sibi legem apostolica auctoritate sanxit, fecitque praeterea novis operariis praedicandae paenitentiae potestatem; cui quidem Regulae paulo immutatae, testis historia est Honorium III, Francisci rogatu, confirmationis robur addidisse. Regulam autem et vitam Fratrum Minorum Seraphicus Pater huiusmodi vult esse, ut iidem « Domini Nostri Iesu Christi sanctum Evangelium » observent, « vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate », non ad arbitrium quidem suum suamque interpretationem, sed ad nutum Romanorum Pontificum, qui canonice electi sint. Quicumque vero cupiunt « hanc vitam accipere... Ministri... diligenter examinent eos de fide catholica et ecclesiasticis sacramentis, et si haec omnia credant, et velint ea fideliter confiteri, et usque in finem firmiter observare »; qui in Ordinem cooptati sint, ne inde ullo pacto discedant « iuxta mandatum Domini Papae ». Clericis praecipitur, ut divina obeant officia « secundum ordinem Sanctae Romanae Ecclesiae »; fratribus in universum, ne in territorio alicuius episcopi, huius iniussu, contionentur, neve sacrarum virginum coenobia, ministerii causa, nisi peculiarem Apostolica Sedes veniam fecerit, ingrediantur. Nec minorem Apostolicae Sedis reverentiam atque observantiam ea redolent, quae de Cardinali protectore postulando Franciscus habet: « Per obedientiam iniungo Ministris, ut petant a Domino Papa unum de Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius Fraternitatis; ut semper subditi et subiecti pedibus eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae, stabiles in fide catholica,... sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus » (1).

Castitatis.

Nec silere de illa decet, quam Seraphicus vir « diligebat praecipue pulchritudinem et munditiam honestatis », scilicet de ea spiritus corporisque castitate, quam acerbissima sui ipsius maceratione custodiebat ac tuebatur. Ipsum vidimus, cum adulescens festive eleganterque ageret, a quavis vel verborum turpitudine abhorruisse. Attamen, statim atque inania saeculi delectamenta abiecit, iam tum sensus acerrime cohibere coepit. et, si quando voluptariis pulsari agitarique eum motibus contigit, sese aut inter dumos volutare aut, summa hieme, in rigidissimas aquas demergere non dubitavit. Explorata, ceteroqui, res est, nostrum, qui homines ad evangelicae vitae institutum

(1) *Reg. Fr. Minor.*, passim.

revocare studeret, hortari omnes solitum « ut amarent et timerent Deum atque poenitentiam agerent de peccatis » (1), exemploque suo omnibus paenitentiae auctorem suasoremque exstitisse. Is enim cilicium carni adhibere, tunica rudi ac paupere uti, nudis pedibus incedere, subnixis lapide lignove cervicibus cubare, cibum capere qui mortem dumtaxat arceret, eundemque aquae et cineri plerumque admixtum ut male saperet, immo etiam maiorem anni partem fere ieiunus traducere. Corpus praeterea, quod cum iumento onerario comparabat, aspere duriterque, seu satis firma seu aegra esset valetudine, tractare, et duplicata quidem castigatione, si quid calcitrare videretur; postremis autem vitae suae annis, cum, factus Christo simillimus, per Stigmata quasi cruci affixus esset et multiplici morborum vi torqueretur, ne tunc quidem corpori suo aliquid solacii indulsit ac quietis. Nec minus curavit, ut sui austeritati et paenitentiae assuescerent, quamquam — in quo unice « dissona fuit manus a lingua in patre sanctissimo » (2) — eos iubendo monuit, ab immodica abstinentia corporisque afflictatione temperarent.

Quae omnia ex caritatis fonte fluxerunt,

Haec autem omnia ex uno eodemque divinae caritatis fonte ac capite fluxisse quis pro manifesto non habet? Siquidem, ut Thomas a Celano scripsit, (3) « amore divino fervens... studebat semper ad fortia mittere manum, et dilatato corde viam mandatorum Dei ambulans, perfectionis summam attingere cupiebat », et, teste Bonaventura, (4) « totus... quasi quidam carbo ignitus divini amoris flamma videbatur absorptus »; nec deerant qui vim lacrimarum profunderent, cum eum cernebant « ad tantam ebrietatem divini amoris tam cito venisse » (5). Divina autem eiusmodi caritas ita in proximos redundavit, ut inopes homines in iisque miserrimos leprosos, a quibus ante, cum adolesceret, natura abhorrebat, sui ipsius victor, praecipua sit benignitate complexus, horumque servitio et curationi se totum suosque addixerit ac manciparit. Nec minore voluit alumnos suos fraterna inter se caritate diligere; quare franciscalis familia, quasi quaedam « caritatis nobilis structura surrexit, in qua vivi lapides, ex omnibus mundi partibus coacervati, aedificati sunt in habitaculum Spiritus Sancti » (6).

Et multum

Libuit, Venerabiles Fratres, in hac quasi contemplatione

(1) *Leg.* Trium Sociorum, n. 33 et seqq.
(2) Th. a Cel., *Leg.* II, n. 129.
(3) *Leg.* I, n. 55.
(4) *Leg. mai.*, c. 9, n. 1.
(5) *Leg.* Trium Sociorum, n. 21.
(6) Th. a Cel., *Leg.* I, n. 38 et seqq.

differunt ab ea specie quam quidam effinxerunt.

altissimarum virtutum aliquanto morari diutius, quia, per haec quidem tempora, plurimi, quos laicismi pestis infecit, heroas nostros germana sanctitatis luce ac gloria exuere consueverunt, ut eos ad naturalem quandam praestantiam inanisque cuiusdam professionem religiositatis deprimendo, tamquam de disciplinarum optimarumque artium processu, de beneficentiae institutis, de patria sua, de universo hominum genere praeclare meritos dumtaxat praedicent atque extollant. Ac mirari nunquam desinimus, quidnam talis Francisci, quem dimidiatum atque adeo simulatum dixeris, admiratio recentioribus eius amatoribus profutura sit, quotquot aut divitias lautitiasque aucupantur aut compita urbium, choreas, spectacula munduli ac concinni celebrant aut in voluptatum caeno volutantur aut Christi Ecclesiaeque disciplinam ignorant, reiciunt. Huc illud quadrat aptissime: « Quem delectat sancti alicuius meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium. Quare aut imitari debet, si laudat; aut laudare non debet si imitari detrectat; et qui sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitae sanctitate reddatur » (1).

Quomodo ad ministerium suum exercendum vocatur.

Itaque ad aequalium suorum emendationem et salutem inque universae Ecclesiae praesidium eo, quod diximus, munitus robore virtutum, Franciscus auspicato vocatur. Ad Aedem Damiani, ubi per suspiria ac gemitus orare solitus erat, vocem ipse ter e caelo demissam audierat: I, Francisce, labentem refice domum meam (2). Arcanam rei significationem cum nequaquam intellexisset, utpote qui tam demisso esset animo et sese ad maxima quaeque minus putaret idoneum, miserentissimum tamen Domini consilium ex oblata sibi divinitus specie Francisci inclinatum Lateranense templum humeris suis sustinentis clarius Innocentius III coniciendo perspexit. Seraphicus igitur vir, duplici condito Ordine, altero hominibus, altero mulieribus ad evangelii perfectionem evehendis, italicas urbes concursando celeriter, per se ipsemet et per discipulos initio cooptatos, brevi sane at fervidissimo quodam dicendi genere, paenitentiam populis nuntiare ac praedicare aggressus est; quo in ministerio incredibiliter verbo et exemplo profecit. Francisco enim, quacumque, apostolici muneris gratia, peregrinabatur, obviam clerus populusque effundi — pompa inter aeris sacri tinnitus et communes cantus instituta — ramos olivarum ventilantes; stipare ipsum omnes cuiusvis aetatis, sexus atque ordinis, et domum, ubi moraretur, interdiu noctuque circumsae-

Fundatio duplicis Ordinis.

(1) Brev. Rom. d. 7 Nov.: lect. IV.
(2) S. Bonav., *Leg. mai.*, c. 2.

pire, ut exeuntem adspicere, tangere, alloqui, audire liceret; nullus contionanti resistere, ne ii quidem quorum vitia et flagitia perpetuo usu consenuerant. Factum inde est, ut, cum plurimi, vel constantis aetatis, gregatim, evangelicae cupiditate vitae terrena omnia abdicarent, tum Italiae populi se ad bonam frugem omnino reciperent et Francisco in disciplinam se traderent; immo eius subole in immensum aucta, tantus ubique ad eum sectandum animorum excitatus est ardor, ut parantes vulgo viros et feminas vel a coniugio domesticoque convictu recedere ipse ab consilio saeculi repudiandi Seraphicus Patriarcha avertere atque abducere saepe cogeretur. Interea illud praecipue novis paenitentiae nuntiis propositum deliberatumque erat, inter singulos, familias, civitates, regiones, perpetuis quassatas cruentatasque discidiis, redintegrare pacem; atque rudium illorum hominum eloquentiae humana maiori adscribendum, si Assisii, si Arretii, si Bononiae atque in aliis urbibus oppidisque satis multis plenae animorum concordiae, sollemnibus interdum initis pactis conventis, efficaciter consultum est. Ad communem autem pacificationem emendationemque plurimum Ordo Tertius contulit, religiosus quidem Ordo at, novo ad eos dies exemplo, nulla votorum religione adstrictus, cuius erat cum divinae servandae legis, tum christianae perfectionis assequendae hominibus mulieribusque in saeculo viventibus offerre ac dare omnibus facultatem. Legis novo sodalicio constitutae haec potissimum capita. Ne adsciscerentur nisi qui fidem catholicam tenerent Ecclesiaeque cum summo parerent obsequio; quomodo sodales ex utroque sexu in Ordinem ingrederentur et, tirocinio ad annum exacto, vir tamen de uxoris consensu, uxor assentiente viro, Regulam sponderent; de vestibus adhibendis honestati paupertatique consentaneis deque muliebri cultu moderando; ne tertiarii inhonesta convivia vel spectacula, ne choreas participarent; de abstinentia et ieiunio; de culpis ter in anno expiandis et sacra synaxi totidem suscipienda, reconciliatis inter se animis atque alienis rebus domino redditis; ne arma, nisi ad Romanae Ecclesiae, fidei christianae patriaeque cuiusque suae tuitionem aut suorum concessu ministrorum, Tertiarii ferrent; de horis canonicis aliisve precibus persolvendis; de testamento intra tres ab inito Ordine menses legitime faciundo; ut turbatam sodales pacem inter se cum externisque prompte reconciliarent; quid ipsis agendum, si quando sua iura vel privilegia oppugnari aut violari contingeret; sollemne iusiurandum ne unquam interponerent, nisi necessitate imminente, quam Apostolica Se-

Fundatio tertii Ordinis.

des excepisset. Huc praeterea accedebant alia haud minoris momenti: de audiendo sacro deque coetibus stato quoque tempore habendis; de stipe a singulis, pro suis cuiusque viribus, conferenda in subsidium tenuiorum, praesertim aegrotantium, et in iusta funebria sodalium; quomodo alteri alteros aut aegra valetudine affectos inviserent aut peccantes contumacesque corriperent atque emendarent; ne quis officia ac ministeria sibi commissa recusaret vel neglegenter impleret; de litibus dirimendis. Quo in genere ideo singula persecuti sumus, ut appareat, Franciscum, et invicto suo suorumque apostolatu et Tertii Ordinis instituto novae, idest ad evangelii formam penitus immutatae, societatis fundamenta iecisse. Mittamus, etsi praecipua, quae in eiusmodi lege ad liturgiam spiritualemque animi cultum pertinebant; ex ceteris praescriptis nemo non videt eam coalescere debuisse privatae communisque vitae ordinationem, quae non modo ex civili consortione fraternum quoddam foedus, sanctimoniae officiis copulatum, efficeret, sed etiam ius miserorum atque impotentium contra divites potentesque, nullo ordinis iustitiaeque detrimento, tueretur. Tertiariis enim cum clero consociatis, sequi auspicato oportuit, ut, quibus hic vacationibus atque immunitatibus frueretur, easdem novi sodales nanciscerentur. Itaque iam tum Tertiarii nec sollemne vassallitii, ut aiunt, iusiurandum iurarunt, nec, ad militiam bellumve inferendum convocati, arma ceperunt, cum obiectae legi feudali, quam vocant, ipsi ex adverso Tertii Ordinis legem, obiectae vero condicioni servili quaesitam sibi libertatem opponerent. Ab iis interim magna affecti molestia, quorum in pristinum res revocari ac restitui vehementer interesset, patronis defensoribusque usi sunt Honorio III et Gregorio IX, qui vel poenis severe latis, hostiles conatus fregerunt. Quamobrem saluberrima rerum conversio in societate hominum excitari; in christianas nationes novum Francisci Patris legiferi institutum, inducta cum paenitentiae studio morum innocentia, late propagari et increbrescere; nec solum Pontifices, Cardinales, Episcopi, sed ipsi reges et dynastae, quorum nonnulli sanctitatis gloria floruerunt, Tertii Ordinis insignia inflammatis suscipere animis et evangelicam sapientiam cum franciscali spiritu imbibere; lectissimarum laus decusque virtutum in civitate reviviscere; demum « facies terrae » renovari.

Apostolatus apud infideles.

Enimvero Franciscus « vir catholicus et totus apostolicus », quemadmodum fidelium emendationi mirifice prospexit, sic ethnicis ad Christi fidem legemque deducendis et dedit ipse operam et dari a suis laboriosissimam iussit. Non est profecto

cur rem multis commemoremus notissimam, scilicet nostrum, ut erat proferendi evangelii martyriique faciundi cupidus, cum aliquot discipulis in Aegyptum traiecisse et coram Sultano animose audacterque stetisse. Quot autem, Minorum initio atque, ut ita dicamus, primo vere, in Syria et in Mauritania caesi sint missionales, nonne in Ecclesiae fastis honorificentissime inscriptum ? Quem quidem apostolatum ita multiplex Francisci suboles, decursu aetatum, vel profuso late sanguine, perrexit, ut, Romanorum Pontificum venia, plurimas ii sibi habeant ethnicorum regiones ad excolendum concreditas.

Gloria quae ei obtingit.

Nullus propterea miretur, praeterito hoc septingentorum annorum spatio, memoriam tantae ab homine vis beneficiorum profectae nec unquam deleri nec usquam oblitterari potuisse. Immo ipsius vitam atque operam, caelesti potius quam humano, ut Aligherius scripsit, canendam praeconio, altera videtur aetas alterius aetatis admirationi et venerationi sic proponere ac commendare, ut is non modo ob insignem sanctitatis laudem in luce catholici orbis sit collocatus, verum etiam civili quodam cultu gloriaque splendescat, Assisii nomine ubique gentium pervagatissimo. In Seraphici enim Patris honorem, haud multo post quam obierat, populorum scitu aedes sacrae passim excitatae sunt, lineamentis operumque ornatu mirabiles; certavere quidem artifices summi, quis eorum aptius pulcriusque Francisci imaginem eiusque res gestas pingendo vel sculpendo, caelando vel tessellando referret; ad S. Mariae Angelorum, ea in planitie, unde Franciscus « pauper et humilis, caelum dives » ingressus est, itemque ad gloriosum in clivo Assisiensi sepulcrum, ut tanti viri memoriam, cum spirituali beneficio, recolant et perennia artis monumenta suspiciant, advenae, singulatim gregatimve, undique conveniunt ac confluunt. Assisiensem praeterea cecinit, ut vidimus, laudator nulli comparandus, Dantes Aligherius, nec defuere postea qui hominem, italicas peregrinasve nobilitando litteras, efferrent. At nostra potissimum aetate, franciscalibus rebus per eruditos homines subtilius investigatis, scriptis editis vario sermone quamplurimis et ad opera atque artificia non parvi momenti excitatis peritorum ingeniis ingens, quamquam haud recta semper, Francisci admiratio plerosque recentiorum incessit. Intueri enim alii hominem ad sensus animi poetice exprimendos nativa ingenii celeritate inclinatum, cuius Cantico illo, vetustissimo nascentis patrii sermonis specimine, erudita posteritas delectatur; alii quidem talem mirari naturae amatorem, qui non modo rerum inanimarum maiestate, astrorum fulgore,

Umbriae montium valliumque amoenitatibus, animalium pulchritudine suavissime afficeretur, sed etiam, veluti innocens Adam in paradiso terrestri constitutus, animantia, quibuscum quasi quadam fraternitate copulari sibi videbatur, alloquendo suis faceret mandatis obsequentissima; in eo alii patriam dilaudare caritatem, quod Italiam nostram, felicitate ortus sui honestatam, ampliore, quam ullam e nationibus ceteris, beneficiorum copia locupletarit; alii denique eum praedicare cum omnibus hominibus singulari prorsus amoris communione coniunctum. Vera ista quidem, at minora, at probe intellegenda: quae qui aut praecipue ante oculos proposita habeat aut ad suae excusationem mollitudinis, ad sua opinionum commenta vel ad sua studia fulcienda detorqueat, iam is vera Francisci lineamenta corrumpat. Etenim ex illa, quam attigimus delibavimusque, heroicarum universitate virtutum, ex illa vitae austeritate et paenitentiae praedicatione, ex multiplici illa operosaque emendandae societatis actione, integer Franciscus, christiano populo non tam admirandus quam imitandus, exsistit; qui, cum esset Praeco magni Regis, eo spectavit ut homines ad evangelicam sanctitatem et crucis amorem conformaret, minime vero ut florum et avium et agnorum et piscium et leporum tantummodo cupitores et amantes efficeret. Quodsi in res creatas ipse teneriore quodam amore ferri videtur easque « quantumlibet parvas fratris vel sororis » appellat « nominibus » — qui quidem amor, modo ne ordinem excedat, nulla lege reprobatur — haud alia de causa, quam sua in Deum caritate, ad res ipsas diligendas permovetur, quas « sciebat... unum secum habere principium » (1) et in quibus Dei bonitatem cernebat; nam « per impressa rebus vestigia insequitur ubique dilectum, facit sibi de omnibus scalam, qua perveniatur ad solium » (2). Ad cetera quod attinet, quidnam Italos prohibet quominus de Italo glorientur, qui « Patriae lux » (3) in ipsa ecclesiastica liturgia appellatur? Quidnam viros plebis studiosos impedit, quominus Francisci praedicent caritatem, ad universos homines, pauperiores potissimum, pertinentem? At alteri caveant ne, immoderato suae amore gentis abrepti, ardentis eiusmodi, quo nationem prosequuntur, studii quasi indicem ac signum « virum catholicum » deminuendo iactent; alteri, ne praecursorem ac patronum errorum confin-

(1) S. Bon., *Leg. mai.*, c. 8, n. 6.
(2) Th. a Cel., *Leg.* II, n. 165.
(3) *Brev. Fr. Minorum*.

gant, unde tam procul aberat quam qui maxime. Ii, alioquin, omnes, qui minoribus hisce Assisiensis laudibus, non sine aliquo pietatis sensu, delectantur et saecularia sollemnia provehere amanter contendunt, utinam, quemadmodum sunt Nostro digni praeconio, ita ex hac ipsa eventi faustitate ad germanam maximi huius Christi imitatoris imaginem subtilius dispiciendam atque ad aemulanda charismata meliora plurimum capiant incitamenti.

Fructus ex hac commemoratione colligendi ab omnibus fidelibus;

Ex hoc interea, Venerabiles Fratres, praeclara incidit Nobis iucunditatis causa, quod concordi bonorum omnium conspiratione ad agendam beatissimi Patriarchae memoriam, per annum septies ab obitu centesimum, sacra ac civilia apparantur ubique terrarum sollemnia, at in iis potissimum regionibus, quas sua is vivens praesentia et luce sanctitatis et miraculorum gloria nobilitavit; qua in re praeire vos clero ac gregi cuiusque vestro multo iucundius conspicimus. Animo autem Nostro, immo oculis paene Nostris creberrimae iam nunc obversantur peregrinorum multitudines, qui aut Assisium et proxima per viridem Umbriam sanctuaria aut praerupta Alverniae iuga aut sacros clivos in Reatinam vallem spectantes adituri ac celebraturi sunt; quorum ex pia salutatione locorum, ubi spirare adhuc Franciscus videtur virtutesque ad imitandum exhibere suas, fieri non potest quin ii domum franciscali plenius imbuti spiritu redeant. Etenim — ut Leonis XIII verba usurpemus — « ita de honoribus, qui beato Francisco properantur, statuendum, tunc maxime futuros ei, cui deferuntur, gratos, si fuerint iis ipsis, qui deferant, fructuosi. In hoc autem positus est fructus solidus minimeque caducus, ut cuius excellentem virtutem homines admirantur, similitudinem eius aliquam adripiant fierique studeant ipsius imitatione meliores » (1). Forte dicat quispiam, alterum societati christianae reparandae Franciscum in terris hodie exsistere oportere. Verumtamen fac, renovato animorum studio, homines Francisco illo uti pietatis sanctimoniaeque magistro; fac, ipsos quae is reliquit exempla, cum esset « virtutis speculum, recti via, regula morum » (2), imitari atque in se referre universos; nonne id satis haberet vis atque efficientiae ad sanandam exsecandamque horum temporum vitiositatem?

a religiosis primi Ordinis;

In primis igitur insignem Patris sui Legiferi similitudinem prae se ferant oportet frequentissimi e tribus Ordinibus filii:

(1) Enc. *Auspicato* 17 Sept. 1882.
(2) *Brev. Fr. Minorum.*

quibus in Ordinibus « institutis... per orbis latitudinem » — ut Gregorius IX ad beatam Agnetem regis Bohemiae filiam scribebat — « per dies singulos cunctipotens redditur multipliciter gloriosus » (1). Atque religiosis e Primo Ordine viris, quicumque franciscali demum nomine censentur, cum gratulemur vehementer, quod e vexationibus spoliationibusque indignissimis, quasi aurum ad obrussam exactum, ad pristinum splendorem magis in dies revirescunt, tum ex animo cupimus, ut, paenitentiae humilitatisque suae exemplo, in tam late diffusam concupiscentiam carnis superbiamque vitae altius quasi expostulent. Ipsorum esto ad evangelica vivendi praecepta proximos revocare; quod minus difficile impetrabunt, si sanctissimam illam ad unguem servaverint Regulam, quam Conditor « librum vitae, spem salutis, medullam evangelii, viam perfectionis, clavem paradisi, pactum aeterni foederis » (2) vocabat. Seraphicus vero Patriarcha mysticam, quam suis ipse manibus consevit, vineam respicere et fortunare e caelo ne desinat, et multiplicem quidem propaginem sic fraternae humore ac suco caritatis alat ac roboret, ut facti omnes « cor unum atque anima una » in christianae familiae renovationem studiosissime incumbant.

a Virginibus secundi Ordinis;

Virgines autem sacrae e Secundo Ordine, « vitae angelicae quae per Claram inclaruit » participes, quasi lilia in dominici horti areolis consita, et olere optime et niveo animarum candore placere Deo pergant. Quibus utique deprecatricibus contingat, ut ad Christi Domini clementiam rei multo plures confugiant, et gaudia Ecclesiae Matris ob restitutos in divinam gratiam aeternaeque spem salutis filios mirifice augeantur.

a Tertiariis, sive regularibus, sive saecularibus,

Tertiarios denique, sive in regulares familias coiverint sive in saeculo degant, appellamus, ut spiritualia christiani populi incrementa apostolatu quoque suo maturare studeant. Qui quidem apostolatus si dignos initio fecit, quos Gregorius IX milites Christi et Machabaeos alteros nuncuparet, at potest hodie haud minoris ad communem salutem momenti exsistere, modo ipsi, ut per totum terrarum orbem percrebruere numero, sic, forma Francisci Patris induti, morum praeferant innocentiam atque integritatem. Quod autem decessores Nostri Leo XIII per Litteras *Auspicato* et Benedictus XV per Epistolam *Sacra propediem* sibi vehementer placiturum universis catholici orbis Episcopis significarunt, id ipsum a pastorali omnium

quibus quam plurimi se adiungant.

(1) Ep. *De Conditoris omnium* 9 Maii 1238.
(2) Th. a Cel., *Leg.* II, 208.

vestrum studio, Venerabiles Fratres, Nobismet pollicemur: fore scilicet, ut Tertium franciscalem Ordinem quoquo pacto foveatis, gregem edocendo — aut per vos ipsi aut per sacerdotes ad ministerium verbi excultos atque aptos — quo is saecularium hominum mulierumque Ordo pertineat, quanti aestimandus, quam expeditus ad Sodalitatem aditus facilisque legum observatio sanctissimarum, qua veniae et privilegiorum copia Tertiarii fruantur, quantum denique e Tertio Ordine in singulos atque in communitatem recidat utilitatis. Qui nondum dederint, dent praeclarae eiusmodi militiae, vobis suasoribus, hoc anno nomen; quibus adhuc dare per aetatem non licet ii chordigeros candidatos se scribant, ut vel pueri sanctae huic disciplinae assuescant.

Sit annus hic in Ecclesiae historia perpetuo memorabilis.

Quandoquidem vero, oblatis tam crebro salutaribus ad celebrandum eventis videtur benigne Deus velle, ut Pontificatus ne praetereat Noster nisi partis catholico nomini laetissimis fructibus, saecularia haec Francisci sollemnia, qui *in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum* (1), apparari periucunde cernimus, eoque libentius, quod eum ab aetatis flore summa Patronum religione coluimus atque in ipsius filiis, pie insignibus Tertii Ordinis acceptis, numerati olim sumus. Hoc igitur anno, ab obitu Seraphici Patris septingentesimo, talibus affluat catholicus orbis, talibus gens nostra, Francisco deprecatore, beneficiis, ut idem sit annus in Ecclesiae historia perpetuo memorabilis.

Conceditur apostolica benedictio.

Caelestium interea munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro peramanter in Domino impertimus.

Dies (30 apr. 1926).

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XXX mensis Aprilis anno MCMXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XI.

(1) Eccli., L, 1.

24. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Oratio 15 maii 1926.

DE RE SOCIALI

Dominica 15 maii, cum SS. Dns. benigne exciperet socios qui convenerant apud « Giunta centrale dell'Azione cattolica » (Comitatus Centralis Actionis Catholicae) ad commemorandas Encyclicas Litteras « Rerum Novarum », orationem habuit cuius pars socialis memorabilia documenta continet. Quare eam hoc loco italice exscribendam et latine vertendam existimavimus. Observamus tamen italicum textum quem in latinum convertimus a nobis assumptum esse ab ephemeride « Osservatore Romano » 16-17 maii, quae eandem « ex auditu » retulit. Desideratur igitur lectio authentica.

Il Santo Padre (1) *soggiunse di ritenere per certo che i suoi ascoltatori non si aspettavano da Lui, dopo questa rievocazione della figura del Pontefice della* Rerum Novarum, *una commemorazione vera e propria della* Rerum Novarum *stessa, perchè altro non avrebbe potuto essere se non una ripetizione che essi già avevano fatto in questi giorni riunendosi per ascoltare, plaudire, discutere nella nobile risoluzione adottata di continuare a fare essi stessi tale commemorazione, mettendo in pratica gli accorgimenti, le industrie, le deliberazioni che si svolgono a dare piena e vera efficienza ai principii nell' Enciclica contenuti, in armonia con le mutate condizioni, coi rivolgimenti di cose e di Istituti che il mutare dei tempi necessariamente con sè mena e travolge. Co-*

(1) SS. Dominus subiunxit se pro certo habere ab auditoribus suis minime exspectari ut post sic evocatam personam Pontificis « Rerum Novarum », Ipse easdem Encyclicas Litteras vere et proprie commemoraret, quia huiusmodi commemoratio non potuisset nisi iterato facere quod ipsi his diebus praestiterant in suo conventu, congregato ut audirent, plauderent, disputarent, ex nobili probato proposito pergendi facere istam commemorationem, usu prosequentes observationes, industrias, deliberationes quae evolvuntur ut plenam veramque efficaciam obtinerent principia quae in Encyclicis Litteris continentur, attentendo ad mutata adiuncta, ad vices rerum et institutionum, quas temporum mutatio secum necessario adducit et trahit. Ceterum qui ipsi astabant iam noverant quales esse debuissent applicationes, attemperationes ad

loro che l'ascoltavano sapevano già del resto quali avrebbero dovuto essere le applicazioni, gli adattamenti della ormai antica ma non mai vecchia Enciclica alle nuove cose; e questo precisamente dovrà essere la più complessa, elevata, vigile, attenta opera dell'« Istituto Cattolico di attività sociale » con i suoi studi e l'assistenza con cui dovrà seguire passo passo lo svolgersi e il complicarsi delle cose, degli avvenimenti e delle Istituzioni sociali.

Ma pure il Santo Padre qualche cosa sentiva in coscienza di dover dire a quei cari figli che erano accorsi là in attesa di qualche sua parola nella loro qualità di Dirigenti dell'Azione Cattolica. E perciò avrebbe detto loro in tutta confidenza quello che il Signore Gli aveva ispirato allorchè inginocchiato davanti a Lui aveva ripetuto per quella circostanza la bella preghiera di San Tommaso: Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam. *Ed anche quella volta aveva esperimentata la dolcissima consolazione di sentire che Iddio era con Lui nella enormità del peso che la Provvidenza Divina aveva addossato sulle sue spalle e con Lui era pure l'aiuto delle preghiere di tutti i figli della Chiesa come quando fin dai primi tempi* Ecclesia orabat pro Petro. *Il Signore pertando Gli aveva ispirato di raccomandare a quei buoni figli alcuni riflessi che sembravano particolarmente adattati al presente compito dell'Azione Cattolica.*

Il primo riflesso è intorno alla mutabilità delle cose umane, e non solo delle piccole ma ancora delle grandi, non solo di quelle che sono circostanze contingenti della vita sociale ma anche

---

res novas iam antiquae sed nunquam antiquatae Encyclicae; atque huc definite pertinebit magis complexa, alta, vigilans, attenta opera « Instituti Catholici Actionis Socialis », quae studiis suis suaque assistentia pedetentim observare debebit quomodo evolvantur et intrincentur res, eventa et institutiones sociales.

Nihilominus SS. Pater conscius erat officii dicendi quaedam dilectis filiis qui illuc concurrerant sperantes fore ut nonnulla Pontificia verba ad ipsos qua Rectores Actionis Catholicae dirigerentur. Ideo ipsis plane confidenter dicturus erat quae Dominus Ipsi suggesserat quando, genuflexus coram Domino, repetiverat pulchram orationem S. Thomae: « Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam ». Atque etiam hac vice expertus erat dulcissimum solacium sentiendi Deum Sibi adesse in immanitate ponderis Suis humeris impositi; Sibi adesse quoque subsidium orationum omnium filiorum Ecclesiae; sicut a primordiis, « Ecclesia orabat pro Petro ». Itaque Dominus Ipsum moverat ut bonis istis filiis commendaret quasdam « reflexiones », quae peculiariter aptatae videbantur ad praesentem Catholicae Actionis provinciam.

Prima « reflexio » respiciebat mobilitatem rerum hamanarum, non minorum tantum, sed etiam maiorum, non solum contingentium adiunctorum vitae socialis, sed etiam earum quae ipsam substantiam rerum attingere vi-

di quelle che sembrano toccare alla sostanza stessa delle cose e che non siamo soliti concepire se non come immutabili. C'è invero una mutabilità alla quale nessuna cosa può sottrarsi, perchè è questa propriamente l'essenza delle cose create ; esse non hanno in sè la ragione del proprio essere. Così avviene che anche per le più grandi cose, per le più vicine alla sostanza di certi Istituti, la mutabilità sia possibile, sia talora inevitabile, sia anzi il fatto ordinario, specialmente se non ci fermiamo alla considerazione dei singoli fatti, ma ci estendiamo alle grandi considerazioni della storia, del cammino percorso dall' umanità.

Il fatto è che proprio in quegli elementi sociali che sembrano fondamentali e più esenti da mutazioni come la proprietà, il lavoro, il capitale, una moltitudine di cambiamenti, di attribuzioni, di rapporti, non solo è possibile, ma è reale, è il fatto compiuto. Basta guardare attraverso la storia. Certo rimane sempre fondamento immutabile il comandamento di Dio : « non rubare » e oltre quello non v'è che la violazione del divino precetto. Ma quante diverse forme concrete ha avuto la proprietà, dalla prima forma dei popoli selvaggi, della quale ancora ai dì nostri si puó avere una certa esperienza, a quella della proprietà nei tempi e nelle forme patriarcali, e poi via via nelle diverse forme tirannicbe (diciamo nel significato classico della parola), poi attraverso le forme feudali, poi in quelle monarchiche e in tutte le forme susseguenti dell'età moderna. Quanti diversi atteggiamenti nei riguardi non solo delle grandi collettività, ma anche della famiglia e degli individui ! Così il lavoro. Dal lavoro primitivo dell' uomo che foggiava le selci nell'età della pietra, alle grandi organiz-

---

dentur et quae non aliter atque immobilia a nobis concipi consueverunt. Re vera tamen res nulla mutationem quandam effugere potest, cum hoc ad essentiam rerum creatarum proprie pertineat ; rationem enim cur sint in se non continent. Ita evenit ut etiam res maximae et quas quibusdam Institutis dixeris propemodum essentiales, mutari possint, mutationem interdum declinare nequeant, immo mutari consueverint, praesertim si ultra singula facta prospicientes ad ampliores considerationes historicas, ad itinera generis humani extendamus intuitum nostrum.

Re vera praecise in istis elementis socialibus quae videntur fundamentalia et magis exempta mutatione : in proprietate, in labore, in capitali, multae mutationes, attributiones, relationes non solum possibiles sunt, sed advenerunt, sed facto completae sunt. Satis est perspectam habere historiam. Profecto semper stat fundamentum hoc immobile quod est praeceptum divinum « non furaberis » ac, praeter hoc, non habetur nisi violatio divini praecepti. Verum quam multas formas concretas induit dominium proprietatis, ab initiali gentium barbararum quae se adhuc nostris diebus aliquo modo spectandam praebet, ad proprietatem temporum et formarum patrarchialium, atque ita porro ad varias formas tyrannicas (quam vocem usu classico usurpamus), dein per

zazioni del lavoro di oggi, quanti passaggi, quante ascensioni, quante complicazioni, quante diversità! Senza risalire agli esempi troppo lontani delle belle, buone, mirabili corporazioni medievali, basta pensare a quelle colossali organizzazioni del lavoro che i tedeschi chiamano Riesenindustrien, *« ordinamenti giganti » dell'industria moderna, basta pensare a quei cosidetti re del ferro, dell'acciaio, del carbone, dei quali abbiamo Noi stessi qui veduto qualcuno, e che nelle loro industrie reggimentano fino a 15 e 30 e 60 mila operai. Che enorme differenza!*

È dunque necessario tenerne conto e prepararsi con illuminata preveggenza e con piena rassegnazione a questa mutabilità delle cose e delle umane istituzioni, certo non tutte perfette, anzi necessariamente imperfette e suscettibili di cambiamenti i quali saranno felici o infelici secondo che riusciranno fatti o no alla luce di cui si deve ricercare l'aiuto.

Ma da un'altra parte viene un altro riflesso pieno di consolazioni. E ce lo ripeterà la Chiesa in due sue meravigliose prerogative: la prerogativa di una fermezza, di una immutabilità, di una inalterabilità, che formò sempre la disperazione di quelli che si vollero porre contro di Lei, e la formerà sempre, perchè ci sono delle linee tracciate dalla mano di Dio, nelle quali la Chiesa non ha davvero bisogno di fare grande sforzo per levare la voce a dire « di qui non si passa », ed insieme con tale immutabilità, anche altrettanta adattabilità, disperazione anche questa dei ne-

---

formas feudales, postea ad formas monarchicas, atque omnes deinceps formas aetatis modernae. Quam multi diversi modi se habendi, non solum in societatibus amplioribus, verum etiam in familia et singulis personis! A primaeva saxorum elaboratione in aetate quae « petrina » vocatur ad magnas hodierni laboris ordinationes, quam multi transitus, quam multae ascensiones, quam multae implicationes, quam multae diversitates! Etiam non memoria repetendo nimis remota a nobis pulchra, bona, mirabilia collegia medii aevi, satis est meminisse enormium istarum ordinationum laboris quas Germani appellant « Riesenindustrien », « ordinationes giganticae » modernae artis: satis est meminisse sic dictorum regum ferri, chlabydis, carbonis, quorum aliquem Nos ipsi vidimus, et qui in ipsorum officinis regunt usque ad 15,30,60 millia operariorum. Quam immensum discrimen!

Necesse igitur est rationem varietatum habere, et cum illuminata praevisione et completa resignatione se disponere ad istam mobilitatem rerum et humanarum institutionum, quae profecto non sunt cunctae perfectae, immo necessario imperfectae et obnoxiae mutationibus quae erunt felices vel infelices, prout factae erunt vel non erunt sub luce cuius susidium quaerendum est.

Verum ab altera parte subintrat alia cogitatio solaciis plena, quam Ecclesia e duobus mirabilibus suis privilegiis repetet: privilegio firmitatis, immobilitatis, incorruptionis, quod eius impugnatores semper ad desperationem movit ac semper movebit, quia divina manu constituti sunt fines intra quos Ecclesia sine magno conatu vocem attollere potest ad dicendum: « hac via

mici della Chiesa che molte volte credettero di metterla contro il muro perchè non si movesse e dovettero sempre riconoscere che essa aveva pur trovato il modo di muoversi; onde la possibilità di adattamento a tutte le circostanze dalle quali possa ricavarsi quel bene delle anime che della Chiesa è il fine supremo e per il quale essa deve sempre tener conto di quello che può essere e di quello che è. È questo anzi uno dei miracoli della Sua divina costituzione. Riesce quindi consolantissimo vedere come fin dai primi tempi Essa seppe profittare degli istituti sociali che erano a sua portata. Per quanto essi allora si svolgessero nel pieno paganesimo della Roma corrotta e corrompitrice, la Chiesa trovò la sua strada, profittando delle società funerarie, popinarie e simili, quelle che in certo modo corrispondono alle corporazioni di oggi; perchè nulla v'è nel presente interamente nuovo, nulla nel passato interamente perduto. Così si spiega la Storia della Chiesa. Essa, che è « del Sangue incorruttibile » conservatrice eterna, come la disse il poeta in occasione della festività che ora si avvicina, passa attraverso a tutte le differenze dei tempi, esercitando l'azione sua multiforme secondo la diversità delle circostanze, unicamente intenta alla sua mèta ultima, quella di avvicinare le anime a Dio. Tali sono le grandi voci della Storia della Chiesa.

Ed allora un altro riflesso sopravviene. L'Azione Cattolica che della Chiesa deve essere collaboratrice nell'opera sua massima, l'opera dell'Apostolato, non può avere migliore sorte nè più felici condizioni di quelle della Chiesa stessa. Il che vuol

---

non transitur »; deinde cum huiusmodi immobilitate coniuncta non minore aptationis facultate, quae etiam causa est desperandi inimicis Ecclesiae: hi non raro existimarunt se eam ad parietem adegisse ut non se moveret, et semper fateri debuerunt copiam se movendi ab ea fuisse adinventam. Itaque se accommodare potest ad omnia adiuncta e quibus hauriri queat istud animarum bonum quod est supremus Ecclesiae finis, propter quem Ipsa semper perpendendum habet quid Ipsa esse possit, et quid sit. Immo, en exemplar miraculorum suae divinae constitutionis. Quare solatio plenum est videre quomodo a suis primis exordiis Ipsa noverit uti institutis socialibus quae Ipsi ad manum erant. Etsi tunc in medio paganismo corruptae et corruptricis Romanae Urbis sese explicabant, Ecclesia viam suam repperit, utendo societatibus funerariis, popinariis et similibus, quae hodiernis collegiis aliquomodo respondent; nihil enim prorsus novum exstat in praesenti, nihil prorsus amissum in praeterito. Haec est explicatio historiae Ecclesiae. Aeterna servatrix « incorrupti Sanguinis », ut eam appellat poeta per occasionem prope instantis festi, transit per omnia tempora, multiformem suam actionem secundum adiunctorum varietatem exercendo, unice intenta suo ultimo fini, i. e. efficiendi ut animae proprius ad Deum accedant. Hae sunt magnae voces Historiae Ecclesiae.

Et tunc mentem subit altera cogitatio. Actio catholica, quae collaboratrix esse debet Ecclesiae in maximo suo opere, quod est Apostolatus, meliorem sortem vel feliciores condiciones quam ipsa Ecclesia habere nequit. Quare

dire che l'Azione Cattolica deve guardare sempre alla Chiesa, alle sue dottrine, alle sue direttive. Essa non dovrà mai perdere di vista l'ideale più perfetto e completo del bene; poichè bisogna sempre tendere in alto e sempre più in alto, non già per toccare le supreme altezze alle quali non ci sarà mai dato di arrivare, ma per non restarne troppo al disotto, per raggiungere almeno le altezze raggiungibili. Sempre più elevato e più nobile deve essere il suo sforzo e la sua mira; ma poi deve essa rassegnarsi a svolgere la sua azione nel campo concesso alle possibilità che realmente le vengono date, secondo i disegni della Provvidenza divina. Tendere alla perfezione e fare quello che è possibile per raggiungerla: ecco tutto il programma che si può pretendere dalle umane forze. E quando Iddio vuole qualche cosa di più, allora fa da sè, allora dà le grazie e gli aiuti straordinari; allora opera nelle vicende degli uomini; e la storia cambia il passo, gli avvenimenti umani prendono le forme più imprevedute; l'impossibile di oggi diventa la verità di domani.

E qui un'altra riflessione viene suggerita, e riguarda quelli che nell'Azione Cattolica costituiscono la parte dirigente, le Giunte direttive, la Giunta Centrale specialmente. La rotta nelle grandi linee, il compito di questa direzione non può essere altro se non quello che rientra in quelle vie, in quelle prospettive perfette di

---

semper attendere debet ad Ecclesiam, ad eius doctrinam, ad eius normas directivas. Nunquam oblivisci poterit exemplar magis perfectum et completum bonitatis; quoniam semper tendendum est in altum, semperque magis in altum, non ut attingantur supremae excellentiae ad quas nunquam nobis dabitur ut perveniamus, sed ad non haerendum nimis infra, ad attingendas saltem altitudines accessibiles. Semper altitudine et nobilitate crescere debet eius conatus eiusque scopus; subinde tamen resignato animo suam actionem explicare debet in campo concesso, qui revera ut possibilis ei concessus est secundum consilia Providentiae divinae. Ad perfectionem contendere et facere quod fieri potest ad eam assequendam, en quidquid ab humanis viribus exigi potest. Si autem Deus quidquam ultra voluerit, tunc Ipse per se aget, tunc confert gratias et auxilia extraordinaria, tunc in vicibus hominum Ipse operatur et historia mutat gressus suos, eventus humani induit formas minus praevisas; quod hodie impossibile erat, evadet verum crastinae diei factum.

Hoc loco, istud alterum insinuatur quod attinet ad eos qui directivas partes constituunt Actionis Catholicae, ad Consilia directiva (le Giunte direttive), praecipue ad Consilium Centrale (la Giunta Centrale). Via maioribus lineis descripta, opus exsequendum ista directione aliud esse nequit praeter istud quod continetur iis viis, iis perfectis prospectibus boni completi et simul iis intentis quae vere possibilia sunt. Quod praecipue cadit in « Giunta Centrale » ubi graviora sponderi debent, ubi difficultates numero crescunt, cum ipsa sit simul la « Giunta delle Giunte » (Consilium Consiliorum), quae omni actioni catholicae normas praestituere debet, sicut sanguis a centralibus impulsibus extrema capillaria pervadit.

bene completo, e insieme rientra in quelle possibilità che di fatto sono reali. E ciò specialmente per la Giunta Centrale, dove le responsabilità pesano maggiormente, dove le difficoltà si moltiplicano, giacchè essa è ancora la Giunta delle Giunte, che a tutta l'Azione Cattolica deve dare le direttive, quasi il sangue che dai centri propulsori va fino agli estremi capillari. Occorre pensare che essa non è una vetta isolata, abbandonata nello spazio e circondata da abissi, come nella orografia se ne conoscono. La Giunta centrale dirige, ma è diretta. È diretta anch'essa perchè è così di tutta l'Azione Cattolica.

Tutta l'Azione Cattolica agisce, deve agire, ma d'accordo, ma sotto la direzione della Giunta Centrale, non potendo altrimenti concepirsi quella cooperazione di apostolato nella quale è la sua gloria, il suo merito, il suo benefizio. E la Giunta Centrale stessa è diretta, è assistita. Essa con tutte le Giunte sono assistite dalla Gerarchia, dalla Santa Sede, dal Papa, e non potrebbe neanche concepirsi fuori di questo quadro semplice e chiaro. Ma a questo punto la consolazione di questi pensieri diventa anche più cara e più preziosa, perchè il Papa dirige, ma è diretto, é assistito Egli stesso. È assistito dal Fondatore stesso della Chiesa, che rimane sempre nella mistica navicella il vero pilota.

Il Santo Padre soggiunse che non potrebbe mai esprimere con sufficienti parole la dolcissima, immensa consolazione della sicurezza e della esperienza di questa assistenza divina della quale sente ogni giorno la felicissima realtà. Gesù può sembrare anche talvolta dormire, ma il Papa sa che Egli è con Lui, e non è necessario che ogni volta il Maestro Gli ripeta Deum vehis,

---

Considerandum est eam non esse cacumen separatum, in spatio derelictum et circumdatum abyssis, quale in orographia cogoscitur. Consilium centrale dirigit; sed est directum. Directum quoque est, quia haec est communis condicio omnis Actionis Catholicae ».

Actio Catholica agit tota, agere debet, sed consentiens Consilio Centrali ab eoque directa, cum aliter concipi nequeat ista cooperatio apostolatus in qua stat eius gloria, eius meritum, eius beneficium. Ipsa « Giunta Centrale » directa est, adiuta est. Ei cum omnibus consiliis assistunt Hierarchia, Sancta Sedes, Papa, ac ne intelligi quidem possit vagans extra ista confinia simplicia et clara. Hic autem cariora et preciosiora fiunt solacia istarum cogitationum, quia Papa dirigit quidem, sed Ipse etiam dirigitur, Ei assistitur. Ei assistit ipse Conditor Ecclesiae qui in mystica navicula semper manet verus gubernator.

Sanctissimus Pater subiungit a Se nunquam sufficientibus verbis reddi posse dulcissimam, immensam consolationem perceptam securitate et experientia istius assistentiae divinae cuius felicissimam veritatem cotidie sentit. Fieri interdum potest ut Iesus videatur dormire, sed Papa novit Ipsum Secum esse; neque opus est ut Magister continuo Ipsi repetat « Deum vehis », sicut

come Cesare al trepidante pilota per incorarlo diceva: Cesarem vehis, *giacchè una volta per sempre ha detto:* Ecce Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. *Una tale suprema dolcissima sicurezza per il Santo Padre, nella moltitudine delle ansie e delle sollecitudini, è resa tanto più sensibile dalla presente felicissima facilità di comunicazione di persone, di cose e di idee, per le quali a Lui è possibile nella stessa mattina ricevere messaggi e richieste dal Giappone, dal Messico, dal Cile, dall'Australia, e sempre per gli interessi di Dio, per il bene delle anime, per tenere il posto nella lotta incessante tra la luce e le tenebre, tra Satana e Dio. Ma il conforto è sempre vicino, Iddio è con Lui. E questo il Papa dice perchè Gli pare davvero che come in tale sicurezza è la Sua più ineffabile consolazione, così debba esservi anche il conforto dei figli suoi in tutte le difficoltà e distrette. Essi possono e debbono sempre pensare che Dio è col Papa, ed allora non avranno nulla da temere. Il mare può essere in tempesta, il corso dei secoli può sconvolgere, distruggere, trascinare sul suo travolgente cammino uomini e cose. Non c'è da temere. Egli è là e non ci sarà neanche bisogno che si svegli per far tornare la calma. Così è stato sempre nella Chiesa, e tutta la sua mutabilità e adattabilità agli eventi umani non è che una conseguenza della divina sicurezza dell' assistenza suprema.*

Il Santo Padre a questo punto conchiude che non Gli resta se non di ricordare come ultima riflessione, la felice necessità di

---

Caesar ad animos addendos trepidanti navarchae dicebat: « Caesarem vehis »; semel enim pro semper affirmavit: « Ecce Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi ». Huiusmodi suprema, dulcissima securitas, quam in multis angustiis et sollicitudinibus experitur magis sensibilis facta est praesenti felicissima facilitate communicationis personarum, rerum et idearum, qua fit ut eodem mane recipere possit nuncia et postulata regionis Iaponicae, Mexicanae, Chilenae et Australiae, idque semper propter Dei causam, propter bonum animarum, ad locum suum tenendum in continua lucta inter lucem et tenebras, inter Satanam et Deum. Sed semper prope adest istud confortans: Deus Secum est. Hoc Papa dicit quia re vera, sicut Ipse ex ista securitate magis ineffabilem consolationem percipit, ita Ipse existimat consistere quoque id quod animos Suorum filiorum roborat in omnibus difficultatibus et angustiis. Semper possunt et debent mente cogitare Deum esse cum Papa, et tunc nihil timendum habebunt. Saeviat procella in mari, saecula evertant, destruant, abripiant secum in suo subruente itinere et cursu homines et res. Non est cur timeatur. Ipse ibi est, neque etiam opus erit ut evigilet ad reducendam quietem. Ita semper fuit in Ecclesia, eiusque mobilitas et accommodatio ad eventa humana non est nisi consectarium divinae securitatis supremae assistentiae.

Hoc loco Sanctus Pater concludit Ipsi nihil aliud restare nisi ut, tanquam postremam « reflexionem », memoret felicem necessitatem completae fiduciae,

intera fiducia, d'illimitata generosità, di ferma disciplina. Che se questa disciplina riesce difficile, se anche talvolta richiede il sacrificio di qualche idea che può sembrare indiscutibile (giacchè in fondo di indiscutibile non c'è che la parola di Dio), la disciplina è sempre un dovere, dovere di sentimento, dovere di pensiero, di mente, di cuore, di opera.

È un dovere, imposto dal desiderio di cooperazione all'apostolato della Chiesa, che è proprio dell'Azione Cattolica e senza il quale tale cooperazione sarebbe impossibile. È un dovere imposto dalla logica e dalla felicissima psicologica necessità di coloro che a questo nobilissimo campo hanno dedicato le attività loro.

Il Santo Padre ben sa che tali sono i sentimenti e i propositi di coloro che si sono adunati in queste sante giornate di commemorazione dellla Rerum Novarum, *e ne è felicemente consolato, perchè essi sono con Lui e a Lui si affidano dividendo la Sua dolcissima sicurezza, che attraverso qualsiasi vicenda e in qualsiasi tempesta, la mistica nave avrà sempre navigato come Iddio vuole e dove la mano di Dio la conduce. Essi fanno ancora una volta tornare la mente del Santo Padre al grande Pontefice della* Rerum Novarum *in un momento in cui Egli diceva con quella sua sonora e voluminosa voce:* Non vi fidate del Papa? *E queste parole Egli ricorda, per quanto non senta la necessità di ripeterle a coloro che sono alla Sua presenza, perchè il solo fatto che essi vi sono venuti dice con quanta attenzione e venerazione attendono alle parole del Vicario di Gesù Cristo e si mettono a Sua dispo-*

---

illimitatae generositatis, fortis disciplinae. Si disciplina ista est difficilis, si postulat interdum sacrificium persuasionis quae videri potest irrefragabilis (quia tandem aliquando non est irrefragabilie nisi verbum divinum), semper tamen manet officium, officium sensus, cogitationis, mentis, cordis, operis.

Officium est impositum propria Actionis Catholicae voluntate cooperandi apostolatui Ecclesiae: secluso isto officio cooperatio ista est impossibilis. Officium est impositum logica ratione et probatissima necessitate psychologica eorum qui nobilissimo isti campo activas suas facultates devoverunt.

Sanctus Pater probe novit talia esse sensus et proposita eorum qui convenerunt in sanctis istis diebus quibus Enc. « Rerum Novarum » commemoratur; atque haec est ipsi felix cosolatio, illos Secum esse, et se Ipsi committere participando dulcissimam Ipsius securitatem, qua persuasum habent fore ut in quolibet eventu et qualibet tempestate, mystica navis semper naviget sicut Deus voluerit et quo manus Dei duxerit. Atque iterum mentem Sancti Patris convertunt ad magnum Pontificem Enc. « Rerum Novarum », quando sonora et ampla voce sua dicebat: « Non confiditis Papae? » Verba ista repetit quamvis necessitatem non sentiat ea repetendi iis qui Ipsi astant; namque ipsa sua praesentia demonstrant qua attentione et veneratione observent verba Vicarii Iesu Christi, et se offerant ut de ipsis disponat. Quod autem noverit Se uti posse talibus viribus, talibus voluntatibus, tam bene dispositis et

sizione. Il sapere di avere a sua disposizione tali forze, tali volontà così ben disposte e generosamente disciplinate rinnova nell'animo del Santo Padre una dolcissima consolazione, una di quelle consolazioni che Gli rendono possibile il compimento del dovere di cui per disposizione divina porta il gran peso: quello di guidare, sentendo vicino alla Sua mano quella stessa di Dio, la nave meravigliosa che conduce attraverso i secoli i tesori della Redenzione, quella nave che innalza la bandiera del Re divino e dovunque diffonde il Suo Regno e i benefizi del Suo amore e della Sua misericordia.

Il Santo Padre infine conclude con le più effuse benedizioni su tutti i presenti, le loro famiglie, le opere tutte dell'Azione Cattolica.

25. — SS. D. N. Pii Pp. XI.

Epistola apostolica 13 iun. 1926.

AD R. P. WLODIMIRUM LEDÓCHOWSKI, PRAEPOSITUM GENERALEM SOCIETATIS IESU, ALTERO EXEUNTE SAECULO A DECRETIS ALOYSIO GONZAGAE SANCTORUM CAELITUM HONORIBUS.

(A. A. S. 1 iul. 1926, XVIII, 258).

Christus peculiari caritate prosecutus est iuvenes.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Singulare illud est in divini Magistri vita, quod iuvenes ab eo praecipua quadam caritate diliguntur. Innocentes enim pueros ad se allicit atque attrahit (1) pestiferosque eorum corruptores cum corripit severitate verborum, tum gravissimis se poenis multaturum minatur (2); intemerato autem adulescentulo, ad invitamenti praemiique modum, expletam perfectamque sanctitatis formam proponit (3).

---

generose subiectis disciplinae, renovat in animo Sancti Patris dulcissimam consolationem, e numero earum consolationum quae Ipsi facultatem dant exsequendi munus cuius, Deo sic disponente, grave pondus sustinet: officium gubernandi, sentiendo prope Suam manum ipsam manum Dei, mirabilem navim, quae ducit per saecula, thesauros Redemptionis, navim istam quae vexillum divini Regis attolit et per omnes regiones propagat Eius regnum et beneficia Eius amoris Eiusque misericordiae. Demum Sanctus Pater finem facit effusissimis benedictionibus in praesentes, in eorum familias, in omnia opera Actionis Catholicae.

(1) MARC., X, 13-16.

(2) MATTH., XVIII, 6.

(3) MARC., X, 21.

Et Ecclesia hunc amorem imitata est.

Hunc ipsum cum a suo Conditore spiritum Ecclesia, divinae heres legationis atque operae, hausisset, inde a christiani aevi primordiis se eodem iuvenum amore studioque incensam ostendit ac praestitit. Itaque, causa infantiae suscepta, corporum coepit animorumque tueri incolumitatem; filios suos ut litterarum initiis altioribusque disciplinis imbueret, et ludos iis et athenaea aperire; Ordines ac religiosa sodalicia non tam probare quam provehere, eo nimirum consilio, ut, academiis, coelegiis, publicis scholis, consociationibus conditis, iuventuti rite instituendae consulerent. Cuius quidem curandae institutionis nativum inviolatumque sibi Ecclesia ius nullo non tempore vindicavit, utpote quae facere non posset, quin coram commissa sibi humani generis universitate doceret, unam se esse germanae de moribus doctrinae custodem, unam se certamque difficillimae illius artis magistram, quae in ingeniis hominum christiane conformandis versaretur. Incredibile quidem est quam Nos in praesentia delectet, innumerabiles ubique iuvenes, eosdemque ex utroque sexu atque ex omni civitatis ordine, intentiore animorum motu, sacerdotibus suisque instare Pastoribus, cupidos cum se doctrina omnique christianae vitae cultu expoliendi, tum Ecclesiam iuvandi laboris sui auxilio in ea, quam persequitur, emendatione hominum ac salute. Reputantibus autem Nobis, quam crebra iuvenum agmina, superiore piaculari anno, undique coram convenerint, ii sane redintegrantur voluptatis laetitiaeque fructus, quos tum cepimus cogitando, ex talibus per omnes nationes ordinatis iuventutis legionibus quam frequens pacatusque coaliturus aliquando foret exercitus, quo ad senescentem mundum Apostolica Sedes recreandum uteretur. Ac Nostro crescit in animo altiusque defigitur iuvenum caritas, cum multiplices exsecrandasque cernimus insidias, quae eorum fidei atque innocentiae struuntur: qua quidem in aspera universae spiritualis vitae dimicatione nimium saepe contingit, ut aetatis virtutisque nervi debilitentur et elidantur bene multorum, qui mirum quanto Ecclesiae civitatique usui esse potuerant.

Sollicitudinem nostram de iuventute excitat consideratio cum maximi subsidii quod ab iis sperare possumus,

tum periculi maximi cui exponuntur.

Iam vero S. Aloisius iis offertur tamquam aptissimum exemplar, (dummodo talis consideretur qualis revera fuit, non vero qualem aliqui eum finxerunt).

Alterum igitur, quod postremo huius anni die complebitur saeculum ab delatis Aloysio Gonzagae sanctorum caelitum honoribus, ad spiritualem iuventutis profectum tam praeclaras videtur habere utilitates, ut ad filiolos Nostros, qui, qua late orbis terrarum protenditur, in spem regni Iesu Christi succrescunt, cogitationes et alloquium Nostrum perlibenter, cum te, dilecte fili, alloquimur, convertamus. Etenim, quo debent iuvenes patrono caelesti, in suae discriminibus periculisque vitae,

Quod patet primum ex factis.

valido uti ac potenti, eum praeterea sequantur oportet, singulare prorsus virtutum omnium exemplum: cuius vitam si quidem penitus introspiciant, iam plane noverint, qui sit ad perfectionem christianam aditus, quae accommodatiores ad eius adeptionem adhibendae artes, quamque suaves pretiososque, vestigiis Aloysii insistendo, virtutum fructus percepturi sint. Iamvero, Aloysium in se atque in suo collocatum lumine si contemplentur, omnino sane alium, quam quem Ecclesiae adversarii fallaciter fabricati sunt vel scriptores minus prudentes finxere: nonne eum, vel in tanta recentius Ecclesiae parta sanctitatis laude, singulare iuvenilium virtutum exemplum habeant? Etenim si quis annales percurrat nostros, facile comprobabit, adulescentes hominesque, quos Dei Spiritus post Gonzagae obitum ad hunc diem excitavit vitae innocentia mirabiliores, magnam partem, ad eius disciplinam animos suos conformasse. In quibus, ne multi simus, commemorare tantummodo placet Ioannem Berchmans, qui, cum in Collegio Romano degeret, nihil sibi aliud proposuerat, quam ut Aloysium in se referret; Nuntium Sulpritium, iuvenem illum operarium, qui Castellionensem imitari et a puero coepit et ad exitum usque perrexit; Contardum Ferrinium, qui, cum ab aequalibus alter Aloysius merito nuncuparetur, tum hunc ipsum, quo exemplo ac tutore castimoniae utebatur, piissime coluit; Bartholomaeam Capitanio, quae Gonzagam, cuius se in clientelam religiose contulisset, perfecte, vivens moriensque, reddidit, quaeque ab Aloysio, saeculari hoc anno, quasi ipsius gloriae particeps effecta ad beatorumque caelitum honores deducta videatur. Nec temere quispiam affirmet, Aloysium ad interiorem immutationem perfectionemque Gabrielis a Virgine Perdolente haud parum valuisse: qui, quamquam adulescens animum aliquanto leviorem remissioremque ostendit, Gonzagae tamen, quem iuventutis Patronum venerari didicerat, opem auxiliumque implorare non destitit. Atque ut e recentioribus puerilis iuvenilisque disciplinae auctoribus ac magistris unum afferamus, Ioannes Bosco non modo Aloysium amanter colebat, sed eiusmodi cultum, quem suboli suae veluti hereditate reliquit, commendare vehementer pusionibus iis consueverat, quotquot sancte educendos excepisset: qua in Aloysii imitatione ex iis maxime omnium profecit candidissima illa anima, Dominicus Savio, quem Deus terris tam brevi permisit deditque conspiciendum.

Deinde ex eo quod eius vita praeclare eos docet quomodo

Utique videri potest, non sine arcano divinae Providentiae consilio contigisse, ut immatura morte, vixdum efflorescens, tum eriperetur Aloysius cum egregiae eius ingenii animique

se ad actionem parare debeant.

laudes, constans atque impigra voluntas, singularis ac paene divina rerum prudentia, cum religionis animarumque studio coniunctae, feracissimi apostolatus beneficia spondebant ac sperare iubebant. Nam placuit Deo, ut ab caelesti iuvene, quem communis aetatis flos amabilem imitabilemque ultro reddidisset, iuvenes perdiscerent, quodnam peculiare eius aetatis esset praecipuumque munus, scilicet ut se ad vitae agitationem animo per christianas virtutes solide excolendo expoliendoque, pararent. Quo qui interiorum earum patrimonio virtutum, quae in Aloysio mirifice eluxerunt, destituti sint ac careant, non eos profecto ad vitae pericula ac certamina, non eos ad apostolatus coepta satis aptos armatosque fore existimabimus, sed, factos veluti *aes sonans* et *cymbalum tinniens* (1), aut nihil profuturos aut forte nocituros illi ipsi causae, quam agendam defendendamque susceperint, quemadmodum superioribus aetatibus haud semel evenisse in comperto est. Itaque nonne tempestive opportuneque in haec tempora incidunt saecularia eiusmodi Gonzagae sollemnia, quippe qui suae exemplo vitae iuvenibus, ad externa ingenio proclivibus atque ad prosiliendum in vitae actionem promptissimis, suadeat, ut proximos et rem catholicam ne ante curent, quam se ipsi interiorum virtutum studio atque exercitatione perfecerint?

Iuvenibus imitanda sunt in Aloysio: I. fides viva, hausta praesertim ex Exercitiis Spiritualibus;

Atque illud in primis iuvenes Gonzaga docet, christianae institutionis summam in vivae fidei sensu tamquam fundamento consistere, qua homines fide, veluti *lucerna lucente in caliginoso loco* (2), illustrati, mortalis vitae naturam ac momentum penitus agnoscant. Itaque cum Aloysius decrevisset, vitam sibi non « ad temporales » sed « ad rationes aeternas » componendam esse — unde si quis discedat, iam vir spiritualis aut esse aut dici nequeat — eiusmodi rationes, e divina revelatione haustas, in sanctorum Exercitiorum palaestra, in quam, vix e pueritia egressus et deinde in Societatem Iesu adscitus, identidem secessit, maxima cum animi utilitate ac voluptate, diu multumque volutare ac commentari assuevit. Iamvero omnino oportere censemus, ut in animis adulescentium nostrorum, Gonzaga duce, id altius insideat, hominum vitam non esse adeo depri mendam ut caducarum rerum cura ac fruitione dumtaxat contineatur, qua haud raro iuvenum ingenia sensusque abripiuntur, sed, contra, habendam nobis esse quasi quoddam curriculum,

(1) *Cor.* XIII, 1.
(2) II PETR., I, 19.

ubi, uni Christo servientes, ad sempiternam beatitatem nitamur. Atque rectam hanc vitae aestimationem habituri facile sunt adulescentes nostri, si quidem, caelestem imitati Patronum, interdum a rerum humanarum turbine procul secesserint ac per statos aliquot dies spiritualibus Exercitiis vacaverint, quae, ut ex diuturna experientia liquet, nata apta sunt ad molles docilesque iuvenum animos salutariter firmiterque praeoccupandos.

2. amor puritatis angelicae, quem fovit victoria sui et pietatis studium.

Hac supernarum rerum luce collustratus, ut diximus, Aloysius, cum nihil intentatum relinquere statuisset ut vitam innocentissimam duceret, tam in incepto perseveravit constanter, ut, inde a primo rationis usu ad extremum usque spiritum, ab omni gravis peccati macula se immunem praestiterit, praecipueque ab pudicitiae flore tam diligenter omnem vel tenuissimam labeculam prohibuit, ut cum ab aequalibus angeli nomine honestaretur — quo ipso deinceps nomine eum christianus populus consalutare assuevit — tum Beato Roberto Bellarmino, quo sanctus adulescens peritissimo usus est pietatis magistro, confirmatus in gratia videretur. Quam quidem perfectionem absolutionemque virtutis haud sane Aloysius idcirco attigit, quia, inaudito quodam Dei beneficio, iis exemptus esset interioribus externisque pugnis, quae in naturam ab originali iustitia collapsam sunt nobis, dolentibus quidem, saepius pugnandae. Quodsi, ob privilegium prorsus singulare, voluptatis libidinisque stimulis agitatus est nunquam, tamen, ut erat ad grandia comparatus, ab irae igniculis gloriolaeque titillationibus vacuus omnino non fuit: quas quidem naturae appetitiones invicta voluntate non tam coercuit, quam rationis imperio penitus atque omnino subegit. Cum autem nativam humanarum virium imbecillitatem non ignoraret, idemque virtuti in primis diffideret suae, divinae gratiae praesidium sibi comparare studuit, fusis interdiu noctuque et in multas horas productis ad Deum precibus, patrocinioque Deiparae Virginis, in cuius clientela primas facile tulit, apud divinam clementiam adhibito; maxime vero, quod in Eucharistia sanctissima totius vitae spiritualis fontem ac robur posita esse intellegeret, divinam mensam, quotiescumque per id temporis licebat, celebrare consueverat, ut recentiores perpetuo vires inde exprimeret atque hauriret. Vitae autem innocentiam morumque castimoniam ut custodiret noster — neque enim a divinae gratiae dono seiungi industria hominis queat — ad piissimum Augusti Sacramenti et Deiparae cultum humanarum rerum fugam adiecit eamque sensuum castigationem, quam reliqui mortales, maximam partem,

suspicere quidem possint, aequare non possint. Illud enim mirabile ac vix credibile dixeris, in tanta morum corruptela, Gonzagam animi candore cum caelestibus spiritibus certasse; in tanta voluptatum consectatione, adulescentem singulari abstinentia et vitae austeritate atque asperitate floruisse; in tali honorum cupiditate, adeo Aloysium illos contempsisse ac fastidivisse, ut et principatu, qui sibi hereditario iure obventurus erat, se perlibenter abdicarit et in eam religiosam familiam cooptari maluerit, in qua, iurisiurandi religione interposita, ad sacras dignitates intercluderetur aditus; in eo denique immodico veteris romanorum graecorumque sapientiae cultu, tam assiduum Aloysii fuisse caelestium rerum studium atque usum, ut, praecipuo Dei munere, mirifica ipsius industria coniuncta, adeo tota mente cum Deo cohaereret, nullis ut alienis cogitationibus a rerum divinarum contemplatione avocaretur.

Haec quidem singularia, ipsisque consummatae virtutis hominibus inaccessa fere, sanctitatis culmina; res tamen documento adulescentibus nostris esto, quibus artibus quod est praestantissimum iuventutis decus atque ornamentum, morum scilicet innocentia et castimonia, servetur incolume. Qua in re non ignoramus, nonnullos iuvenilis disciplinae magistros, praesenti morum depravatione perterritos, qua tot adulescentes in exitium, incredibili cum animarum detrimento, praecipites aguntur, tam gravem ut perniciem iacturamque a civitate prohibeant, in nova aliqua institutionisque educationisque via excogitanda totos esse. At vero hos probe intellegere velimus, nihil se commodi rei publicae allaturos, si artes illas eamque disciplinam neglexerint, quas, e christianae sapientiae fonte haustas diuturnoque saeculorum usu probatas, idem ille Aloysius in se expertus est efficacissimas: fidem, inquimus, vivam, illecebrarum fugam, animi temperationem et continentiam, actuosam in Deum Beatamque Virginem pietatem, vitam denique caelesti epulo quam creberrime refectam ac recreatam.

3. humilis obedientia.

Quodsi intentis adulescentes animis Gonzagam tamquam absolutum castimoniae sanctitatisque exemplum suspexerint, ii profecto non modo libidinem cohibere condiscent, sed etiam funestum illum christianae institutionis scopulum vitabunt, in quem incidant oportet quotquot, commentis imbuti scientiae cuiusdam doctrinam Christi Ecclesiaeque detrectantis, immodico libertatis aestu, mentis arrogantia animique licentia conturbari se sinunt. At contra Aloysius, licet se aviti principatus heredem fore sentiret, quibus litterarum pietatisque usus est praeceptoribus, iis se ducendum ultro permittit; postmodum

vero, Societatis Iesu alumnus, ea animi demissione moderatorum iussis consiliisque obtemperat, ut vel in minimis religiosae vitae officiis ne transversum quidem unguem ab instituto discederet: quae quidem agendi ratio quantum ab eorum iuvenum ratione abhorreat, qui, specie quadam boni decepti nulliusque patientes freni, seniorum monita detrectant, nemo est qui non videat. Quicumque igitur sub Christi signis militare cupiunt, pro certo habeant, se, disciplinae iugo a suis cervicibus deiecto, ignobiles, palmarum loco, clades accepturos, cum iuvenes sint ita comparati divinitus, ut in sua mentis animique cultura, in suaque demum vita ad christianos spiritus componenda nihil proficiant, nisi alieno magisterio regantur. Quodsi magnam ad ceteras disciplinas, at maiorem profecto ad actionis atque apostolatus officia animi docilitatem afferant oportet: quae quidem officia, cum munus Ecclesiae a Christo mandatum attingant, sanctae utiliterque expleri nequeant, nisi demissis erga eos animis, quos Spiritus Sanctus *posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* (1). Quemadmodum autem in paradiso terrestri, grandia atque incredibilia Satanas pollicitus, primos humani generis parentes, ab officio obedientiae abductos, ad rebellandum Deo impulit, sic, sub libertatis obtentu, hisce temporibus, iuvenes corrumpit ad interitumque inani inflatos superbia trahit, quorum, contra, germana dignitas in una legitimae auctoritati obtemperatione consistat. Iamvero Aloysius, quamvis, ob insignem prudentiae laudem apud populum suum commendatus, magnam futuri principatus exspectationem commovisset et religiosis postea sodalibus ad summum Ordinis magistratum aptissimus aliquando fore videretur, unus tamen se ipse despiciens, humillimo obsequio cum dignitate coniuncto iis omnibus parebat, quicumque sibi, Domini sui ac Regis aeterni vices gerendo, praeficiebantur.

Mirabiles fructus quos Aloysius exinde collegit ita ut perfecti adulescentis formam exprimeret.

Ex sanctissima interim eiusmodi vitae ratione, ad fidei lucem ac normam absolutissime exacta, praeclaros iucundissimosque fructus percepit Aloysius; naturae autem gratiaeque dona inter se mirum in modum congruentia talem effecere, ut perfectam adulescentis formam exprimeret. Etenim, ob ingenii praestantiam ac maturitatem iudicii, ob animi nobilitatem ac fortitudinem, ob comitatem et suavitatem morum, nonne perfectius quiddam praetulit atque exhibuit? Iuvenis sane innocentissimus, qui, a quavis animi perturbatione vacuus, in una veri ac recti contemplatione perspicientiaque perpetuo defixus erat,

(1) *Act.*, XX, 28.

quam singulari esset intellegentia acieque mentis, apparet prorsus, cum ex confectis studiorum bonarumque artium summa cum laude curriculis, tum ex disputationibus de re philosophica publicis unanimi cum assensione plausuque habitis, tum etiam ex scriptis — potissimumque ex epistulis — quae quidem scripta, etsi haud frequentia, pro adulescentis aetate, sapienti rerum cognitione ac consideratione commendantur. Quae autem in eo iudicii integritas subtilitasque eluceret, manifesto colligitur ex difficillimis negotiis, quae, a patre sibi commissa, prudenter gessit expediitque feliciter, ex eoque haud minus arduo, quod, patre vita functo, cum Mantuae Duce dynastam fratrem suum, simultatibus odiisque restinctis, reconciliavit. Nobilitatem praeterea animi comitatemque morum prolixe cumulateque dilaudabant omnes, quotquot vel in consuetudine communis vitae vel in luce ipsa regiae domus cum eo versati sunt: dicimus cives ac famulos, principes dicimus aulicosque viros, ac potissimum Societatis moderatores ac sodales, quibus omnibus sui admirationem iniecerat. Verumtamen novimus, praecipua quadam ratione firmitatem animi constantiamque voluntatis in Aloysio enituisse; siquidem, inde a teneris unguiculis, parvulus ille Castellionensis principatus heres statuerat ac deliberaverat sanctitatem adipisci, quo in consilio animose fortiterque initio sic usque ad obitum perstitit, nihil ut unquam spirituales ascensiones, quae cum prima rationis luce congruissent, aut retardaret aut interciperet. Ecquod igitur aliud liceat opportunius aptiusque iuvenibus — iis potissimum qui studiis dant operam — proponere exemplum, quod pro aetate intueantur ac sedulo imitentur? Hi enim, praeterquam quod ad saniores solidioresque doctrinas excolere mentes animosque debent, praeterea et sapienti et tranquillo et aequabili iudicio valeant oportet, ut recte de hominibus deque eventis existiment ac sentiant, neque aut falsis rerum imaginibus aut impetu mollitieve animi aut vulgari opinione se transversos agi patiantur; ea denique opus est ut benignitate ac suavitate emineant, qua pacem in domestico convictu in hominumque societate tueantur ac provehant, et voluntatis firmitate et constantia, qua et se ipsi et proximos ad bonum regere queant.

In spiritu etiam apostolico perfectum iuvenibus exemplar.

Nec vero defuit in Aloysio mira quaedam industria atque alacritas in ceterorum hominum utilitatem impensa, qua apostolatus ille continetur, in quem saepius aetatem ingeniumque adulescentium ferri videmus. Quamquam enim praecipuum Gonzagae assiduumque studium in ea positum erat caelestium rerum commentatione familiarique cum Deo consuetudine,

quare ipsius vita dici recte poterat « abscondita cum Christo in Deo » (1), attamen crebro ex eius animo iam tum erumpebant apostolici ardoris igniculi, qui futuri quodammodo incendii flammas portenderent. Quo in genere, vix e puero egressus, rectis exemplis piisque colloquiis commonere omnes quibuscum ageret, atque, occasione oblata, ad virtutem inflammare; cumque aetate aliquantum processisset, ad maiora exardescens, altissima quaeque ac difficillima pro aeterna animarum salute prospicere et apostolicas etiam ad haereticos vel ethnicos expeditiones cogitare. Civibus autem Romanis spectaculo fuit Aloysius, cum, Collegii Romani alumnus, plateas, compita, vicos circumiret Urbis, ut christianae doctrinae elementis pueruios ac pauperes erudiret; testes iidem fuere heroicae illius caritatis, qua is incensus, cum Urbs pestilentia conflictaretur, exitiali laborantibus morbo ministrabat: cuius quidem morbi cum semina concepisset, paucis post mensibus, annos vix quatuor ac viginti natus, tabe absumptus est. Atque hic etiam iuvenibus nostris patet sane latissimus campus, in quo actuose, Aloysio duce, versentur: scilicet ad imitandum sequendumque proponitur recti exempli via, honestorum eloquentia sermonum, sacrarum Missionum amor ac studium, christianae doctrinae institutio, multiplex denique caritatis exercitatio. Quibus quidem rebus si catholicorum iuvenum cohortes animos adiecerint, iam Aloysiani apostolatus formam rettulerint apteque ad tempora accommodaverint: Aloysiani, inquimus, apostolatus, qui de caelo salutaris perseverat, nedum sit Gonzagae morte praecisus atque interceptus. E beata enim caelestium sede, in qua eum Carmelitis illa virgo Magdalena e Pazzis, per visum, gloriose regnantem mirabunda conspexit; in qua ipsum item assidere, inter sanctos caelites per sollemne decretum numerando, fel. rec. decessor Noster Benedictus XIII, abhinc ducentis annis, declaravit; nunquam destitit Aloysius adulescentium potissimum ordines omnes in suam clientelam receptos beneficiis cumulare. Idcirco sodalicia eorundem quamplurima Aloysii vel nomine censeri vel patrocinio gloriari; idcirco iuvenes utriusque sexus paene innumerabiles, vestigia eius persecuti, paenitentiae spinas cum innocentiae liliis mirifice consociare; idcirco nobile quoddam veluti certamen Aloysium inter et christianam iuventutem exortum, uter superior exsisteret, isne caelestibus donis adulescentes augendo, an haec Patronum caelestem venerando. Itaque nihil mirum si Romani Pontifices Aloysium iuventuti exemplum simul ac Patronum attribuerunt.

(1) *Ad Coloss.*, III, 3.

Quare denuo declaratur iuventutis Patronus.

Quae Nos quidem omnia recolentes, cum simus in primis de adulescentium optima institutione ac salute solliciti, hoc praesertim tempore cum ea plus solito periclitatur, ut praeter itarum non modo recordatio rerum renovetur, sed etiam uberiora ab Aloysio bona proficiscantur, de more institutoque decessorum Nostrorum, praesertim Benedicti XIII ac Leonis XIII, iterum sollemniter confirmamus ac, quatenus opus sit, auctoritate Nostra apostolica declaramus Sanctum Aloysium Gonzagam Patronum caelestem christianae iuventutis universae. Hanc igitur lectissimam catholicae familiae subolem, in Aloysii tutelam fidemque convocantes, quo florentior in dies crescat ac vigeat, et, christianam fidem palam aperteque professa, morum innocentiam latius praeferat, impense hortamur paternoque obsecramus animo, ut Aloysium intueatur atque imitetur, eundemque perpetuo colat atque invocet, per eas quoque pietatis exercitationes, unde — ut e precationibus per sex continuos dominicos dies habitis — tam multos eosdemque haud mediocres, exstitisse fructus diuturna experientia docet.

Quae ad eius canonisationis anniversariam memoriam celebandam suscepta sunt, multum laudantur.

Summopere interea laetamur, ab Consilio principe saecularibus sollemnibus habendis ac promovendis, cui quidem Cardinalis Noster in Urbe Vicarius studiosissime praesidet, id iuvenibus propositum, ut parent, dato aliquo sacris commentationibus spatio, pactum quoddam de christiana vita a se integre casteque ducenda, in scidis relatum, manu sua subscribere, ac veluti iureiurando obfirmare: quae quidem scidae in volumina collectae atque ab legatis universae e catholico orbe iuventutis huc delatae, postquam Romanus Pontifex eas quasi ratas habuerit, pietatis memoriaeque causa, in Ludovisiano templo deponantur, ubi veneranda Aloysii ossa requiescunt. Qua quidem re nihil ad generosam iuvenum naturam excitandam opportunius, quorum spiritualem ubique gentium renovationem saecularis commemoratio cum auspicato intendat, tum paritura haud dubie videtur. Quotquot autem ingentis catholicorum iuvenum familiae legati, ut diximus, stato ad celebrationem tempore, in hanc Almam Urbem convenient, eos, magnarum profecto rerum utilitatumque sponsores, perlibenter admissuri atque allocuturi sumus: quos quidem ipsos ad Aloysii sepulcrum cogitatione animoque comitabimur, rogantes ut filioli Nostri universi tutelam caelestis Patroni cotidie validiorem experiantur.

Sancti quoque Stanislai Kostkae memoria eodem tempore recolenda.

Quandoquidem vero, uno eodemque die cum Aloysio coniunctim, in caelitibus sanctis Stanislaus Kostka numeratus est, qui paulo ante et in Societate Iesu vixerat et ad beatas sedes

evolaverat, nostros decet adulescentes, per hanc ipsam rei faustitatem, in seraphicum iuvenem Polonum intueri, quem Deus « inter cetera sapientiae » suae « miracula » talem effecit, ut « etiam in tenera aetate, maturae sanctitatis gratiam » adeptus sit. Principe is quoque loco ortus, magno praeditus excelsoque animo, caelesti castimonia florere et ad perfectissima quaeque contendere; fratri suo germano, urbaniori lautiorique homini, obsistere ac repugnare; ex callidis haereticae hospitalis familiae et vagorum intemperantiumque aequalium insidiis victor continuo exstare; eucharistico epulo, haud semel per angelorum ministerium, recreatus ac roboratus, diuturna pedes itinera conficere, ut Deo ad altiora vocanti, ut Deiparae ad Societatem Iesu aperte cienti, obsequeretur; in Alma vero hac Urbe quasi ad tempus consistere, ut haud ita multo post, interiore caritatis flamma consumptus, cum duodeviginti haud amplius annos haberet, adhuc tirunculus, in aeternam illam urbem Hierusalem, inter sanctos confessores minimus natu, ingrederetur. Stanislai profecto animi fortitudinem et constantiam visus est Deus peculiari ratione rependere voluisse, innocentissimum collustrando adulescentem eo gloriae splendore, ut is suam gentem, immo totum christianum nomen, in maximo eorum temporum discrimine, quod Turcarum incursiones facesserent, tutela sua, quasi inexsuperabili quodam vallo, munierit. Ipsum autem patriae suae laboranti, vel mirabiliter, adfuisse, tam erat vulgo exploratum, ut Ioannes Sobieski, christianus ille Caesar qui gravissima Vindobonam obsidione liberavit, affirmare non dubitaret, victorias suas non tam se armis quam Stanislai patrocinio debuisse.

Ambo caelites inventuti optima quaeque impetrent.

Utinam caelites hi ambo, coniuncta inter se deprecatione, impetrent atque efficiant, ut iuventus nostra, utrumque aemulando, ad unam veramque christifidelium gloriam, idest ad pulcherrimam castimoniae et sanctitatis laudem, et ardentius adspiret et citatiore gradu procedat.

Coneeditur apostolica benedictio.

Caelestium interea munerum auspicem paternaeque caritatis Nostrae testem, tibi, dilecte fili, universis e Societate Iesu religiosis viris eorundemque alumnis, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Dies (13 iun. 1926).

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XIII mensis iunii anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

26. — S. Congr. S. Officii

Instructio ad locorum Ordinarios 19 iun. 1926

DE CREMATIONE CADAVERUM

(A. A. S. 3 iul. 1926, XVIII, 282)

Cum cremationis abusus invalescat,

Cadaverum cremationis praxi nonnullis in regionibus, posthabitis iteratis Sedis Apostolicae in contrarium declarationibus atque ordinationibus, in dies, ut relatum est, invalescente, ne tam gravis abusus, ubi iam obtinuit, confirmetur aliove extendatur, Suprema haec Sacra Congregatio Sancti Officii muneris sui esse ducit locorum per orbem Ordinariorum hac super re attentionem denuo instantiusque, probante SS.mo Domino Nostro, excitare.

1. Doceantur fideles de vero consilio ob quod reapse haec fovetur, et de gravitate culpae quae in ea fovenda communiter habetur.

Et primo quidem, cum non pauci, etiam inter catholicos barbarum hunc morem, nedum Christianae sed et naturalis erga defunctorum corpora pietatis sensui constantique Ecclesiae, inde a primis eius initiis, disciplinae plane repugnantem, veluti unum e potioribus hodierni, ut aiunt, civilis progressus scientiaeque valetudinis tuendae meritis celebrare non dubitent; haec eadem Sacra Congregatio christiani gregis Pastores quam vehementissime hortatur ut concreditas sibi oves omnimodis edocendas curent hoc reapse consilio a christiani nominis hostibus cadaverum cremationem laudari ac propagari ut, animis a mortis consideratione speque corporum resurrectionis paulatim aversis, materialismo sternatur via. Quamvis igitur cadaverum crematio, quippe non absolute mala, in extraordinariis rerum adiunctis, ex certa gravique boni publici ratione, permitti queat et revera permittatur; communiter tamen ac veluti ex regula ordinaria eidem operam vel favorem praestare, impium et scandalosum ideoque graviter illicitum esse nemo non videt; meritoque proinde a Summis Pontificibus pluries, novissime vero per recens editum Codicem iuris canonici (can. 1203 § 1) reprobatam fuisse ac reprobari.

2. Iis, quorum corpora aliena voluntate cremationi subiciuntur, tunc tantum funera ecclesia-

Ex quo etiam patet quod, etsi iuxta decretum diei 15 decembris 1886 (Collect. P. F., n. 1665) Ecclesiae ritus et suffragia non inhibeantur « quoties agatur de iis quorum corpora non propria ipsorum sed aliena voluntate cremationi subi-

ciuntur » ; cum tamen id (ut in ipso decreto expresse adnotatur) eatenus valere tenendum sit, quatenus per opportunam declarationem « crematìonem non propria defuncti sed aliena voluntate electam fuisse » scandalum efficaciter removeri queat, sicubi specialia rerum temporumque adiuncta id sperare non sinant, funerum ecclesiasticorum hoc quoque in casu prohibitionem integram manere dubitari non potest.

stica concedi possuni, si scandalum removeri possit.

Valde autem longe a veritate abesse, evidenter, dicendi sunt qui, ex speciosa ratione quod aliquem religionis actum defunctus, dum viveret, exercere solitus esset vel quod ultimo vitae momento pravam voluntatem forte retractare potuerit, licitum censent exsequias ecclesiasticas eidem, praesente cadavere, de more persolvere, licet hoc postea, ex propria ipsius defuncti dispositione, sit igni tradendum. Cum enim de hac coniectata retractatione nihil certo constare queat, nullam ipsius in foro externo rationem haberi posse palam est.

3. Si id fiat propria defuncti voluntate, non sufficit aliqua coniectata retractatio.

Vix vero notatu dignum videtur, omnibus hisce in casibus in quibus non licet pro defuncto funebria ecclesiastica celebrare, ne licere quidem eius cineres sepultura ecclesiastica donare vel quomodocumque in coemeterio benedicto asservare; sed ad praescriptum canonis 1212 in separato loco esse reponendos. Quodsi forte civilis loci auctoritas, Ecclesiae infensa, vi contrarium exigat, ne desint sacerdotes ad quos spectat, qua par est animi fortitudine, huic apertae Ecclesiae iurium violationi obsistere, emissaque congrua protestatione, ab omni abstineant interventu. Tum, data occasione, praestantiam, utilitatem ac sublimem ecclesiasticae sepulturae significationem seu privatim seu publice praedicare ne cessent, ut fideles, Ecclesiae intentionem apprime edocti, a cremationis impietate deterreantur.

4. Quoties funus ecclesiasticum, prohibetur quoque sepultura ecclesiastica; cuius praestantia fidelibus explicetur.

Et quoniam, denique, haec omnia ad optatum finem, nisi viribus unitis, haud facile erit deducere ; mens est Sacrae Congregationis ut diversarum regionum ecclesiasticarum Sacrorum Antistites, si quando res id exigat, penes proprium Metropolitam convenientes, insimul exquirant, discutiant, statuant quid ad rem magis opportunum in Domino iudicaverint ; et de consiliis hac super re simul initis deque eorum exsecutione atque effectu Sanctam Sedem deinde informent.

5. Ordinari locorum eiusdem regionis unitis viribus procedant.

Datum Romae ex Aedibus Sancti Officii die 19 iunii 1926.

Dies (19 iun. 1926).

R. Card. MERRY DEL VAL.

27. — S. C. de Propaganda Fide

Decretum 4 apr. 1926

STATUTA GENERALIA PIAE UNIONIS CLERI PRO MISSIONIBUS ATQUE SUMMARIUM SPIRITUALIUM FAVORUM QUIBUS EIUSDEM PIAE UNIONIS SODALES FRUUNTUR.

(A. A. S. 1 iun. 1926, XVIII, 270)

Decreti finis.

Ut Pia Sacerdotum Consociatio, quae « Unio Cleri pro Missionibus » nomen habet, quamque Summi Pontifices Benedictus Pp. XV fel. mem. et Pius Pp. XI fel. regn. tam valide commendaverunt, ubique nationum rite et secundum optata erigatur, visum est huic Sacrae Congregationi de Propaganda Fide Statuta generalia recognita in vulgus edere, quibus ab iis standum erit qui et Summorum Pontificum votis obsecundare et favores omnes spirituales eidem Piae Consociationi concessos sibi velint comparare.

Ab huius praescriptis non recedendum sine approbatione S. Congr.

Quod si ex peculiaribus rerum adiunctis necessarium in aliqua regione visum fuerit in hoc vel illo decernendo a Statutis generalibus recedere aut aliquid eisdem addere, approbatio ab hac Sacra Congregatione omnino praerequirenda erit.

Faxit vero Deus O. M. ut omnes sacerdotes ad suum amorem erga Missiones magis magisque fovendum huic Piae Consociationi sese adscribere libenter velint.

Dies (4 apr. 1926).

Datum Romae, in aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 4 aprilis Festo Resurrectionis D. N. Iesu Christi, an. 1926.

G. M. Card. Van Rossum, *Praefectus*

† F. Marchetti Selvaggiani, Arch. Seleucien., *Secretarius*

STATUTA GENERALIA

I. — De natura et fine

I. De natura et fine.

1. — Pia Unio Cleri pro Missionibus est associatio sacerdotum ad sacras Ecclesiae missiones adiuvandas instituta, prout num. 4 circumscribitur.

Haec Pia Unio a S. Sede probata fuit multisque ac singularibus favoribus et privilegiis aucta.

2. — Beatissimam Virginem Mariam, Apostolorum missionumque Reginam, patronam veneratur ac sub eius singulari patrocinio finem sibi propositum prosequitur.

3. — Pia Unio ad normam canonis 708 Cod. iur. can in singulis dioecesibus erigenda est.

4. — Haec Pia Unio sibi proponit animum sacerdotum gentium conversionis amore accendere, ut per ipsos universus populus christianus studio erga missiones catholicas pariter inflammetur et ita tota Ecclesia concurrat ad regnum Christi per universum mundum dilatandum. Unio missionaria itaque Cleri non est novum quoddam Opus missionale ad fidelium oblationes colligendas institutum neque pro fine habet aliorum Operum missionalium gubernationem sibi assumere, licet operam impendat ad fidelium animos disponendos ita ut omnibus Operibus missionalibus pro viribus succurrant.

5. — Piae Unionis socii finem sibi propositum hisce praecipue mediis assequi student:

a) Fervidis ad Deum O. M. precibus pro felici sacrarum missionum exitu propriaeque in favorem missionum operae successu;

b) cognitione missionum earumque indigentiarum, laborum apostolicorum qui in variis mundi plagis a Missionariis sustinentur, felicis vel minus laeti eorum exitus, itemque omnium earum rerum quae ad regnum Dei imprimis inter paganos dilatandum referuntur;

c) collationibus congressibusque sociorum, quibus mutuo se illuminent circa missionum indigentias atque ad eis subveniendum vicissim se exhortentur;

d) fovendo in familiis christianis vocationes missi nales sive ad sacerdotium sive ad munus adiutoris aut adiutricis Missionariorum;

e) monendo christifideles qua sacris concionibus, qua publicis conferentiis, ut vocant, qua privatis colloquiis et adhortationibus, qua scriptis in vulgus editis, aliisque opportunis mediis, de magno opere evangelicae praedicationis inter infideles, et de variis modis, quibus catholicarum missionum necessitatibus succurri possit;

f) offerendo libenter adiutricem operam suam iis qui Operibus missionalibus praepositi sunt;

g) naviter operam dando ut omnibus innotescant et ubique promoveantur Opera missionalia, imprimis ea quae a Sede

Apostolica tamquam sua agnita sunt et Motu proprio *Romanorum Pontificum,* diei 3 maii 1922, prae caeteris commendata fuerunt. Ea sunt, ante omnia, magnum Opus a Propagatione Fidei, Opera auxiliaria a Sancta Infantia, a Sancto Petro Apostolo pro institutione Cleri indigenae, et Collecta annua in festo Epiphaniae pro redemptione captivorum, seu pro missionibus Africanis; neque omittendo peculiares collectas pro determinatis regionibus vel missionibus aut pro singularibus indigentiis quae in missionibus forte occurrant fidelibus commendare;

h) promovendo festa, ut dicunt, missionalia, conventus seu congressus, aliaque id genus, quibus christifidelium studium erga missiones magnopere accendatur et accrescat.

II. De sodalibus.

II. — De Sodalibus

6. — Piae Unioni Cleri pro Missionibus adscribi possunt omnes sacerdotes cum saeculares tum regulares, necnon clerici qui sacrae theologiae studiis incumbunt.

7. — Adscriptio fit sive a Consilio dioecesano, sive a Consilio regionali, sive, his deficientibus, a Sacra Congregatione de Propaganda Fide.

8. — Ipsa adscriptione suscipiuntur onera Piae Unionis propria, et acquiritur ius ad indulgentias lucrandas et ad favoribus privilegiisque fruendum, quae a Sancta Sede Piae Unioni concessa sunt. Sciant tamen sodales non sufficere nomen dare Piae Unioni, sed naviter et fideliter exsequenda esse ea officia, quae nomen dando susceperunt, si gratiis Piae Unioni ab Ecclesia concessis vere frui desiderent.

9. — Sodales ordinarii vocantur. qui praeter caetera Piae Unionis officia praestita, statutas a Consilio regionali contributiones quotannis solvunt.

10. — Sodales perpetui, qui similiter, praeter fidelem officiorum satisfactionem, semel contributionem maiorem ad hoc a Consilio statutam exsolvunt.

11. — Sodales *honoris causa* sunt Rev.mi Domini Episcopi, nec non S. R. E. Cardinales, qui Piae Unioni adhaeserunt.

12. — Omnes sacerdotes qui actu in missionibus degunt vel valetudinis, senectutis aut obedientiae causa eas relinquere coacti sunt, omnibus privilegiis et gratiis Piae Unioni concessis gaudent.

13. — Pia Unio Cleri pro Missionibus a Sacra Congregatione de Propaganda Fide omnino dependet.

III. — De Consiliis

III. De Consiliis:

14. — In unaquaque regione Piae Unioni proxime praeest Consilium regionale et in singulis dioecesibus Consilium dioecesanum.

A) — *De Consilio regionali*

A) *Regionali,*

15. — Consilium regionale constat Praeside et quibusdam Consiliariis, quorum alii e Directoribus dioecesanis, alii ex Institutis missionalibus, si quae in regione adsint, assumuntur.

16. — Praeses Consilii regionalis a Sacra Congregatione de Propaganda Fide nominatur. Episcopi regionis nomen vel nomina candidatorum, ut plurimum ex regionis Ordinariis delectorum, eidem Sacrae Congregationi proponunt.

17. — Consiliarii eliguntur a Praeside, collatis consiliis cum Ordinariis locorum, si de sacerdotibus saecularibus, et cum Moderatoribus Regularium, si de Religiosis agitur.

18. — Consiliarii per tres annos in officio manent sed iterum eligi possunt.

19. — E Consiliariis unus officium Secretarii, alius Arcarii munus obibit, munera vero ab utroque praestanda, praeterquam ab officii natura, a Praeside statuuntur.

20. — Consilii regionalis est omni studio Piam Unionem in regionem promovere, stipem statuere a sodalibus ordinariis aut perpetuis solvendam, examinare atque recognoscere rationes accepti et expensi a dioecesanis Consiliis, Consilia dioecesana in eorum propria actione adiuvare ubi opus est, congressus Piae Unionis totius regionis indicere et alia huiusmodi.

21. — Quotannis Consilium regionale semel saltem convenit, convocante Praeside.

22. — Sedes Consilii regionalis a Praeside statuitur.

B) — *De Consilio dioecesano*

B) *Dioecesano.*

23. — Piae Unioni Cleri pro Missionibus in singulis dioecesibus praeponitur Consilium dioecesanum, constans Directore seu Moderatore et Consiliariis, quorum unus Secretarii, alius Arcarii munere fungitur.

24. — Tum Director tum Consiliarii ab Ordinario loci nominantur et ad illius nutum in munere permanent.

25. — Consilii dioecesani est Piam Unionem in dioecesi promovere, curare ut omnes sacerdotes illi nomen dent, et praecipue ut omnes adscripti, studio erga missiones animati, sanctum Associationis finem actuose prosequantur.

26. — Consilium dioecesanum bis in anno congreditur, et praeterea quoties Director illud convocare opportunum duxerit.

27. — Moderatoris dioecesani est, ineunte quoque anno, facta prius dioecesano Consilio relatione, transmittere ad regionale Consilium accepti et expensi nec non rerum actarum rationem adprobandam una cum indice novorum adscriptorum.

28. — Secretarius omnium actorum instrumenta conficiet tum conventus Consilii tum congressuum dioecesanorum, tum etiam rerum notabilium ad Piam Unionem in dioecesi se referentium.

29. — Arcarii munus est colligere contributiones a singulis membris solvendas, pecunias fideliter administrare et de iis quotannis Consilio dioecesano rationem reddere.

30. — Sedes Consilii dioecesani a Moderatore seu Directore, de consensu Ordinarii, figitur.

IV. De Congressibus.

IV. — De Congressibus

31. — Congressus regionalis omnium adscriptorum Piae Unionis Cleri pro Missionibus, totius nationis seu regionis, semel saltem singulis quinquenniis locum habebit, vicissim in locis regionis praecipuis, ad arbitrium Praesidis.

32. — Si forte ob rationes peculiares extra ordinem censeatur convocandus congressus, Praeses, adprobante Consilio regionali, Directores dioecesanos convocabit, eorumque deliberationi rem proponet.

33. — In congressibus ordinariis Secretarius Consilii regionalis de iis referet quae ab ultimo Congressu memoratu digna acciderint.

34. — Arcarius vero rationem reddet de statu oeconomico Piae Unionis in regione.

35. — Congressus regionalis deliberabit de Piae Unionis statu, de mediis idoneis quibus adscriptorum amor et studium erga missiones sustineatur et augeatur, de rebus et de quaestionibus Consilio regionali propositis et ab ipso tractandis admissis; de postulationibus a Moderatoribus Operum missionalium oblatis et de ceteris huiusmodi. Absque explicito Consilii regionalis consensu non licebit disserere in conventibus de rebus ordine praestituto non comprehensis.

36. — Congressus dioecesanus semel saltem singulis bienniis celebrabitur; extra ordinem a Directore, audito Consilio et adprobante Ordinario, ob iustas causas convocari poterit.

FAVORES SPIRITUALES

Favores spirituales.

I. — Indulgentia plenaria, suetis sub conditionibus lucranda, in festis: 1.º Epiphaniae, 2.º SS. Apostolorum, 3.º S. Michaelis Archangeli, 4.º S. Francisci Xaverii, 5.º semel in mense, die ad proprium cuiusque arbitrium eligenda, 6.º in articulo mortis, servatis servandis.

II. — Indulgentia centum dierum pro quolibet pietatis opere in favorem Missionum expleto.

III. — Facultas (dummodo adscriptus ad sacramentales confessiones audiendas sit approbatus):

1.º benedicendi extra Urbem, unico Crucis signo, coronas, rosaria, cruces, crucifixos, numismata et parvas statuas cum applicatione Indulgentiarum Apostolicarum (Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1922, p. 143); 2.º benedicendi, unico Crucis signo, coronas iuxta typum rosariorum B. M. V. confectas, cum applicatione indulgentiarum, quae a PP. Crucigeris nomen habent; 3.º benedicendi ac imponendi, servatis ritibus ab Ecclesia praescriptis, scapularia Passionis D. N. Iesu Christi, Immaculatae Conceptionis B. M. V., SS. Trinitatis, B. M. V. Perdolentis, B. M. V. a Monte Carmelo, ab Apostolica Sede approbata. (Cfr. infra n. VII); 4.º benedicendi, unico signo Crucis, crucifixos cum applicatione indulgentiarum pii exercitii a *Via Crucis* nuncupati in favorem fidelium, qui quominus sacras visitent « Stationes » legitime impediuntur; 5.º benedicendi, unico signo Crucis, crucifixos, iisdemque applicandi plenariam indulgentiam in articulo mortis ab iis acquirendam, qui praescriptis expletis conditionibus, illos osculati fuerint aut saltem aliquo modo tetigerint (Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1914, p. 348).

IV. — Indultum personale Altaris privilegiati, quater in qualibet hebdomada, dummodo simile indultum pro alia die non obtentum fuerit.

(Haec omnia per S. Poenitent. 15 nov. 1918. Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1919, p. 20).

V. — Facultas (dummodo, ut supra, ad sacramentales confessiones audiendas adscriptus sit adprobatus) benedicendi coronas Septem Dolorum B. M. V. cum applicatione omnium et singularum Indulgentiarum, quas Summi Pontifices eiusmodi coronis impertiti sunt.

VI. — Facultas, ut supra, benedicendi ac imponendi, sub unica formula, scapularia, quae ut Sodales Piae Unionis imponendi facultate gaudent. (Ex Audientia SS.mi E.mo Praefecto S. Congr. de Prop. Fide concessa die 20 martii 1919. Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1919, p. 179).

VII. — Facultas imponendi scapularia de quibus supra, absque inscriptionis onere in album Confraternitatis (Ex Audientia SS.mi E.mo Praefecto S. C. de Prop. Fide concessa die 4 martii 1920).

VIII. — Facultas pro omnibus adscriptis anticipandi a meridie recitationem Matutini cum Laudibus subsequentis diei, dummodo tamen officium diei iam persolverint (Ex Audientia Ss.mi E.mo Praefecto S. C. de Prop. Fide concessa die 1 decembris 1921. Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1921, p. 565).

28. — S. Congr. Rituum

Dubia 13 apr. 1926

CIRCA IMAGINEM VEL STATUAM SS.MI CORDIS IESU IN ALTARI SS.MI SACRAMENTI COLLOCATAM.

(A. A. S. 1 iul. 1926, XVIII, 291).

Dubia. Sacrae Rituum Congregationi pro solutione opportuna exposita sunt sequentia dubia, nimirum:

I. An statua, repraesentans Dominum Nostrum Iesum Christum detecto Corde, collocari possit in altari ubi permanenter custoditur Sanctissima Eucharistia, non tamen supra tabernaculum, sed retro, apud parietem?

Et quatenus negative ad I:

II. An supradicta statua, repraesentans Dominum Nostrum Iesum Christum, detecto Corde, perpetuo exponi valeat in aedicula facta in pariete apud quem exstat altare, in quo permanenter custoditur Sanctissima Eucharistia?

Responsum. Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositis quaestionibus respondendum censuit: *Affirmative ad utrumque*, iuxta prudens Ordinarii iudicium.

Dies (23 ann. 1926). Atque ita rescripsit ac declaravit; servatis servandis, Die 23 Aprilis 1926.

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Praefectus.*

Angelus Mariani, *Secretarius.*

Annotationes

Pluries prohibuit S. R. C. ne super tabernaculum SS.i ponatur statua, etiam Domini (decr. 2653 ad 6 et 3673 ad 2); neutiquam tamen invenitur aliqua prohibitio generalis ponendi super altare in quo permanenter custoditur SS. Eucharistia aliqua statua, dummodo non ponatur super tabernaculum ita ut hoc pro basi inserviat. A fortiori nullum inconveniens per se habetur si super tali altari habeatur statua Domini.

Sed, si de se nihil obstat quominus iuxta prudens Ordinarii iudicium statua repraesentans Dominum Nostrum Iesum Christum detecto Corde collocetur in altari ubi SS. Sacramentum permanenter custoditur, non tamen inde deducas in omni altari ubi Sanctissimum Sacramentum asservatur, talem statuam collocari posse; in toto enim robore manet legislatio de hac re lata et in primis decretum 4191 ad 3 et ad 4 quod prohibet ne in altari *fixo* alia ponatur imago quam Tituli. Unde, cum ex canone 1201 § 2 Titulus primarius altaris maioris idem debeat esse ac titulus ecclesiae, super altare maius ecclesiae vel oratorii consecrati aut sollemniter benedicti, statua Sacratissimi Cordis tunc tantum collocari poterit si ipsum oratorium aut ecclesia sacratissimo Cordi sit dicatam.

Ios. Pauwels, S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

29. — *SS. D. N. Pius Pp. XI*

A. *S. Consistorium.*

In Sacro Consistorio 21 iun. 1926 habito, S. Pontifex:

Camerarius S. Collegii.

1. Perulam S. Collegii Em. Cardinalium tradidit Em. Cardin. Sbarretti, pro hoc anno eiusdem Collegii Camerario.

Patriarcha Melchitarum.

2. Electionem R. P. D. Cyrilli Mogabgad, archiep. Mariannen. Melchitarum, in Patriarcham Melchitarum, ab universis eiusdem episcopis in Synodo peractam, confirmavit et ratam habuit.

Novi Cardinales.

3. Creavit ac publicavit Cardinales S. Rom. Ecclesiae: ex Ordine Presbyterorum, R. P. D. *Aloisium Capotosti*, ep. tit. Thermen., et ex Ordine Diaconorum, R. D. *Carolum Perosi.*

Provisio Ecclesiarum.

4. Diversis Ecclesiis providit.

In Consistorio publico 24 iun. 1926, S. Pontifex:

Impositio galeri rubri.

Emm. Cardinalibus Bonaventurae Cerretti, Aloisio Capotosti et Carolo Perosi rubrum pontificalem galerum imposuit.

In secreto Consistorio eodem die habito:

Provisio Ecclesiarum.

1. Diversis Ecclesiis providit.

Postulatio Palliorum.

2. Admisit postulationem sacri Pallii Ecclesiarum metropoliatanarum *Mutinensis, Gnesnensis et Posnaniensis, Mechliniensis. Hobartensis* (per successionem), *Oregonopolitanae, Vilnensis, Kaunensis*, atque, per privilegium, cathedralium *Quinque Ecclesiarum, Barcinonensis* (per successionem) et *Carnutensis.*

Assignatio titolorum.

3. Novis Cardinalibus anulos digito imposuit, et assignavit Em. Cerretti, titulum *Sanctae Caeciliae*, Em. Capotosti, titulum *S. Petri ad Vincula*, et Em. Perosi, Diaconiam *S. Eustachii.*

B. *Litterae.*

Renunciatio iuspatronatus.

1. Brevi *Inter Beatae Mariae Virginis*, 5 aug. 1925, acceptatur renunciatio familiae Burghesiae iuspatronatus super sacello B. M. V. in Basilica Liberiana (A. A. S., 1. iun. 1926, XVIII, 208).

Ecclesiae condicio in Mexico.

2. Epistola *Paterna sane*, 2 febr. 1926 ad episcopatum Mexicanum exponitur iniqua condicio Ecclesiae in Mexico et traduntur normae ad catholicam actionem ibique promovendam (A. A. S., 3 maii 1926, XVIII, 175).

3. Epistola 2 apr. 1926 ad Em. Card. Van Rossum de XVI saeculo exeunte a S. Crucis inventione (A. A. S., 3 maii 1926, XVIII, 182). *Saec. XVI a S. Crucis invent.*

4. Chirographus ad Em. Card. Vice Sacra in Urbe antistitem de precibus publice indicendis pro Ecclesia catholica in dictione Mexicana (A. A. S., 3 maii 1926, XVIII, 181). *Preces pro Mexico.*

5. Epistola 18 maii 1926, ad Em. Card. Bonzano, qui Legatus mittitur Chicagiam ad Congressum eucharisticum universale XXVIII (A. A. S., 1 iul. 1926, XVIII, 279). *Card. Legat. ad Congr. eucharist.*

C. *Litterae de dioecesibus.*

1. Bulla *Apostolici muneris,* 18 oct. 1925, dismembrata archidioecesi *S. Iacobi de Chile,* eriguntur novae dioeceses *de Talca, de Rancagua, de Valparaiso, S. Philippi de Aconcagua* (A. A. S., 1 iun. 1926, XVIII, 201). *S. Iacobi de Chile.*

2. Bulla *Notabiliter aucto,* 18 oct. 1925, dismembrata dioecesi *Ss. Conceptionis de Chile,* eriguntur novae dioecesis *de Chillan, de Linares in Chile, de Temuco,* (A. A. S., 1 iun. 1926, XVIII, 205). *Ss. Concept. de Chile*

3. Bulla *Inter coetera,* 23 apr. 1926, dioecesis *Massensis* a provincia ecclesiastica Mutinensis seiungitur et *Pisanae* unitur (A. A. S., 1 iun. 1926. XVIII, 207) *Dioec. Massensis.*

D. *Litterae de Vicariatibus et Praefecturis.*

Brevi *Quae catholico,* 28 ian, 1926, immutantur fines inter praefecturam apostolicam *de Thsuapa,* quae in posterum *de Coquilhatsville* erit nuncupanda, et vicariatum apostolicum *Novae Antuerpiae* in Congo Belgico (A. A. S., 1 iun. 1926, XVIII, 215). *De Coquilhatsville et Nov. Antuerp.*

E. *Litterae de Basilicis.*

In Basilicam minorem eriguntur:

1. Brevi *Cognitum sane,* 14 ian. 1926, templum B. M. V. a Perpetuo Succursu in urbe S. Iacobi de Chile (A. A. S., 1 iun. 1926, XVIII, 213). *B. V. a Perp. Succ., S. Iac. de Chile.*

2. Brevi *Refert ad Nos,* 25 ian. 1926, templum Ss. Alexandri et Theodori Mm. abbatiae Ottenburanae in dioecesi Augustana Vind. (A. A. S., 1 iun. 1926, XVIII, 214). *Ss. Alex. et Theod. abbatiae Ottenbur.*

F. *Litterae de Beatificatione et Canonizatione.*

1. Brevi *Dives in misericordia,* 16 maii 1926, Ven Dei Servus *Andreas Hubertus Fournet,* fundator Congregationis Filiarum Crucis, Beatus renuntiatur A. A. S., 1 iun. 1926, XVIII, 216). *B. Andreas Fournet.*

B. Ioanna Antida Thouret.

2. Brevi *Christianae caritatis,* 23 maii 1926, Ven. Dei Famula Soror *Ioanna Antida Thouret,* fundatrix Instituti Sororum a Caritate, Beata renuntiatur (A. A. S., 1 iun. 1926, XVIII, 220).

B. Bartholomaea Capitanio.

3. Brevi *Consummata in brevi,* 30 maii 1926, Ven. Dei Famula *Bartholomaea Capitanio,* fundatrix Sororum Caritatis, quas vulgo a Maria Infantula nuncupant, Beata renuntiatur (A. A. S., 1 iul. 1926, XVIII, 267).

BB. Iacobus Salesius et Guillelmus Saltamochius.

4. Brevi *Pretiosa in conspectu Domini,* 6 iun. 1926, Ven. Dei Famuli *Iacobus Salesius* Presbyter et *Guillelmus Saltamochius* Coadiutor, ambo e Societate Iesu, Beati renuntiantur (A. A. S., 1 iul. 1926, XVIII, 271).

B. Lucia Filippini.

5. Brevi *Praestantiores inter,* 13 iun. 1926, Ven. Dei Famula *Lucia Filippini,* fundatrix Instituti Magistrarum Piarum ab eius cognomine nuncupatarum, Beata renuntiatur (A. A. S., 1 iun. 1926, XVIII, 275).

30. — *Suprema S. Congr. S. Officii.*

Communicatio.

Communicatione 23 apr. 1923 declaratur, opusculum cui titulus « Padre Pio da Petralcina », Romae absque ecclesiasticae auctoritatis licentia impressum, ipso iure esse prohibitum iuxta can. 1399 5°, et renovatur prohibitio praefatum Patrem visitandi vel etiam per epistolas cum eo communicandi (A. A. S., 3 maii 1926, XVIII, 186).

31. — *S. Congr. Consistorialis.*

Dismembrationes.

1. Decreto 14 apr. 1926, quidam pagi a dioecesi *Ratisbonensi* dismembrantur et dioecesi *Eistettensi* aggregantur (A. A. S., 1 iun. 1926, XVIII, 228).

2. Decreto 14 apr. 1926, villa quaedam a dioecesi *Eistettensi* avulsa dioecesi *Ratisbonensi* aggregatur (A. A. S., 1 iun 1926, XVIII. 227).

3. Decreto 20 apr. 1926, pagi quidam a *Lucensi* dioecesi separantur atque dioecesi *Auriensi* aggregantur (A. A. S., 1 iun. 1926, XVIII, 229.

4. Decreto 1 maii 1926, Abbatia *nullius* S. Silvestri *de Nonantula,* hucusque in Commendam tantum archiepiscopo Mutinensi pro tempore concredita, in perpetuum archidioecesi *Mutinensi* unitur (A. A. S., 1 iul. 1926, XVIII, 284).

32. — *S. Congr. Rituum.*

Causae Beatificationis et Canonizationis.

Andreas Hubertus Fournet.

1. Die 21 apr. 1926, decretum est iuto procedi posse ad

beatificationem Ven. Servi Dei *Andreae Huberti Fournet*, fundatoris Congregationis Sororum Crucis vulgo Filiarum S. Andreae nuncupatarum (A. A. S., 3 maii 1926, XVIII, 190).

Lucia Filippini.

2. Die 21 apr. 1926, decretum est tuto procedi posse ad beatificationem Ven. Servae Dei *Luciae Filippini*, fundatricis Istituti Magistrarum Piarum ab eius cognomine nuncupatarum (A. A. S., 3 maii 192[illegible], XVIII, 192).

Ioanna Antida Touret.

3. Die 21 apr. 1926, decretum est constare de tribus miraculis obtentis intercessione Ven. Servae Dei Sororis *Ioannae Antidae Thouret*, fundatricis Instituti Sororum a Caritate (A. A. S., 1 iun. 1926, XVIII, 236).

4. Die 2 maii 1926, decretum est tuto procedi posse ad beatificationem Ven. Servae Dei *Ioannae Antidae Thouret*, fundatricis Instituti Sororum a Caritate (A. A. S., 1 iun. 1926, XVIII, 239).

Bartholomae Capitanio.

5. Die 2 maii 1926, decretum est constare de duobus miraculis obtentis intercessione Ven. Servae Dei *Bartholomeae Capitanio*, fundatricis primariae Instituti Sororum a Caritate (A. A. S., 1 iun. 1926, XVIII, 241).

Emmanuel Ruiz et Socii M. M.

6. Die 2 maii 1926, decretum est constare de martyrio et causa martyrii Ven. Servorum Dei *P. Emmanuelis Ruiz et septem sociorum* Ord. Fr. Minorum (A. A. S., 1 iun. 1926, XVIII, 244).

Bartholomeae Capitanio.

7. Die 22 mai 1926, decretum est tuto procedi posse ad beatificationem Ven. Servae Dei *Bartholomeae Capitanio*, fundatricis Istituti Sororum a Caritate (A. A. S., 1 iul. 1926, XVIII, 285).

Iacobus Salesius et Guill. Saltamochius.

8. Die 22 maii 1926, decretum est constare de martyrio et causa martyrii Ven. Servorum Dei *Iacobi Salesii* Sacerdotis et *Guillelmi Saltamochii* Coadiutoris e Societate Iesu (A. A. S., 1 iul. 1926, XVIII, 287).

9. Die 3 iun. 1926, decretum est tuto procedi posse ad beatificationem Ven. Servorum Dei *Iacobi Salesii* Sacerdotis et *Guillelmi Saltamochii* Coadiutoris e Societate Iesu (A. A. S., 1 iul. 1926, XVIII, 291.

33. — *Provisio Ecclesiarum*

A. *In S. Consistorio* nominati sunt:

1. Die 21 iun. 1926:

Em. Card. Michael Lega, ep. Tusculan. *Frascati.*

R. P. D. Ioannes Bapt. Penon, ep. tit. Cusen. ex ep. Molinen. *Cusen.*

R. P. D. Quiricus Travaini, ep. Cuneen,, retenta Sede Fossanen. *Cuneo.*

R. P. D. Andreas Brennan, ep. Richmonden. ex ep. Tapsitan. *Richmond.*

Bosa. R. P. D. Isidorus Sain, ep. Fluminen,
Chartres. R. P. D. Philippus Mantini, ep. Bosanen.
Séez. R. D. Rodulphus Harscouët, ep. Carnuten.
Derry. R. D. Octavius Pasquet, ep. Sagien.
Lesina. R. D. Bernardus O' Kane, ep. Derrien.
Salt Lake. R. D. Michael Pusic, ep. Pharen.
Menevia. R. D. Ioannes Mitty, ep. Lucas Salsi.
R. D. Franciscus Vaughan, ep. Meneven.

2. Die 24 iun. 1926:

Gnesna e Posnania. R. P. D. Augustus Hlond, archiep. Gnesnen. et Posnanien. ex ep. Katovicen.

Vilna. R. P. D. Romualdus Jalbrzykowski, archiep. Vilnen. ex ep. Lomzen.

Corinto. R. P. D. Ludovicus Petit, archiep. tit. Corinthien. ex archiep. Athenien.

Seleucia. R. P. D. Fernandus Cento, archiep. tit. Seleucien. in Syria, ex ep. Jacien.

Limisa. R. P. D. Franciscus Maffei, archiep. tit. Limisen., titulo pro hac vice evecto, ex ep. Laquedonien.

Pessinonte. R. P. D. Nicolaus Giannattasio, archiep. tit. Pessuntin. ex ep. Neritonen.

Pergamo. R. P. D. Fabius Berdini, ep. tit. Pergamen. ex ep. Caesenaten.

Filadelfia. R. P. D. Aloysius Mazzini, ep. tit. Philadelphien. et auxiliarem ep. Savonen. et Naulen., ex ep. Anagnin.

Lamza. R. P. D. Stanislaus Lukomski, ep. Lomzen. ex ep. tit. Siccen.

Katowice. R. D. Arcadius Lisiecki, ep. Katovicen.

Vaga. R. D. Philippus Tchao, ep. tit. Vagen.

Esbon. R. D. Melchior Souen, ep. tit. Esbonen.

Catenna. R. P. Odoricus Tch'eng, ep. tit. Catennen.

B. Decretis *S. Congr. Consistorialis* nominati sunt:

Sebaste. 23 dec. 1925, R. P. D. Iosephus Georgius Caruana, archiep. tit. Sebasten. ex ep. S. Ioannis Portoricen.

Ancusa. 26 mart. 1926, R. P. D. Iosephus Guadalupe Ortiz y Lopez, ep. tit. Ancusen. ex ep. Chi apen,

Sardica. 30 mart. 1926, R. D. Iosephus Fietta, archiep. tit. Sardicen.

Nizza. 31 mart. 1926, R. P. D. Ludovicus Ricard, ep. Nicien. ex ep. tit. Marcianen.

Ross. 31 mart. 1926, R. D. Iacobus Roche, ep. Rossen.

Tralli. 9 apr. 1926, R. D. Eugenius Crépin, ep. tit. Trallian.

Corico. 23 apr. 1926, R. D. Franciscus Salis Seewis, ep. tit. Coricen.

Ceramo. 27 apr. 1926, R. D. Ioannes Hillebrand, ep. tit. Ceramen.

30 apr. 1926, R. P. D. Eduardus M. Howard, archiep. Oregonopolitan. ex ep. tit. Isaurien. *Oregon. City.*

30 apr. 1926, R. D. Adulphus Pagani, ep. Comen. *Como.*

7 maii 1926, R. P. Iosephus Antonius a S. Ioanne in Persiceto, O. F. M. Cap. Min. Gen., in seculo Ferdinandus Bussolari, archiep. Mutinen. et Abbas nullius Nonantulan. *Modena e Nonantola.*

7 maii 1926, R. D. Aemilius Cottafavi, ep. Tarquinien. et Centumcellarum. *Tarquinia e Civitavecchia.*

10 maii 1926, R. D. Acacius Chacon, archiep. tit. Milevitan. titulo pro hac vice evecto. *Milevi.*

10 maii 1926, R. D. Henricus Dubuc, ep. tit. Zaraitan. *Zarai.*

14 maii 1926, R. P. D. Laurentius Del Ponte, ep. Aquen ex ep. tit. Oropen. *Oropo.*

18 maii 1926, R. P. Theodorus Labrador, Ord. Fr. Praed., ep. tit. Fussalen. *Fussala.*

18 maii 1926, R. P. Iosephus Gotthard, e Congr. Oblat. M. Imm., ep. tit. Mopsuestian. *Mopsuestia.*

C. Decreto *S. Congr. de Propaganda Fide,* nominatur:

10 mart. 1926, R. P. D. Richardus Ryan, ep. Salen. ex ep. Geraldtonen. *Sale.*

34. — *Nominationes.*

A. *Brevibus Apostolicis* nominati sunt:

8 mart. 1926, R. D. Henricus Valtorta, ex Instituto Mediolanen. pro Miss. Exteris, Vic. Apostolicus de Hong-Kong. *Hong-Kong.*

10 mart. 1926, R. D. Ioannes Norton Coadiutor cum iure futurae successionis episcopi Bathurstensis in Australia. *Bathurst.*

B. *Decretis S. Congr. de Propaganda Fide* renunciati sunt:

21 dec. 1925, R. P. Egbertus Pelzer, ex Ord. Praedicatorum, Praef. Apostolicus de Tingchowfu. *Tingchowfu.*

16 mart. 1926, R. P. Sebastianus Grossrubatscher, ex Ord. Fr. Minor., Praef. Apostolicus de Yungchowfu. *Yungchowfu.*

17 mart. 1926, R. P. Angustinus Leon, ex Ord. Praedic., Praef. Apostolicus de Canelos et Macas. *Canelos et Macas.*

30 mart. 1926, R. P. Ioannes Matthaeus Konigs, e Can. Reg. S. Crucis, Praef. Apostolicus nuper erectae praefecturae de Bondo in Africa Centrali. *de Bondo.*

35. — *Necrologium*

18 ian. 1926, Ill. D. Aemilius Devred, ep. tit. Hesbonen. *Esbon.*

13 mart. 1926, Ill. D. Thomas Esser, ep. tit. Siniden. *Sinide.*

20 mart. 1926, Ill. D. Ioannes Forbes, ep. tit. Vagen. *Vaga.*

Santiago del Extero. 6 apr. 1926, Ill. D. Ioannes Martinus Yaniz y Paz, ep. S. Iacobi de Estero.

Modena. 14 ap. 1926, Ill. D. Natalis Bruni, archiep. Mutinen.

Barcellona. 14. apr. 1926, Ill. D. Raymundus Guillamet y Coma, ep. Barcinonen.

Porto Luigi. 16 apr. 1926, Ill. D. Ioannes Bapt. Murphy, ep. Portus Ludovici.

San Salvador. 17 apr. 1926, Ill. D. Adulphus Perez y Aguilar, ep. S. Salvatoris in America.

Callipoli. 18 apr. 1926, Ill. D. Carolus Wisnar, ep. tit. Callipolitan.

Bosa. 24 apr. 1926, Ill. D. Angelicus Zanetti, ep. Bosanen.

Paranà 25 apr. 1926, Ill. D. Ioannes Abel Bazan y Bustos, ep. Paranen.

Romana Curia. 28 apr. 1926, Ill. D. Ioannes Prior, Decanus S. Rotae Romanae.

Romana Curia. 4 mai 1926, Ill. D. Leopoldus Capitani, Pro-Regens Cancellariae Apostolicae.

Bita. 6 maii 1926, Ill. D. Fridericus Eis, ep. tit. Biten.

Hobart. 7 maii 1926, Ill. D. Patritius Delany, ep. Hobarten.

Trivento. 14 maii 1926, Ill. D. Ieremias Pascucci, ep. Triventin.

Reggio Cal. 26 maii 1926, Ill. D. Rinaldus Camillus Rousset, archiep. Rheginen.

Fréjus. 31 maii 1926, Ill. D. Felix Guillibert, ep. Foroiulien.

Ermopoli. 9 iun. 1926, Ill. D. Georgius Glosauer, ep. tit. Hermopolitan. rit. lat.

PARS ALTERA

MONUMENTA

36. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Epistola Apostolica 2 feb. 1926

DE REBUS MEXICANIS

(A. A. S. 3, maii 1925, XVIII, 175)

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES (1)

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Studiosior cura Patris in afflictos, specialem erga ipsos affectum movet.

Paterna sane sollicitudo, qua Nos, pro supremo munere, quod divinitus obtinemus, omnes quotquot sunt ubique terrarum christifideles prosequimur, omnino postulat, ut, quos potissimum videamus maiore aegritudine affectos adeoque communis Patris studiosiore cura egentes, eos peculiari quadam voluntate diligamus. Huiusmodi autem impensissimas curas, vixdum ad Beati Petri Cathedram evecti sumus, in vos, venerabiles fratres, perlibenter contulimus, quos talibus vexationibus pressos comperissemus, quales in populo civili cultu atque humanitate ornato omnique fere ex parte catholico fieri plane dedeceret.

Confirmat reprobationem actorum gubernii.

Porro quam iniqua sint iussa et praescripta, quae apud vos a gubernatoribus Ecclesiae infestis in catholicos Mexicanae Reipublicae cives sancita sunt, vix attinet vobis dicere, qui cum eorum imperio iam diu gravemini, probe nostis ea

(1) *Ad RR. PP. DD. Iosephum Mora y del Rio, Archiepiscopum Mexicanum ceterosque Mexicanae Reipublicae Archiepiscopos et Episcopos: de iniqua condicione Ecclesiae in Mexico atque de Normis ad Catholicam Actionem ibidem promovendam.*

tam longe abesse ut « ordinatione rationis » nitantur et ad commune bonum, sicuti decet, conferant, ut, contra, ne legis quidem nomine digna videantur. Merita igitur laude Decessor Noster f. r. Benedictus XV vos honestavit, cum, eas leges iuste sancteque recusando, sollemnem expostulationem fecistis, quam Nosmet ipsi non tam per has Litteras ratam habemus quam Nostram facimus. Quam quidem ad publicam expostulationem improbationemque eo magis movemur, quod acrius in dies ab iis, qui apud vos rei publicae praesunt, bellum in catholicam Religionem producitur, atque ita profecto ut, quicquid Nobis ad Mexicanum populum in pace stabiliendum experiri licuit ac licet, id inane prorsus evadat et inefficax, magno quidem cum dilectissimae civitatis vestrae detrimento. Nemo enim ignorat, Delegatum Nostrum, quem vos, abhinc duobus annis, magnis quidem obsequii laetitiaeque significationibus excepistis, omni sane iustitiae fideique ratione posthabita, tamquam hominem incolumitati Reipublicae nociturum, e civitate ista expulsum fuisse, gravissima sane iniuria cum Nobismet ipsis, tum Episcopis universaeque Mexicanae genti inusta.

Iniuriosam memorat expulsionem Delegati Ap.

At si a publica tum improbatione deliberate Nos continuimus — quam quidem iure meritoque res postulavisset — et patienter diuque iniuriam tulimus atque a vobis flagitavimus et aequo item animo vosmet ferretis, id non modo studio pacis, quo movebamur, tribuendum erat, sed ardentissimae etiam spei, quam paterno animo fovebamus, fore ut Reipublicae gubernatores optima manifestaque iura Delegati Nostri agnoscerent et ultro faterentur.

Spe melioris condicionis S. Pontifex a publica improbatione continuerat,

Enimvero haec animi Nostri facilitas et moderatio haud infelicem exitum habuit, cum istius civitatis Moderatores aperte polliciti sint, se Delegatum Nostrum excepturos deque eiusdem dignitate et amplissimo munere nihil detracturos. Iam facile intelligitis, quam molestus Nobis acciderit novus ille prorsus inopinatusque nuntius, eosdem supremos civitatis Moderatores, recepta in se officia inusitato more posthabentes, (1) venerabilem fratrem Seraphinum Cimino, quem Delegatum Nostrum Apostolicum apud se recepissent, occasionem nactos eius discessus, ob infirmam valetudinem, e Mexicana regione, a reditu, nulla iusta causa rationeve, prohibuisse.

non infelici primum exitu, sed nunc, prohibito reditu Delegati Ap.

Quapropter istius rei publicae Moderatores, Delegatum Nostrum reiiciendo, ipsum ministerium Nostrum, quod uti pacis munus omnes fere Civitatum Rectores apud se recipiunt, om-

gubernium repudiat ministerium S. Pontificis.

(1) Cfr. documenta ad calcem relata.

nino repudiare conantur, et ad iniustam rationem reipublicae tractandae se vertunt, ut ea comprobant, quae apud vos eveniunt cum maximo catholicorum civium detrimento.

Acrius in dies urgentur iussa quibus Ecclesiae catholicae negatur libertas.

Acrius enim in dies infesta illa praescripta iussaque urgentur, quae si quidem serventur, iam eo ipso catholicis civibus non licet communibus iuribus uti et vel ipsa christianae religionis officia ac munera obire. Quam interea libertatem gubernatores catholicae Ecclesiae denegant, eam schismaticae sectae, quam « nationalem ecclesiam » vocant, ultro largiuntur; huius vero, cum sacris Romanae Ecclesiae iuribus repugnet, initia atque incepta fovent, dum vos Reipublicae infestos habent ea dumtaxat de caussa, quod avitae fidei patrimonium integrum atque incolume tuemini. At cum ob huiusmodi eventa summo maerore afficiamur, id unice animo Nostro haud parvum affert solacium, quod Mexicanum populum videmus schismaticorum machinationibus strenue adversari; quam ob rem dum providentissimo Deo plurimas grates agimus, placet sane vos, venerabiles fratres, cunctosque Mexicanae Reipublicae fideles amplissima laude decorare simulque adhortari vehementer ut catholicam Religionem tueri forti animo pergatis. Quae autem in sacro Consistorio die quarto decimo mensis decembris, superiore anno, coram amplissimo Purpuratorum Patrum consessu verba fecimus, ob aerumnas quibus vexabamini vehementer commoti, libet hic vobis iterando referre: « spem meliorum temporum concipere animo haud possumus, nisi e praesentiore aliquo Dei miserentis auxilio, quod supplices cotidie imploramus, atque e concordi quadam laborum disciplina ad actionem catholicam in populo ipso promovendam ».

Solacium capit e constantia Episcoporum et populi,

Nulla iam spes nisi e praesentiore Dei auxilio.

Hortatur ad actionem catholicam propagandam, alienam a politicae factionis studio.

Praecipua igitur consilia et monita Nostra eo unice spectant, ut vos paterno animo incitemus ad « actionem catholicam » magis magisque in dies mutua conspiratione et summa disciplina in grege curis cuiusque vestris concredito propagandam. Actionem catholicam, inquimus; etenim, in praesenti potissimum haud commoda rerum condicione, oportet omnino, venerabiles fratres, ut vos, simulque omnes e clero et ipsae catholicorum consociationes, a quovis politicarum factionum studio prorsus abstineatis, ea quoque de causa ut catholicae fidei adversariis ansam ne detis ad religionem vestram habendam pro parte aliqua factioneque politica. Omnes igitur catholici Reipublicae Mexicanae, qua tales, civilem partem nomine catholicam ne constituant; et Episcopi praesertim ac sacerdotes, uti laudabiliter iam instituerunt, nullam partem poli-

Ne constituatur civilis pars nomine catholica.

ticam sequantur neque dent operam ephemeridibus cuiuslibet politicae factionis conscribendis, cum munus suum ad omnes fideles, imo cives, necessario spectet.

Minime ideo prohibentur civilia iura et munia exercere

Huiusmodi sunt, venerabiles fratres, consilia et praescripta Nostra: quae quidem christifideles, ut debent, fideliter tenendo et in usum deducendo, haud prohibebuntur, quin civilia iura et munia exerceant ceteris civibus communia; imo etiam, cum sua fides, tum coniunctum Religionis et Patriae bonum postulant, ut eiusmodi iuribus et muniis ipsi optime utantur. At ne clero quidem licebit a re civili omnino vacare et civilium rerum curam sollicitudinemque deponere et abiicere; quin immo, etsi a quovis partium studio alienus, debet, pro sacerdotali officio, et dummodo sacro muneri nil inopportune detrahat, utilitates Civitatis suae provehere, scilicet non solum civilibus iuribus officiisque suis diligenter religioseque exercendis, verum etiam fidelium animis in exemplum recte conformandis, prout Dei et Ecclesiae leges exigunt, ita ut sua quisque publica munera studiose obeant.

Latus campus actionis catholicae

Ad nobilissimum hoc propositum assequendum, clero quidem vestro, etsi is debet, ut diximus et iterum atque iterum hortamur, a cuiusvis partis contentione liber esse et solutus, latus tamen patebit campus, in quo de religione et moribus, de animorum cultu ac de re oeconomica sociali sic curet, ut cives et praecipue iuvenes liberalibus studiis deditos et operarios ad catholice sentiendum agendumque instituat atque effingat. Quod ipsum si vos, hortamentis Nostris fideliter respondentes, exsequendum sedulo diligenterque curabitis, Nobis plane persuasum habemus, fore ut gravissimae aegritudines quibus tamdiu angitur nobilissima Mexicana gens, feliciter aliquando, opitulante Deo, residant ac conquiescant. Caelestium interea munerum auspex singularisque benevolentiae Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam tum vobis, venerabiles fratres, tum cuncto clero fidelibusque uniuscuiusque vestris et universo Mexicano populo amantissime impertimus.

Ap.ca benedictio

Dies (2 feb. 1926).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die II mensis februarii, anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. XI

ANNOTATIO

Huic epistolae subiunguntur documenta anni 1924, quibus constat a gubernio Mexicano promissum esse

fore ut Delegatus Ap. exciperetur et in re publica Mexicana permanere posset, nec, si qua gravis difficultas exoritura esset, a gubernio removeretur, sed a S. Sede peteretur eius remotio.

Subinde inseritur chirographus, datus sabbato sancto 1926, ad Em. Card. Vicarium, quo S. Pontifex vult ut, praesertim per hebdomadam paschalem, ex Urbe et ex Orbe ascendant supplices preces pro afflictis fratribus Mexicanis.

37. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Epistola 15 iun. 1926

DE ECCLESIAE OPERA IN SINARUM GENTES
(A. A. S., 2 aug. 1926, XVIII, 303)

AD RR. PP. DD. VICARIOS ET PRAEFECTOS APOSTOLICOS SINARUM REGIONIS: ADVERSUS QUASDAM FALLACES OPINIONES DE ECCLESIAE OPERA IN EAS GENTES.

PIUS PP. XI

Constans sollicitudo de Missionibus,

Venerabiles fratres ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Ab ipsis pontificatus primordiis, omnem curam ac sollicitudinem Nostram ad sacrarum Missionum incrementum atque profectum contulimus, earum praesertim, quae inter populos in tenebris et in umbra mortis adhuc sedentes constitutae sunt. Cuius quidem magnae Nostrae sollicitudinis argumentum praebuimus Epistola Encyclica *Rerum Ecclesiae* paulo ante edita, qua, sollertem Missionalium industriam ad novas atque accuratiores normas dirigentes, clerum et fideles, ut precibus atque opibus evangelicos operarios adiuvarent, enixe in Domino hortabamur. Ex omnibus tamen gentibus, ad quas evangelicae doctrinae lumen afferri debet, illae maxime Nobis cordi sunt quae extremas orbis partes incolunt, in primisque ad istam regionem oculos animumque Nostrum in dies sollicitiorem convertimus. Etenim ingens illa hominum multitudo, qui per istam tam dissitam tamque immensam regionem vitam agunt, ii quidem, et ob animi laudes et ob innatam probitatem, non modo ad perfectiorem vitae cultum pervenere,

Specialiter extremarum orbis partium,

quae tantam spem dant felicis messis, ut facto demonstratur.

sed etiam bonam certamque spem non semel attulerunt, se Evangelii praeconibus in disciplinam libenter tradituros. Cuius quidem tam laeti eventi exspectationem res mirifice comprobavit; in praesenti enim vos, venerabiles fratres ac dilecti filii, magno gaudio laetitiaque summa afficimini, cum vos fidelibus plurimis undique circumsaeptos videatis, quorum non pauci aut parentibus gloriantur pro Christo caesis, aut ipsimet « digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati » (*Act. Apost.*, v, 41). Sanctissimum tamen Missionalium opus istic uberius proveheretur si vana illa fallaxque exstirparetur opinio, quae longe lateque in dies percrebrescit, quaeque in istorum hominum, praesertim iuvenum, animis — ut sunt plerumque rudes atque ignari — radices penitus agit, Ecclesiae nempe Catholicae eiusque Missionalium operam non ad ea dumtaxat spectare quae Religionis sunt, sed publicis studiis consiliisque exterarum gentium servire, atque idcirco obstare quominus populi a se evangelicâ doctrinâ collustrati vel sui iuris fiant vel ea, quae sunt suae nationis postulata, libere vindicent. Quo in genere non est dubitandum quin publicarum rerum vicissitudines et inflammatum concitatumque nationis partiumve studium, quod raro ab intemperantia disiungitur, interdum ad errorem huiusmodi disseminandum, tam exitialem Ecclesiaeque iniuriosum, ut ex ratione ipsa atque experientia constat, satis valuerint. Ex quo quidem exitiali errore cum in populorum ac principum suspicionem Ecclesia cadat ac vocetur, quasi insidias eorum iuribus struat, miserrime evenit un animi a catholica fide abalienentur. At profecto vel unum Ecclesiae « catholicae », idest « universalis », nomen ostendit, ipsam ad omnes gentes pertinere universosque populos complecti, nullamque in ea, ex divina Christi Conditoris voluntate, esse posse stirpis vel generis distinctionem. « Ubi non est gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus » (*Ad Col.*, III, 11). Omnes enim homines fratres sunt: « Omnes vos fratres estis », quippe qui ex uno eodemque Patre sint progeniti: « Unus est enim Pater vester qui in caelis est » (Matth., XXIII, 8-9); et salutaris Redemptionis fructus omnibus omnino offertur, quo ius ad aeternam beatitatem consequendam acquiritur: « heredes quidem Dei, coheredes autem Christi » (*Ad Rom.*, VIII, 17). Quapropter evangelicam doctrinam omnibus gentibus praedicari oportet, praecipiente Christo: « Praedicate Evangelium omni creaturae » (Matth., XV, 15). Missionales vero non a civilis societatis moderatoribus, sed ab ipso Deo ad hoc sanctum peragendum opus vo-

Sed falsa opinio propellenda est de humana ambitione Ecclesiae in gratiam aliarum gentium.

Exitiosus error refellitur variis argumentis.

cantur: « Non vos me elegistis sed ego elegi vos » (Ioan., XV, 16), iidemque ab Ecclesia concionandi munus atque officium suscipiunt. Hi ergo non humani sed divini praecones sunt, qui, quod Apostolis Christus opus concredidit, id ipsum religiose prosequuntur. Divinis vero mandatis atque praeceptis Ecclesia nullo tempore defuit, omnique diligentia ac studio populos fovit, quibus christianae veritatis beneficium contulisset; immo etiam eorum iura a principum gubernatorumve arbitrio ac dominatu una saepius vindicavit, quemadmodum historia luculentissime testatur. Itaque ipsa in universum a suis administris, singulari vero ratione ab iis, qui in sacris expeditionibus a se missi elaborarent, quodlibet suae cuiusque nationis studium arcere perpetuo nisa est, ut iidem « quaerentes non quae sua sunt, sed quae Iesu Christi » (*Ad Philipp.*, II, 21) et ferentes « nomen Iesu coram gentibus et regibus » (*Act.*, IX, 15) tantummodo Dei gloriae animarumque saluti operam darent assiduam. Quod si interdum — quod rarius profecto contigit — unus vel alter ex evangelicis operariis de hoc, quod Ecclesia constanter tenet, itinere deflexit, ipsa et hanc agendi rationem reprobavit et huiusmodi incommodo opportunis remediis occurrit. Quae autem in indigenis presbyteris instituendis cura adhibetur, ut ii non modo auxilium opemque Missionalibus exteris ferant, sed etiam, cum numero, prout necessitas postulat, creverint, paullatim in eorum locum substituantur, ea ipsa nonne clare manifestat, Ecclesiam et verbis et re illum, quem supra memoravimus, intempestivum patriae amorem a suis administris omnino amovere velle? Neminem tamen latet, primum Evangelii semen fere semper ab exteris presbyteris iactum esse, qui, secundum illud divini Magistri: « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae », suam quisque patriam reliquerunt, ut fratribus evangelicam lucem afferrent. Ita hanc Almam Urbem Petrus Galilaeus et Paulus Tarsensis ad Christi fidem amplectendam profitendamque vocarunt; ita Titus et Timotheus, Episcopi, Cretenses et Ephesinos catholicae fidei veritates docuerunt, quamvis ii essent alienigenae; ita Patricius, in Caledonia natus, Hiberniae apostolus est factus; ita Bonifacius, Britannus, Germanos Christo lucratus est. Quem quidem morem si usque in hodiernum diem, pro temporum ac locorum condicionibus, Ecclesia servavit, institit tamen Missionalibus suis, ut puerulos indigenas bonae spei rite instituendos et aliquando sacerdotio initiandos susciperent, cum sibi persuasum esset, haud aliter Christi regnum ubivis constitui ac stabiliri posse. Ad rem sufficit ea recolere

Conatus Ecclesiae de clero indigena

salutaria monita, quae fel. rec. decessor Noster Benedictus XV in Enc. Litt. *Maximum illud* adhibuit; atque eadem non ignoratis Nosmet, per Encyclicas Litteras *Rerum Ecclesiae* paulo ante datas, et fusius et vehementius iterasse. Quae quidem Ecclesiae hortationes exitum, Deo dante, tam laetum profecto habuere, ut hodie ad meliorum rerum spem animum Nos erigere possimus; vobismet enim ipsis plures iam presbyteri indigenae praesto sunt, qui in Christi regno amplificando vobiscum fructuose elaborant atque desudant, et sacerdotes Sinenses nonnulli gubernationem Ecclesiae participant habentque vobiscum communem. Sint igitur Deo — bonorum omnium datori — grates quam maximae, quod per hunc Pontificatus Nostri decursum auspicato contigit ut plures sacrae Missiones recens conditae clero Sinensi committerentur. Id ipsum ut haud mediocrem gaudii laetitiaeque causam Nobis affert, ita fieri non poterit quin et Missionales alienigenas et Sinenses ipsos vehementer delectet, cum ii praeclaros omnium laborum a se atque a decessoribus exantlatorum fructus iam colligant, hi autem diem illum appetere iam atque illucescere sentiant, quo vota sua atque optata, eximio tot evangelicorum operariorum beneficio, expleantur. Interea quid catholico orbi pulcrius visu quidve antiquius, quam ut Episcopi sacerdotesque alienigenae, cum Episcopis atque presbyteris sinensibus fraterna caritate coniuncti, communiter omnes Ecclesiae incremento atque Sinarum bono promovendo dent operam? Hisce quidem de rebus sane gravissimis, vos, venerabiles fratres ac dilecti filii, alloqui placuit, ut eas ipsas in animum mentemque sacerdotum ac fidelium, quibus praeestis, redigatis; quo in genere fideles potissimum commoneri oportet hodie, ne in errorem ab iis inducantur qui, patriae nomine atque causa praepostere interpositis, eo unice spectant ut cives suos Ecclesiae Dei inimicos reddant. Id propterea alloquendo scribendoque efficite ut vel ii, qui extra Ecclesiae saepta infeliciter vagantur, germanam saltem eiusdem notionem acquirant, eamque talem societatem habeant atque agnoscant, cuius sit ea dumtaxat quae pertinent ad Dei cultum aeternamque animarum salutem per perfectae caritatis exercitationem curare. Cavet enim Ecclesia ne se in civilia negotia inque civitatis rationes immisceat atque interponat; nec unquam passa est, Missionales opera sua exterarum civitatum aut consiliis favere aut utilitates provehere. Praeterea nemo ignorat — quod ipsum historia omnium temporum testatur — Ecclesiam ad eas, quae cuiusvis nationis aut regni propriae sunt, leges aut constitutiones, sese accommodare; eorum,

Laetatur Pontifex de commissis clero Sinensi pluribus missionibus. Quod debet esse causa communis gaudii Missionalium.

Ecclesia ad proprias gentium leges se accommodat,

qui civili societati legitime praesunt, dignitatis rationem habere atque inculcare; nihil aliud pro evangelicis operariis et christifidelibus quam commune ius, incolumitatem atque libertatem exposcere. Quod si quibusdam in regionibus rerum publicarum administratores Ecclesiae patrocinium interdum susceperunt, hoc ipsa non in indigenarum detrimentum usa est, sed unice ut se suosque in tuto ab malorum hominum vexationibus collocaret. In comperto enim est, id ad quamlibet rempublicam, iure proprio ac nativo, spectare, ut omnium civium suorum ubique terrarum commorantium vitam, iura et bona tueatur; quam quidem tutelam, praesertim cum vexarentur, ipsi Missionales experti sunt. Itaque Apostolica Sedes eiusmodi defensionem non recusavit, eo dumtaxat consilio ut sacras Missiones ab arbitriis atque iniuriis malorum hominum subtraheret; minime vero ut iis aliis faveret propositis, quae forte gubernatores exterarum gentium, data opportunitate, cives suos protegendo, haberent. Utinam, quae supra diximus ita vulgo accipiantur ut in ista tam ampla Nobisque tam dilecta natione, falsa qualibet suspicione remota, omnes in Ecclesiam atque in Missionales inimicitiae deponantur ac desistant! Enixas autem Deo preces admoventes ut pacem prosperitatemque Sinarum gentibus largiatur, vobis, venerabiles fratres ac dilecti filii, Missionalibus et christiano populo cui praeestis, in caelestium munerum auspicium atque in paternae Nostrae caritatis testimonium, Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Qua mente praesidio principum usa est.

Optat S. Pontifex ut falsa suspicio removeatur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XV mensis iunii anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

Dies (15 iun. 1926).

PIUS PP. XI

38. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Homilia 28 oct. 1926

AD NOVENSILES EPISCOPOS SINENSES

(A. A. S. 3 nov. 1926, XVIII, 432).

Venerabiles Fratres (1)

Iam finis est et solemnes expleti sunt ritus quibus plenitudinem sacerdotii prope Apostolicos Cineres vobis impertivi-

S. Pontifex explicat qua opportuna die usus

(1) Ad novensiles episcopos e clero indigena Sinensi, habita inter missarum solemnia consecrationis eorundem in festo SS. App. Simonis et Iudae, die XXVIII oct. MDCCCCXXVI, in Basilica Vaticana.

sit et quanto gaudio perfussu ob consecratos primum a R. P. episcopos eclero sinensi.

mus; quam quidem impertire, ut res Nobis vobisque iucundior ac memorabilior accideret, hoc ipso die maluimus quo die ante septem annos Nobismet sacer collatus est Episcopalis ordo. Pro quo pretiosissimo munere Deo optimo maximo donorum omnium datori vobiscum, Venerabiles Fratres, gratias agimus et habemus habebimusque immortales. Nunc autem tacitum continere gaudium non possumus quo toti perfundimur ob consecratos primum a Romano Pontifice e Clero Sinensi praepositosque vicariatibus nonnullis ad catholicum nomen propagandum et Christi regnum inter suos dilatandum indigenas Episcopos. Initum valde salutariter consilium — quod et vehementer expetimus et Deo dante confidimus posse et alibi ad effectum gradatim deduci — videmur haud minus exsecuti feliciter. Vos enim in Urbem, quae christianae Religionis quasi centrum constituta est, convocari decrevimus, in hac tanta Petriani templi sanctitate ac maiestate consecrandos, ut, qui Sinensis Episcopatus flores estis et germina novella, iidem sacra aucti potestate sacrisque infulis redimiti, ad vestras regiones hinc verteremini; hinc, inquimus, ubi fons manat omnis apostolatus. Venistis quidem, Venerabiles Fratres, *videre Petrum,* immo etiam ab eo pedum accepistis, quod ad apostolica obeunda itinera ad ovesque congregandas uteremini. Petrus autem est vos peramanter complexus, qui evangelicae veritatis apud cives vestros proferendae spem facitis non exiguam.

Quonam consilio eos Romam convocaverit.

Laetitia populi Sinensis.

Atque cives vestri, qui habent scilicet patriam illam immensam vobiscum communem, quae litterarum optimarumque artium cultu iam inde ab extrema antiquitate floruit, ut Apostolicae Sedis consilium universe probavere — ii saltem qui non sunt abalienato a quavis religione animo — ita, imprimisque catholici, vos, Venerabiles Fratres, omnibus laetitiae pietatisque suae testimoniis prosecuti et Romam profecturos plaudendo consalutarunt. Dignitatem igitur episcopalem coniunctosque cum ea maximos labores sic sustinete et ferte, ut, Nostrae populariumque vestrorum exspectationi respondentes, novam generosamque subolem Ecclesiae pariatis. Illud enim Christi Domini vobis quoque Christi Vicarius in hac solemni hora significare iure potest: « Levate capita vestra et videte regiones — regiones illas vestras immensas — quia albae iam sunt ad messem » et iterum: « Ite et vos in vineam meam »; iterumque: « Ite, praedicate, docete, baptizate, benedicite: Ego enim elegi vos, ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat ». Fiat fiat!

Hortatio ad Apostolicos labores.

39. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Breve 24 aug. 1926

S. IOANN. A CRUCE DOCTOREM RENUNTIANS

(A. A. S., 1 oct. 1926, XVIII, 379)

PIUS PP. XI.

Ad perpetuam rei memoriam. — Die vicesima septima m. decembris a. MDCCXXVI rec. mem. Decessor Noster Benedictus PP. XIII in Sanctorum numerum retulit S. Ioannem a Cruce, qui, primus Ordinis Excalceatorum Carmeli professor, una cum Theresia a Iesu Carmelitarum Ordinem reformavit. In Bulla autem canonizationis non modo Sancti ipsius, ob austeritatem omniumque virtutum exercitationem, mirabilis vita, sed eiusdem quoque scientia sacris in rebus amplissime laudatur; et re quidem vera Deus illum providentissimus excitaverat saeculo sextodecimo, inter ceteros doctrina ac sanctitate perinlustres viros, quibus tunc temporis Ecclesia Catholica fulsit, ut mysticae Christi Sponsae illatas ab haereticis protestanticis iniurias ac damna reficeret erroresque peculiares refutaret. Natus ipse in oppido *Fontiveros,* intra Hispaniae fines, nuncupato, die XXIV m. iunii a. MDXXXXII, ac vicesimoprimo aetatis suae anno Carmelitarum Ordinem ingressus, in celeberrimo athenaeo Salmantino philosophicas ac theologicas disciplinas didicit. Anno, quo etiam auctus est sacerdotio, MDLVII, sanctam Theresiam novit, quae cum iam Carmeli sorores ad strictiorem observantiam adduxisset, huiusmodi reformationem ad religiosos quoque viros Carmelitarum Ordinis producere admodum cupiebat. Sanctae Theresiae optatis plene adhaerens Ioannes inceptisque studiosissime favens, habitum Carmelitarum Reformatorum induit eorundemque Regulae observantiam iniit. Tyronum magister propterea ac primus collegii Alcalensis de Henares moderator renuntiatus est; at paulo post sororum Carmelitarum veteris observantiae Abulae confessarius nominatus, per vim captus in carcerem coniicitur. Novem per menses in vinculis detentus, ad christifidelis animae cum Christo sponso mysticam unionem celebrandam, atque ad effectus orationis multiplices ac suaves

Memorata canonizatione, a. 1726, cum laude scientiae iam tunc tributa S. Ioanni;

breviter narratis fatis eius vitae

et scriptis eximiis per quae magnam auctoritatem sibi conciliavit;

affectusque declarandos, *Canticum Spirituale* conscribit, quod serius considerationibus quoque notisque explanavit. Mirabili modo e carcere liberatus, in coenobio, antea, quod a Calvario nuncupatur, in ceteris, postea, domibus, quas officiorum suorum causa incoluit, alia parat scripta, quibus, quasi superno lumine inlustratus, perfectionis semitam, perspicua caelestium charismatum commentatione, animabus ostendit. Licet de arduis ac reconditis argumentis agant, *Adscensus ad Carmelum, Obscura Nox, Flamma amoris viva* ac nonnulla alia ab ipso exarata opuscula atque epistolae, tanta nihilominus spirituali doctrina pollent, atque ita ad intuitum legentium aptantur, ut merito codex et schola animae fide is videantur, quae perfectiorem vitam aggredi studeat. Recte igitur in Canonizationis bulla Ioannem a Cruce « libros de Mystica Theologia caelesti sapientia refertos » conscripsisse affirmatur; atque huiusmodi magni momenti iudicio fere omnes postea adhaesere. Tantam enim progressu temporis in mystica ascesi nactus est auctoritatem Ioannes post mortem suam, quae anno salutis MDXCI accidit, ut sacrae disciplinae scriptores et sancti quidem viri continenter in eo ipso magistrum sanctitatis pietatisque experti sint, atque ex ipsius doctrina scriptisque, quasi e christiani sensus atque Ecclesiae spiritus limpido fonte, in spiritalibus rebus pertractandis hauserint.

Propter vota iam antea expressa et nunc renovata, per occasionem secundi anni saecularis a canonizatione,

Nil mirum itaque quod iam anno MDCCCXCI nonnulli Cardinales, una cum hispanicis Episcopis, tertio occurrente anno centesimo ab obitu S. Ioannis, enixas Decessori Nostro Leoni Pp. XIII preces adhibuerit, ut Doctorem Ecclesiae eundem Sanctum declarare dignaretur; postea vero hac de re vota quam plurima tum catholicarum Studiorum Universitatum moderatores tum Religiosorum Coetuum praelati ad hanc Sanctam Sedem continuo tulerunt. Quapropter cum hodiernus Praepositus generalis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, secundi a canonizatione anni saecularis, proxime celebrandi occasionem nactus, unanimis Capituli generalis sui Ordinis optata referens, Nos modo suppliciter exoraverit, ut ipsum Ioannem a Cruce Doctoris Ecclesiae titulo exornare velimus, atque votis huiusmodi tum S. R. E. Cardinales, tum Archiepiscopi atque Episcopi quam plurimi, nec non conspicui sive e clero sive e popularibus, sive denique e Studiorum Institutis coetibusque viri suffragentur, Nobis peropportunum visum est tam magni momenti rem pro voto ac sedulo studio Sacrae pro Ritibus tuendis Romanae Congregationi committere; quae man-

dato Nostro parens ex officio ad rem idoneos examinandam viros deputavit. Exquisitis itaque atque obtentis eorundem separatis suffragiis atque etiam praelo impressis, illud tantum supererat ut Sacrorum Rituum Congregationi praepositi rogarentur an, consideratis tribus, quae post rec. mem. Decessorem Nostrum Benedictum Pp. XIV in Ecclesiae universalis Doctore enumerari solent, requisitis: insigni, scilicet, vitae sanctitate, eminenti doctrina, ac Summi Pontificis declaratione, procedi posse censerent, ed Sanctum Ioannem a Cruce Doctorem Ecclesiae universalis declarandum; atque in ordinario conventu die XXVII mensis iulii, proxime elapsi, in Aedibus Vaticanis habito, S. R. E. Cardinales Sacrorum Rituum Congregationi praepositi, a venerabili Fratre nostro Antonio S. R. E. Cardinali Vico, Episcopo Portuensi ac S. Rufinae, eiusdem Sacrae Congregationis Praefecto debita rerum relatione facta, audito quoque dilecto filio Carolo Salotti, Fidei promotore generali, sententiam affirmativam, umanimi consensu, dixerunt. Quae cum ita sint, Nos, votis Carmelitarum Excalceatorum omnium ceterorumque suffragatorum ultro libenterque concedentes, praesentium Litterarum tenore, certa scientia ac matura diliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Sanctum Ioannem a Cruce, confessorem, Ecclesiae universalis Doctorem constituimus, declaramus. Non obstantibus constitutionibus atque ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere: suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

attenta unanimi suffragatione S. R. C.

S. Pontifex, optatis quoque Carmelitarum Excalc. ultro concedens.

S. Ioannem a Cruce Eccl. Univ. Doctorem constituit et declarat.

Clausulae

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIV mensis augusti anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

Dies (24 aug. 1926).

P. *Card.* GASPARRI, *a Secretis Status.*

40. SS. D. N. Pii Pp. XI.

Epistola 5 sept. 1926

De « Action française »

(A. A. S., 1 oct. 1925, XVIII, 382)

PIE PAPE XI

S. Pontifex laudat zelum Card. Andrieu, additis rationibus.

Cher fils, (1) salut et bénédiction apostolique. — Nous avons lu avec plaisir la réponse de Votre Éminence au groupe des jeunes catholiques qui l'ont interrogée au sujet de l'*Action Française*. Nous y avons trouvé un nouveau et très-haut témoignage de la sollicitude pastorale et de la vigilance paternelle de Votre Éminence Révérendissime, pour le bien des âmes et particulièrement de la jeunesse sans cesse menacée de nos jours. Votre Éminence signale de fait un danger d'autant plus grave dans le cas présent qu'il touche plus ou moins directe-

---

RÉPONSE DE S. É. LE CARDINAL ARCHEVÊQUE DE BORDEAUX À UNE QUESTION POSÉE PAR UN GROUPE DE JEUNES CATHOLIQUES AU SUJET DE L'« ACTION FRANÇAISE ».

Mes chers Amis, Vous me demandez si l'on peut suivre, en toute sûreté de conscience l'enseignement donné, dans leur Institut et dans leurs diverses publications, par les dirigeants de l'« Action française ». La question est délicate, mais je n'essaierai pas de l'éluder, car je dois la vérité à tous, a plus forte raison aux jeunes, puisqu'ils portent en eux l'avenir. Je dois la vérité a tous, et je la dirai avec toute la franchise nécessaire, au risque de causer quelque surprise à des hommes dont j'admire le talent, mais dont les doctrines m'épouvantent.

Si les dirigeants de l'« Action française » ne s'occupaient que de politique pure, s'ils se contentaient de rechercher la forme de pouvoir la mieux adaptée au tempérament de leur pays, je vous dirais tout de suite : Vous êtes libres de suivre l'enseignement que donnent, de vive voix ou par écrit, les maîtres de l'« Action française ». L'Église, interprète des volontés divines, permet à ses fils d'avoir des préférences au sujet de la forme du Gouvernement. Il suffit, pour s'en convaincre, de lire ce passage de l'Encyclique de

---

(1) *Ad E.mum P. D. Paulinum Petrum titulo S. Honuphrii in Ianiculo S. R. E. presb. card. Andrieu, archiepiscopum Burdiguiensem, cuius epistolam approbat et dilaudat.*

ment, et sans qu'il y paraisse toujours, à la foi et à la morale catholique; il pourrait insensiblement faire dévier le véritable esprit catholique, la ferveur et la piété de la jeunesse, et dans les écrits comme dans les paroles, offenser la délicatesse de sa pureté; en un mot, abaisser la perfection de la pratique chrétienne et, plus encore, l'apostolat de la véritable « action catholique » à laquelle tous les fidèles, les jeunes gens surtout, sont appelés à collaborer activement pour l'extension

---

Léon XIII, sur le ralliement : « Dans cet ordre d'idées, les catholiques, comme tout citoyen, ont pleine liberté de préférer une forme de Gouvernement à l'autre, précisément en vertu de ce qu'aucune de ces formes ne s'oppose, par elle-même aux données de la saine raison et aux maximes de la doctrine chrétienne ».

Vous pourriez encore suivre l' enseignement donné par les dirigeants de l'« Action française », si, sans abandonner leurs préférences pour telle forme de pouvoir, ils se renfermaient dans le travail de la politique, qui n'est pas indépendante de la loi morale ; étudiant, avec leurs élèves, le moyen de faire voter de bonnes lois et d'obtenir le redressement de celles qui sont mauvaises et qui attentent, comme les lois de laïcité, aux droits imprescriptibles de Dieu, de Jésus-Christ, de l'Église, des Congrégations religieuses, de la famille et des âmes. Le Pape Léon XIII reconnait la légitimité d'un pareil enseignement, dans cet autre passage de la même Encyclique : « Et voilà précisément le terrain sur lequel, — tout dissentiment politique mis à part — les gens de bien doivent s'unir pour combattre, par tous les moyens légaux et honnêtes, les abus progressifs de la législation. Le respect que l'on doit aux pouvoirs constitués ne saurait l' interdire. Il ne suppose ni le respect, ni beaucoup moins l'obéissance sans limite à toute mesure législative quelconque, édictée par ces mêmes pouvoirs ».

Mais les dirigeants de l' « Action française » ne s'occupent pas seulement de la politique qui discute sur la forme du pouvoir et de la politique qui en règle l'exercice. Ils étudient, devant leurs élèves, bien d'autres problèmes qui relèvent directement du magistère ecclésiastique, et dont les membres de l' Église enseignée — seraient-ils prêtres, princes ou dirigeants de l' « Action française », — ne peuvent traiter, si l' Église enseignante représentée par le Pape et les Evêques, ne les y autorise par une délégation délivrée à la suite d'un examen constatant leur capacité et leur orthodoxie.

Les dirigeants de l' « Action française » n'ont pas jugé à propos de solliciter cette licence d'enseignement que l'Autorité ecclésiastique leur aurait d'ailleurs refusée, à cause des multiples et graves erreurs qu' ils ont commises en exposant leur système religieux, moral et social.

Les dirigeants de l' « Action française » se sont occupés de Dieu. Quelle idée en ont-ils? Ils le regardent comme inexistant ou inconnaissable, et ils se déclarent, de ce chef, athées ou agnostiques. L'oracle des dirigeants de l' « Action française » publia, dans sa jeunesse, un ouvrage intitulé : *Le chemin du paradis*, qu'il a fait rééditer en 1920, après quelques suppressions et corrections de pure forme. Or, *Le chemin du paradis* est un recueil de contes licencieux dont l'athéisme rivalise avec celui de nos contemporains les plus réfractaires á l'idée religieuse.

Distinctione facta inter quaestiones mere politicas, et rebus quae ad religionem et mores intersunt,

et l'affermissement du règne du Christ dans les individus, dans les familles, dans la société. C'est donc fort à propos que Votre Éminence laisse de côté les questions purement politiques, celle par exemple de la forme de gouvernement. Là-dessus, l'Église laisse à chacun la juste liberté. Mais il n'est

---

Les dirigeants de l'« Action française » se sont occupés du Verbe de Dieu incarné dans le sein d'une Vierge. Quelle idée en ont-ils? On peut s'en rendre compte en parcourant un autre ouvrage du même chef de l'« Action française »: *Antinea,* dont le premier titre fut: *Promenades païennes.* Dans l'édition de 1923, l'auteur a supprimé, pour raison de convenance, quatre pages blasphématoires sur le Nazaréen et la Nuit du christianisme, mais il n'y a aucune rétractation, et bien d'autres impiétés ont été maintenues.

Les dirigeants de l'« Action française » se sont occupés de l'Église. Quelle idée en ont-ils? Ils repoussent tous les dogmes qu'elle enseigne. Elle enseigne l'existence de Dieu et ils la nient, car ils sont athées. Elle enseigne la divinité de Jésus-Christ, et ils la nient, car ils sont antichrétiens. Elle enseigne qu'elle a été fondée elle-même par le Christ, Dieu et Homme, et ils nient son institution divine, car ils sont anticatholiques, malgré les éloges parfois très éloquents qu'ils décernent à l'Église, dans un but qui n'est peut être pas tout à fait désintéressé. Selon le mot d'un célèbre théologien placé naguère sur les autels, l'Eglise est une « monarchie tempérée d'aristocratie », et cette organisation dans l'ordre religieux peut attirer des partisans à l'organisation de même nature, que les dirigeants de l'« Action française » cherchent à établir dans l'ordre politique. Catholiques par calcul et non par conviction, les dirigeants de l'« Action française » se servent de l'Église, ou du moins ils espèrent s'en servir, mais ils ne la servent pas, puisqu'ils repoussent l'enseignement divin qu'elle a mission de propager.

Quand on renie Dieu, son Christ et son Église, il est difficile, pour ne pas dire impossible, de construire une morale, la morale vraie, la morale traditionnelle, la morale à base religieuse, la morale du devoir, expression d'une volonté divine. Aussi, les dirigeants de l'« Action française », en particulier leur chef, celui qu'ils appellent le Maître, ont dû se réfugier dans l'amoralisme. Ils ont fait table rase de la distinction du bien et du mal, et ils ont remplacé la recherche de la vertu par l'esthétisme, ou le culte de la beauté, et par l'épicurisme, ou l'amour du plaisir. Le chef de l'« Action française » réprouve tout système qui, comme le christianisme, fait de l'effort à la vertu la règle des actes volontaires, la base des institutions sociales et le principe du progrès social de l'humanité. Faut-il s'étonner qu'il se montre si prodigue de mépris et de sarcasmes contre ce qu'il appelle les doctrines « vertuistes »?

D'après les dirigeants de l'« Action française » la société est affranchie comme l'individu de toutes les prescriptions de la loi morale, et ils essaient de justificier cette indépendance à l'aide de deux sophismes: la stabilité du type de l'homme et l'immutabilité foncière de la société régie comme l'homme par des lois physiques qui excluent la moralité, puisqu'elles empêchent l'exercice de la liberté.

Les dirigeants de l'« Action française » invoquent à l'appui de leur thèse cet autre argument fantaisiste: l'humanité est divisée en deux classes, ou plutôt deux régnes: l'homme non lettré, que le maître de cette école appelle « l'im-

pas, au contraire, également libre, Votre Éminence le fait bien remarquer, de suivre aveuglément les dirigeants de l'*Action française*, dans les choses qui regarderaient la foi ou la morale. Votre Éminence énumère et condamne avec raison (dans des publications non seulement d'ancienne date) des manifestations d'un nouveau système religieux, moral et social, par exemple au sujet de la notion de Dieu, de l'Incarnation, de l'Église, et généralement du dogme et de la morale catholique, principalement dans leurs rapports necessaires avee la politi-

---

bécile dégénéré », et l'élite des hommes instruits. Or l'humanité doit se conserver telle que la nature l'organise. Elle est donc finalement condamnée à n'avoir d'autre règle de conduite que l'immobilisme.

Et pour combler le vide causé par l'absence complète de la loi morale, les dirigeants de l' « Action française » nous présentent une organisation sociale toute païenne où l'État, formé par quelques privilégiés, est tout, et le reste du monde rien

Aussi osent-ils proposer de rétablir l'esclavage! Et qu'on ne leur parle pas d'une revendication quelconque de l'individu à l'encontre du pouvoir. La raison d'État sera supérieure à toute considération de justice et de moralité ; car, dit le chef de l' « Action française » : « la morale naturelle prêche la seule vertu qui est la force », et selon le mot d'un autre maître de la même école, « toute force est bonne, en tant qu'elle est belle et qu'elle triomphe ».

Du reste les prétendues lois physiques, dont la société relève exclusivement, fonctionnent avec une exactitude sidérale. C'est ce qui fait dire au chef de l' « Action française » : « Défense à Dieu d'entrer dans mon observatoire ! »

Les sociologues qui prononcent cet ostracisme si outrageant pour la majesté divine, prétendent faire respecter ce qu'ils appellent « l'équilibre du monde ». Mais ils oublient cette grave leçon du psalmiste royal, tant de fois confirmée par l'histoire : « Si le Seigneur ne garde pas la cité, c'est en vain que ceux qui la gardent exercent autour d'elle une surveillance attentive ».

Athéisme, agnosticisme, antichristianisme, anticatholicisme, amoralisme de l'individu et de la société, nécessité, pour maintenir l'ordre, en dépit de ces négations subversives, de restaurer le paganisme avec toutes ses injustices et toutes ses violences : voilà, mes chers amis, ce que les dirigeants de l' « Action française » enseignent à leur disciples et que vous devez éviter d'entendre.

Je vous le demande avec une sollicitude pleine de tendresse, car c'est un cœur d'évêque et de père qui vous parle ; je vous le demande au nom de ce que vous avez de plus cher, au nom de votre foi, de votre vertu et de vos espérances immortelles.

Bordeaux, le 25 août 1926, en la fête de saint Louis roi de France, qui s'appelait le sergent du Christ, et qui remplit toujours si bien les devoirs inherents à ce glorieux titre.

✠ Paulin Cardinal Andrieu

Archevêque de Bordeaux

Renatum paganismum denuntiat.

que, laquelle est logiquement subordonnée à la morale. En substance, il y a, dans ces manifestations, des traces d'une renaissance de paganisme, à laquelle se rattache le naturalisme que ces auteurs ont puisé, inconsciemment croyons-Nous, comme tant de leurs contemporains, dans l'enseignement public de cette école moderne et laïque, empoisonneuse le la jeunesse, qu'eux-mêmes combattent souvent si ardemment. Toujours anxieux à la vue des périls suscités de toutes parts à cette chère jeunesse, surtout du fait de ces tendances fâcheuses, encore que ce soit en vue d'un bien tel qu'est sans aucun doute le louable amour de la patrie, Nous Nous sommes rejoui des voix qui, même hors de France, se sont élevées, ces derniers temps, pour l'avertir et la mettre en garde; aussi, ne doutons-Nous pas que tous les jeunes gens écouteront votre voix d'Évêque, et de Prince de l'Église: en elle et avec elle, ils écouteront aussi la voix même du Père commun de tous les fidèles. C'est dans cette confiance que Nous vous accordons de coeur, ainsi qu'a votre Clergé et à votre peuple, la Bénédiction Apostolique.

Dociles fore iuvenes sperat.

Dies (5 sept. 1926).

Donné à Rome, près de Saint-Pierre, le 5 septembre 1926, la cinquième année de Notre Pontificat.

PIE PAPE XI

41. — S. Congregatio S. Officii

Declaratio 11 iul. 1926

DE VITA P. PII TYPIS EDITA

(A. A. S., 2 aug. 1926, XVIII, 308)

COMUNICATO (1)

Memorato alio libello eiusdem argumenti, S. C. opus ipso iure prohibitum declarat, additis consectariis,

Come per l'opuscolo « Padre Pio da Pietralcina » con prefazione a firma di Giuseppe De Rossi, di cui al N. 5, anno corr., pag. 186 di questo Bollettino Ufficiale, la Suprema S. Congregazione del S. O. richiama l'attenzione dei fedeli anche sull'altro simile, stampato pure in Roma dallo stesso editore Giorgio Berlutti sotto il titolo « Giuseppe Cavacciocchi — Padre

(1) Idest latine: « Non aliter quam de opusculo « Padre Pio da Pietralcina » cum praefatione subsignata a Iosepho De Rossi (cf. n 5 vertentis anni p. 186

Pio da Pietralcina. — Il fascino e la fama mondiale di un umile e grande francescano ». Edizione illustrata — il quale deve per la stessa ragione ritenersi proibito *ipso iure* a termine del can. 1399, 5°, di modo che a termini del precedente can. 1398 § 1, non può senza il dovuto permesso, nè stamparsi, nè leggersi, nè ritenersi, nè vendersi, nè tradursi in altre lingue, nè comunque comunicarsi con altri.

Anche in questa occasione, la medesima suprema Sacra Congregazione crede necessario di richiamare alla memoria dei fedeli le precedenti sue dichiarazioni ed istruzioni relative al sunnominato Padre che si trovano pubblicate in questo stesso Bollettino, vol. XV (pag. 356) e vol. XVI (pag. 368), perchè i fedeli sappiano essere loro dovere di astenersi dall'andare a visitarlo, o mantenere con lui relazioni anche semplicemente epistolari. *iteratque acta superiora.*

Dato a Roma, dal Palazzo del S. Uffizio, 11 luglio 1926.

LUIGI CASTELLANO,
Notaro della Suprema S. C. del S. Uffizio. *Dies (11 iul. 1926).*

ANNOTATIONES

1. Supra, p. 132, summatim rettulimus superiorem declarationem cui Suprema S. Offici Congr. alludit initio Monumenti praesentis. Aliae declarationes eiusdem S. Congr. reperiuntur *Per.* XII, 82; XIII, 157.

2. Ratio cur opusculum ipso iure sit prohibitum sic exprimitur in c. 1399, 5° « Ipso iure prohibentur.... libri ac libelli qui novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula enarrant... », si editi fuerint non servatis canonicis praescriptionibus.

---

huius Officialis Commentarii) iudicavit, Suprema S. Congregatio S. Officii attentos vult fideles alii simili, quod etiam Romae ab eodem editore Georgio Berluti vulgatur sub titulo « Giuseppe Cavacciocchi, — Padre Pio da Pietralcina. — Il fascino e la fama mondiale di un umile e grande francescano ». Edizione illustrata — Opus istud debet propter eandem causam haberi tamquam prohibitum *ipso iure* ad tramites can. 1369, 5, ita ut ad tramites superioris canonis 1338 § 1, non possit, sine debita facultate, nec edi nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicari.

Atque hac occasione usa, eadem Suprema S. Congregatio necessarium ducit fidelibus memoriam renovare anteriorum suarum declarationum et instructionum de praefato Patre, quae vulgatae sunt in hoc eodem Commentario, t. XV (p. 356) et t. XVI (p. 368), ut fideles norint ad ipsorum officium pertinere ut abstineant visitatione vel eius commercio etiam mere epistolari.

Datum Romae, e palatio S. Officii, 11 iul. 1926.

42. — S. C. De Disciplina Sacramentorum

RESPONSA 18 DEC. 1925, 30 AP.-3 MAII 1926

CELEBRATIONIS MISSAE DOMI PRAESENTE CADAVERE

(A. A. S., 1 oct. 1925, XVIII, 388)

Instantiae episcoporum

Romana et aliarum. In plenariis comitiis E.morum Patrum H. S. C. habitis die 18 decembris 1925 et die 30 aprilis 1926, postulantibus nonnullis locorum Ordinariis, nempe Valentin.. Compostellan., Pampilonen. aliisque, propositum fuit dubium: « Utrum Ordinarius, vi canonis 822 § 4, permittere possit, absque « indulto Apostolico, celebrationem unius vel plurium Missa- « rum domi, praesente cadavere, quando haec celebratio postu- « latur a parentibus defuncti ».

Re mature perpensa et dubio reformato, quaestiones et responsiones ab E.mis Patribus propositae editaeve fuerunt uti sequitur:

Reformata dubia.

I. « Utrum Ordinarius vi canonis 822 § 4 permittere possit « Missae celebrationem domi praesente cadavere in loco vulgo « *camera ardente* ».

R. ad I.

R. « *Negative,* nisi agatur de casu aliquo extraordinario, exstante iusta et rationabili causa: et hoc etiam in casu, dummodo cadaveris expositio fiat servato debito decore, ac in eodem loco nihil adsit quod sit alienum a sanctitate divini Sacrificii ».

II. «Quando censendus sit haberi casus extraordinarius, vi « cuius, concurrente iusta et rationabili causa, permitti possit « ab Ordinario Missae celebratio, et utrum unius tantum aut « plurium Missarum celebratio permitti possit? »

R. II.

R. « Casum extraordinarium haberi, unaque simul iustam et rationabilem causam, occasione obitus Episcopi residentialis, seu loci Ordinarii, aut personae e principe familia, aut aliter insignis ob merita et benefacta in Ecclesiam vel in rempublicam, vel ob munificentissimas elargitiones in pauperes et egenos; itemque personae huiusmodi privilegio Apostolico iam ornatae; dummodo semper debitae exsequiae expleantur in ecclesia.

Abrogatio In-

« Tunc Ordinarius permittere poterit unius aut alterius

Missae, sed non plus quam trium Missarum celebrationem: abrogato indulto Sacrae Rituum Congregationis diei 29 aprilis 1894 et contrariis quibuscumque minime obstantibus; *facto verbo cum SS.mo* ».

dulti, verbum factum cum D.

In audientia diei 3 maii 1926 Ss.mus D.nus Noster Pius Papa XI, audita relatione facta ab infrascripto Secretario huius Sacrae Congregationis, decisionem E.morum Patrum in omnibus ratam habuit et confirmavit.

Confirmatio SS.i

M. Card. LEGA, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† *Aloysius Capotosti, Ep. Thermen., Secretarius.*

ANNOTATIONES

Iuvat publici iuris facere aliqua, quae RR. PP. Consultores animadvertenda duxerunt circa propositam quaestionem.

Animadversiones Consultorum

De can. 822 § 4 restrictive interpretando, eiusque significatione.

1. Can. 822 § 4 Codicis iuris canonici ita se habet: « Loci Ordinarius licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco, numquam autem in cubiculo, concedere potest iusta tantum ac rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus ».

Notandum autem est in primis circa hunc canonem propositum iam fuisse Commissioni interpretationis Codicis dubium: « Utrum facultas celebrandi Missam in domo privata sit ab Ordinario, ad normam can. 822 § 4 interpretanda restrictive », eamdemque Commissionem die 16 oct. 1919 respondisse *Affirmative.*

Et iure ita responsum est. Si quis enim consideret antiquam Ecclesiae praxim, videbit profecto eam non favere huic celebrationi extra ecclesiam. Cunctis profecto noti sunt canones, qui in Decreto tribuuntur sive Clementi Papae, sive Felici IV, omnes quidem apocryphi, sed referentes antiquam consuetudinem, quae tandem resolvitur in praxim a Codice conservatam in citato canone 822, Missam scilicet celebrandam esse in ecclesia aut in oratorio.

Ab hac autem obligatione, secundum antiquam praxim, una excusabat *magna* (c. 1, D. I. *de consecr.)* aut *summa necessitas* (c. 11, D. I. cit.) quibus verbis postea usus est etiam Benedictus XIV in Const. *Inter omnigenas,* 2 febr. 1744 § 22 fin. (*Fontes iur. can.,* I, 809). Neque aliud procul dubio dicendum erat usque ad Codicem, si attendamus interpretationem auctoritative suis Missionariis datam a S. C. de Prop. Fide, quae

(*Collectanea* n. 411) edixit: celebrare extra locum sacrum « non licere ex devotione, licere tamen ex necessitate ».

Num aliquid ex Codice immutatum sit? Nonnulli putant, et ex eo moveri videntur, quod Codex requirit causam *iustam et rationabilem:* ex quo deducunt eam non debere esse gravem.

Verum, si quis attendat non solum causam concessionis debere esse iustam ac rationabilem, sed simul, seu cumulative, concessionem fieri debere per modum *actus,* et quidem in casu aliquo *extraordinario,* inferri rationabiliter potest nihil esse immutatum. Nam gravitas causae, seu necessitas, morali modo assumenda est et aestimanda; quum vero canon 822 § 4 exquirat, una simul, causam concessionis iustam et rationabilem, concessionem autem fieri ab Ordinario tantum per modum *actus* et in casu aliquo *extraordinario,* sane tunc versamur in casu *moralis necessitatis.* Itaque non habetur inducta mutatio in veteri iure et in iurisprudentia; quae conclusio sequitur etiam ad normam c. 6 n. 4.

Ex his facile deduci potest casum de quo agitur (vulgo *camera ardente)* non esse, relate ad celebrationem Missae, neque casum necessitatis, neque casum extraordinarium.

De funere Episcopi residentialis

2. Quoad funus Episcopi residentialis defuncti, *Caeremoniale Episcoporum* (Lib. II. cap. XXXVIII) statuit quidem corpus Episcopi exponi debere in aula maiore Palatii episcopalis, in qua clerus saecularis per ordinem, vel Religiosi quatuor Ordinum mendicantium, vel alii per singula collegia incipient vigilias, hoc est, Vesperas et Matutinum cum Invitatorio et tribus Nocturnis ac Laudibus defunctorum: sed nullatenus conceditur facultas inibi celebrandi Missas; immo manifeste excluditur, quia Caeremoniale Episcoporum statuit corpus Episcopi, expletis Laudibus, deduci debere ad ecclesiam pro funere et Missae celebratione.

Allegatur decretum S. R. C. 3. ap. 1894.

Verum quidem est Sacram Rituum Congregationem edidisse decretum, relatum in *Collectione authentica* decretorum eiusdem Congregationis (vol. III, n. 3822), circa facultatem celebrandi Missas domi in expositione corporis Episcopi dioecesani defuncti, vel Abbatis *nullius,* vel Vicarii Apostolici vel Episcopi titularis, uti videre est in ipso decreto, quod hic ex integro referre praestat, nimirum:

« Qui pro Domini grege vitam impenderunt aequum est, ut Ecclesiae suffragiis singulari modo post mortem iuventur. Sacris ideo Ritibus praeposita Congregatio, re mature perpensa, decernendum esse statuit:

« Ut dum corpus Episcopi Dioecesani defuncti, sacris indu-

tum vestibus, in propriae Aedis aula maiori publice et solemniter iacet expositum, Missae in suffragium animae eius per totum mane celebrari valeant; iis omnibus servatis, quae de Episcopi defuncti corpore exponendo ac suffragiis ferendis in *Caeremoniali Episcoporum* libro II, Cap. XXXVIII praescribuntur. Quod privilegium Episcopis in sua Dioecesi concessum ad Vicarios Apostolicos in suis Vicariatibus, nec non ad Abbates ceterosque Praelatos *Nullius Dioeceseos*, iurisdictione in plebem ordinaria quum vita cesserunt fruentes, in proprio tamen territorio, pari intelligatur ratione extensum. De speciali tandem gratia Sacra Rituum Congregatio indulget, ut eodem quoque privilegio frui valeant Episcopi Titulares defuncti; dummodo eorum cadavera in aula convenienti exponantur et ornamentis pontificalibus (absque tamen baculo pastorali), si extra Urbem, fuerint induta; si vero in Urbe, habitu tantum praelatitio ».

« Contrariis non obstantibus quibuscumque ».

« Die 3 Aprilis 1894 ».

« Facta autem Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII de his omnibus relatione per Eminentissimum et R.mum Dominum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum, Sanctitas Sua sententiam ipsius Sacrae Congregationis in omnibus ratam habuit et confirmavit. Die 29 iisdem mense et anno ».

Quod limitandum videtur

At, inspecta responsione Commissionis pro interpretatione Codicis I. C. quoad can. 822 § 4, quam supra retulimus, expediens foret huiusmodi facultatem limitari, eo magis quod ex hoc nihil animabus Episcoporum suffragii demitur, quia Missae celebrantur in ecclesia pleniore decore et cultu coram frequentioribus fidelibus.

De canone 1194 componendo cum quaestione praesenti.

3. Aliud argumentum ad denegandam hanc potestatem Ordinario ex eo desumitur, quod facultas haec non videtur bene componi cum facultate, de qua in can. 1194. Scilicet in hoc canone dicitur: « in aliis oratoriis domesticis » (aliis videlicet a privatis coemeteriorum aediculis, de quibus immediate ante locutus fuerat canon) « nonnisi unius Missae, per modum actus, in casu aliquo extraordinario, iusta et rationabili de causa (Ordinarius loci celebrationem permittere potest) ». Et certe, nonne defectus harmoniae dicendus esset in iure exsistere si in oratoriis posset una tantum ab Ordinario loci permitti Missa, dum extra oratorium, et proinde extra omnem locum sacrum, plurium etiam Missarum celebratio deberet dici permissa ?

De hodierna inclinatione ad habenda sacra extra templa

4. Tandem non deest aliud gravissimum argumentum. Omnes advertunt serpere inter fideles proclivitatem quandam seu propensum studium ad extrahendas, quantum fieri potest, a locis sacris sanctissimas caeremonias Ecclesiae. Quis nescit, multis in locis consuetudinem quandam, per nefas inductam, continuare velle fideles etiam post promulgationem Codicis iuris canonici, ut scilicet liceat et infantes in ipsa domo sua baptismo ablui, et matrimonia in cubiculo domus contrahere, et alia huiusmodi extra ecclesiam peragere? Est conatus quidem ad laicizandas — sit venia verbo — caeremonias ecclesiasticas. Quas non possunt omnino destruere impii homines, iis accidentalem saltem sanctitatem detrahere conantur: et fideles supine acquiescunt. Codex huic infirmitati plurimum resistere conatus est (cfr. can. 773, 1109 § 1. 2), sperandum est, cum fructu. Hinc casus isti non sunt multiplicandi, sed pro viribus restringendi.

† *Aloysius Capotosti, Ep. Thermen., Secretarius.*

ANNOTATIONES

Praeter annotationes quae ab ipsa S. C. in Commentarium Officiale insertae sunt, operae pretium videtur haec pauca subiungere.

1. Interpretatio decreta, plane concordat cum observatione a nobis facta sive in *Theol. mor.*, III, 345, sive in Epitome I. C. II, n. 99.

2. Observes verbum cum SS. a/ esse factum b/ et quidem ante ipsam confirmationem decisionibus a Summo Pontifice datam.

Cur verbum cum SS. factum sit facile intellegitur, quia agebatur de abrogando decreto alterius S. C. i. e. Rituum. Profecto post reformatam Cur. Rom. competens quidem evaserat *S. C. de S.tis.* Quare, succedens in competentiam *S. Rit. C.* videbatur libere posse suam ordinationem superiori substituere. Rursus tamen directa et formalis abrogatio decreti quod subsistens Congregatio sanxerat, videbatur quandam praeeminentiam significare. Ut omne dubium evacuaretur, verbum factum est cum Sanctissimo.

b/ Factum est ante confirmationem, quia, cum haec sit in forma communi, non valebat ad sanandum vitium si quod in ipsis decisionibus reperiretur.

43. — S. Congr. Concilii

Litterae circulares 1 iul. 1926

DE SACERDOTIBUS RUSTICANTIBUS EXTRA DIOECESIM

(A. A. S., 2 aug. 1926 XVIII, 312)

AD OMNES ORDINARIOS, DE SACERDOTIBUS VALETUDINIS VEL RUSTICATIONIS ANIMIQUE CAUSA EXTRA SUAM DIOECESIM SE CONFERENTIBUS.

Describuntur abusiones

R.me Domine uti Frater. Sacrae huic Congregationi exploratum est, sacerdotes quosdam, aestivis potissimum et autumnalibus temporibus, cum valetudinis causa rusticationem in montibus aut iuxta mare suscipiant, vel ad aquas salubritate praestantes proficiscantur, ut balneo vel potu utantur, vixdum sacro peracto, reliquum diei tempus in voluptuariis conversationibus traducere, theatra, saltatorios ludos, cinematographa, quae vocant, et cetera huiusmodi spectacula adire, quae sacerdotis dignitatem prorsus dedeceant. Nonnullos etiam, talari veste deposita, profanum omnino vestitum induere, ut magis liberi ac soluti evadant.

Huc accedit ut, ceteris etiam temporibus, sacerdotes non desint, qui huiusmodi libertati indulgendo, profanam sibi vestem induant quo urbes non noti invisant, et indecoris et haud honestis spectaculis intersint.

Ut autem gravissimum hoc detrimentum, pro facultate, reparetur, simulque praecaveatur ne huiusmodi sacerdotum numerus infeliciter increbrescat, ideoque morbus contagione pervulgetur, haec Sacra Congregatio Concilii dum postulat ut Ordinarii omnes in hanc rem mentem et animum diligentissime convertant, praescripta quae sequuntur servanda decrevit:

Inde praescripta. Petenda licentia

1. Sacerdotes qui e propria dioecesi, valetudinis causa, per aliquod tempus discedere cupiant, id Ordinario suo submisse petant, tempus pariter denuntiantes profectionis et reditus, itemque loca, quo se conferre constituerunt.

Causa examinanda

2. Curent Ordinarii ut eas causas, quibus innixi sacerdotes facultatem discedendi e dioecesibus postulaverint, accurate reputent ac decernant; postulantium mores vitaeque rationem prius diligenter perpendant et nonnisi caute eiusmodi facultatem largiantur.

Selectio hospitii

3. Exigant insuper ut sui sacerdotes semper eligant ea diversoria seu hospitia quae Dei administros non dedeceant.

Significatio Curiae ad quam

4. Ordinarii praeterea horum sacerdotum nomina quantocius Curiae illius dioecesis renuntient, quo iidem se conferent, itemque significent cum tempus eisdem concessum, tum diversorium seu domum, in qua hospitio excipientur.

Praescriptus aditus saltem parochi.

5. Itidem sacerdotes, cum ad locum pervenerint, ubi commorari cupiunt, quam primum Curiae illius loci se sistant, vel, pro rerum adiunctis, Vicarium foraneum sin minus parochum adeant, qui deinceps rem Ordinario suo referre debet.

Quaenam ab Ordinariis locorum praestanda sint. Potestas ipsis facta.

6. *a*) Ordinarii autem locorum, quo sacerdotes valetudinis causa se conferre solent, sacerdotibus inibi commorantibus sedulo attenteque invigilent, vel per se vel per sacerdotes, quibus hoc peculiare munus demandaverint; et ad sacra facienda eos non admittant, nisi iis, quae supra diximus, praescriptis obtemperaverint.

b) Ut autem hi sacerdotes facilius in officio contineantur, opportunas poenas constituant quibus afficientur si scandalum dederint, vel si quoquo modo aliquod egerint, quod sacerdotali munere indignum sit.

c) Comminari etiam possunt *suspensionem ipso facto incurrendam* si publica theatra, cinematographa, ludos saltatorios ceteraque huiusmodi profana spectacula adeant, vel si talarem vestem deponant.

d) Denique poenis, ad sacrorum canonum normam, hos ecclesiasticos reapse multent si huiusmodi praescriptis ceterisque Ecclesiae legibus non obtemperaverint.

e) Propriae istorum ecclesiasticorum Curiae rem diligenter referant, et, si opus fuerit, Sacrae etiam huic Congregationi.

Quid de religiosis

7. Hac in causa, etiam quoad Religiosos, Ordinarii invigilent, poenasque, si deliquerint, ad sacrorum canonum normam decernant, eosque Superioribus maioribus denuntient.

Interim quo par est obsequio cuncta fausta Tibi a Domino adprecans permaneo.

Dies (1 iul. 1926).

Romae, ex Secretaria S. C. Concilii, 1 iulii 1926.

Amplitudinis Tuae Uti Frater

DONATUS Card. SBARRETTI, *Praefectus.*

† *Iulius, Episcopus tit. Lampsacensis, Secretarius.*

ANNOTATIONES

1. *Litterae circulares* proprio nomine vocantur litterae quae, si a S. Pontifice missae essent, dicerentur *encyclicae*.

2. De Religiosis, Ordinarii iubentur invigilare et, si deliquerint, punire ad sacrorum canonum normam. Norma haec est ut episcopus eos puniat qui extra domum vel illegitime degant, vel deliquerint nec a proprio Superiore praemonito puniti fuerint.

44. — S. Rit. Congr.

Responsa 28 april. 1926

CIRCA GENERIS HUMANI CONSECRATIONEM SACRATISSIMO CORDI IESU

(A. A. S., 2 aug. 1926, XVIII, 319)

Dubiorum occasio

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proponuntur:

Pius Papa X s. m. per Decretum generale Sacrae Congregationis Indulgentiarum, diei 22 augusti 1906, mandavit, ut singulis annis, die festo Sacratissimi Cordis Iesu, in omnibus parochialibus templis, nec non in illis in quibus idem festum agitur, coram Sanctissimo Sacramento publicae adorationi exposito, formula Consecrationis generis humani Sacratissimo Cordi Iesu recitaretur, additis Litaniis in honorem eiusdem Sacratissimi Cordis.

Sanctissimus autem Dominus noster Pius Papa XI, per Litteras Encyclicas *Quas primas*, diei 11 decembris 1925, praecepit, ut postremo mensis octobris dominico die, in festo scilicet Domini nostri Iesu Christi Regis, generis humani Consecratio Sacratissimo Cordi Iesu quotannis renovetur, quam Pius Papa X s. m. singulis annis iterari iusserat, adhibita tamen Consecrationis formula, quam Sacra Rituum Con-

gregatio per Epistolam diei 17 octobris 1925 ad Ordinarios transmisit, ut die 31 decembris eiusdem anni recitaretur.

Hinc quaeritur:

Dubia I. I. An etiam in festo Sacratissimi Cordis Iesu peragenda sit consecratio generis humani, et in casu affirmativo quaenam formula adhibenda sit?

II. II. An in festo Domini nostri Iesu Christi Regis, praeter Consecrationis formulam, recitandae sint Litaniae de Sacro Corde Iesu?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, propositis dubiis respondendum censuit:

Responsa ad I. Ad I. Quoad primam partem: *Ad libitum;* quoad secundam partem: adhibenda est formula per Epistolam diei 17 octobris 1925 ab hac Sacra Congregatione ad Ordinarios transmissa.

Ad II. Ad II. *Affirmative.*

Dies (28 ap. 1926) Atque, approbante Ss.mo Domino Nostro Pio Papa XI, ita rescripsit atque declaravit. Die 28 aprilis 1926.

✠ A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae.*

S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, Secretarius.

Annotationes

1. Mandatum Pii X, 22 aug. 1906, reperitur in *Periodica* II, p. 137; epistola encyclica *Quas primas,* 11 dec. 1925, *Periodica* XIV, p. 129 ss; formula consecrationis transmissa ad Ordinarios, 17 oct. 1925, quatenus differt a formula Leonis XIII, XIV, p. 146.

2. Prius responsum ex ipsis verbis Enc. *Quas primas* colligi poterat. Etenim cum S. Pontifex praeceperit, « ut eo ipso die generis humani Sacratissimo Cordi dedicatio quotannis renovetur, quam s. m. decessor Noster Pius X singulis annis iterari iusserat », satis constabat agi de substitutione alius diei in locum diei prius designatae. Quare sapienter responsum est consecrationem in festo Sacratissimi Cordis Iesu peragi posse sed non debere.

De formula adhibenda non erat diu ambigendum. Nimis manifesta mente volebat S. Pontifex ut in omni recitatione adhiberetur formula quam Ipse feliciter quodam complemento adornaverat.

3. Magis dubitari poterat de subiungendis litaniis de Sacro Corde, quarum nulla mentio facta erat in Encyclicis litteris. Bene tamen intellegitur transferendam esse caerimoniam totam qualis a Pio X s. m. ordinata erat.

4. Quare etiam censemus astantibus christifidelibus, tum in festo S. Cordis, tum in festo Christi Regis lucrandas offerri indulgentias a Pio X in memorato decreto promulgatas.

45. — S. Rituum Cong.

Responsa 14 maii 1926

DE CALENDARIO RELIGIOSARUM CONGREGATIONUM

(A. A. S., 2 aug. 1926, XVIII, 320)

DUBIA

Nagporem.

Orator

R.mus D.nus Episcopus Nagporensis Sacrorum Rituum Congregationi reverenter exposuit sequentia, nimirum:

Memorato decreto S. R. C.

In decreto S. R. C. diei 28 februarii 1914 ad II, circa Festa localia quae a Religiosis recoli debent, legitur: « Congregationes seu Instituta utriusque sexus a S. Sede approbata et sub regimine unius praesidis generalis constituta, si ad recitationem Officii divini teneantur, proprium pariter habeant Calendarium ».

Quaerit

Quaeritur:

De extensione decreti;

I. An per Congregationes seu Instituta supradicta intelligantur etiam Congregationes clericorum qui divini officii recitatione non obligantur nisi ob receptos ordines sacros seu maiores?

De nominando Patrono suae religionis in oratione A cunctis.

II. An qui pertinent ad praefatas Congregationes seu Instituta, Orationi *A cunctis* addere valeant nomen Patroni praecipui propriae Religionis, in ecclesia ubi Missam celebrant, post recitatum nomen Sancti titularis eiusdem ecclesiae?

De recolendo Titularii ecc. cathedr.; Patrono loci seu dioecesis et dedicatione Ecclesiae.

III. An sacerdotes dictae Congregationis seu Instituti habentis Calendarium proprium, et qui, ubi rectores et cappellani regulariter addicti sunt sacro ministerio alicuius ecclesiae seu sacelli, teneantur recolere *cum octava* Sanctum titularem et dedicationem ecclesiae cathedralis nec non Patronum principalem loci seu dioecesis?

Responsa

Et sacra eadem Congregatio exquisito atque audito specialis Commissionis suffragio, re sedulo perpensa, rescribendum censuit.

Ad I. Ad I. *Affirmative* in omnibus.

Ad II. Ad II. *Negative* sine speciali Indulto Apostolico.

Ad III. Ad III. *Negative;* seu sine octava, iuxta Rubricas.

Dies (14 maii 1926). Atque ita rescriptis ac declaravit, die 14 maii 1926.

✠ A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Angelus Mariani, Secretarius.

Annotationes

Ad I. Regula de adhibendo Calendario proprio a Congregationibus Religiosis, quae in decr. 28 febr. 1914 effertur, non restringitur ergo ad solas Congregationes quae ad Chorum tenentur, sed valet pro omnibus Congregationibus clericalibus iuris pontificii quae sub regimine vivunt unius Moderatoris generalis. Congregationes vero dioecesani iuris, etiam clericales, tenentur, secluso privilegio, ad Calendarium dioecesanum sequendum *prout iacet*. Idem dicendum de Congregationibus laicalibus, etiam si sint iuris pontificii et vivant sub regimine unius Moderatoris generalis. Ex Congregationibus vero religiosarum, illae solae, secluso iterum privilegio, Calendarium proprium habent quae sunt iuris pontificii, ad Chorum tenentur et sub regimine vivunt Superioris generalis.

Ad II. Decreto 2 dec. 1891 (n. 3758) declaravit Congregatio Regulares in Missa in oratione *A cunctis* posse ad litteram N. nominare proprium S. Fundatorem, dummodo Titularem, si nominari queat, non omittant,

servato ordine dignitatis a Rubricis praescripto. Et idem dicendum de oratione *A cunctis* in Suffragio, cum ex decr. 27 iunii 1899 (n. 4043) Regulares teneantur ad nominandum S. Fundatorem in Suffragio. Nec iam hoc restringendum videtur ad solos regulares; ex novis enim rubricis, quod ad hoc, omnes religiosi aequiperantur. Verum, de iure, nec Regulares, nec alii Religiosi in oratione *A cunctis* nominare possunt Patronum praecipuum Religionis.

Ad III. Responsio ad III consequitur ex responso ad I. Religiosi enim, etiam si tamquam parochi alicui ecclesiae sunt praepositi, proprium tamen servant Calendarium, addito tantum sub ritu duplici 1 classis cum octava festo Titularis ecclesiae *propriae* eiusdemque Dedicationis.

IOS. PAUWELS, S. I.

46. — S. Poenitentiaria Apostolica

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

Decretum 18 maii 1926

INDULGENTIAE ORANTIBUS PRO MISSIONIBUS
(A. A. S., 2 aug. 1926, XVIII. 322)

PREGHIERA PER LE SANTE MISSIONI

Oratio.

« Amabilissimo Signor nostro Gesù Cristo, che al prezzo del vostro preziosissimo Sangue avete redento il mondo, volgete misericordioso lo sguardo sulla povera umanità che in così gran parte giace ancora immersa nelle tenebre dell'errore e nell'ombra della morte, e fate su di essa risplendere tutta intera la luce della verità. Moltiplicate, o Signore, gli apostoli del vostro Evangelo, infervorate, fecondate, benedite con la vostra grazia il loro zelo e le loro fatiche; affinchè tutti gli infedeli per loro mezzo vi conoscano e si convertano a voi, loro Creatore e Redentore. Richiamate gli erranti al vostro

ovile, i ribelli al seno della vostra unica vera Chiesa. Affrettate, o amabilissimo Salvatore, l'auspicato avvento del vostro regno sulla terra, attraete al vostro Cuore dolcissimo tutti gli uomini, affinchè tutti possano pertecipare degli incomparabili beneficii della vostra Redenzione nell'eterna felicità del Paradiso. Amen ».

Die 18 Maii 1926

Indulgentia

Sacra Poenitentiaria Apostolica omnibus christifidelibus benigne concessit sequentes Indulgentias: 1) *Partialem* trecentorum dierum, toties lucrandam, quoties supra relatam orationem saltem corde contrito devote recitaverint; 2) *Plenariam*, suetis conditionibus semel in mense acquirendam, si per integrum mensem eandem recitationem persolverint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstatibus.

Fr. A. *Card.* FRÜHWIRTH, *Maior Poenitentiarius.*

L. ✠ S.

I. Teodori, S. P. Secretarius.

II.

INVOCATIO

Invocatio

« Ut omnes errantes ad unitatem Ecclesiae revocare, et infideles universos ad Evangelii lumen perducere digneris: Te rogamus, audi nos ».

Die 18 Maii 1926

Indulgentia.

Sacra Poenitentiaria Apostolica omnibus christifidelibus, quoties supra relatam invocationem saltem corde contrito recitaverint, Indulgentiam trecentorum dierum benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contraris quibuscumque non obstantibus.

Fr. A. *Card.* FRÜHWIRTH, *Maior Poenitentiarius.*

L. ✠ S.

I. Teodori, S. P. Secretarius.

47. — Pontificia Commissio interpretando Codici

Responsa 25 iul. 1926

VARIA DUBIA

(A. A. S., 1. oct. 1926, XVIII, 393)

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — *De substitutione in choro*

Substitutio in choro ex c. 419 § 1.

D. An ad substitutionem in choro *in casibus particularibus*, de quibus in can. 419 § 1, requiratur venia S. Sedis vel saltem licentia Ordinarii aut Capituli.

R. Negative.

II. — *De mutatione Superiorum religiosorum*

Applicatio c. 505 ad domus non proprie religiosas.

D. An praescriptum canonis 505 comprehendat etiam Societates, de quibus canones 673-681 agunt, earumque domus, quae non sint vere et proprie religiosae sed externae seu non pertinentes ad Societatem, in quibus nempe sodales pauci numero adhiberi solent, ex. gr., in Seminariis, scholis, nosocomiis.

R. Affirmative ad norman responsi diei 3 iunii 1918.

III. — *De fidei professione*

Applicatio c. 1406 § 1 n. 9, de fidei professione.

D. An Superiores in Societatibus clericalibus sine votis, de quibus agunt canones 673-681, fidei professionem ad normam canonis 1406 § 1 n. 9 emittere teneantur.

R. Affirmative.

IV. — *De paroeciis religiosis*

De iure Ordinarii in paroeciam proprie religiosam.

D. An vi canonum 631 § 3; 535 § 3 n. 2; 533 § 1 nn. 3, 4, loci Ordinarius ius habeat exigendi rationes de administratione fundorum legatorumque paroeciae religiosae, de qua in canone 1425 § 2.

R. Affirmative, firmis praescriptis canonum 630 § 4; 1550.

V. — *De impedientibus iurisdictionem ecclesiasticam*

De excomm. c. 2334 n. 2.

D. Utrum ad incurrendam excommunicationem, de qua in can. 2334 n. 2, sufficiat recursus ad laicalem potestatem causa impediendi exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, an requiratur praeterea ut recursus suum sortiatur effectum.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, firmo tamen praescripto canonis 2235.

Dies (25 iul. 1926).

Romae, die 25 iulii 1926.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

Ioseph Bruno, Secretarius.

ANNOTATIONES

Ad I. *De substitutione in choro.* Canon 419 § 1, per se quidem prohibet ne in ecclesiis ubi, ad normam c. 414, in quibus servitium per turnum est indultum, canonici vel beneficiati chorales, diebus quibus tenentur, suam obligationem per alium impleant.

Simul tamen locum sinit esse exceptioni, atque, *in casibus particularibus*, non ergo habitualiter, permittit substitutionem, si haec concurrant: iusta ac rationabilis causa; — substitutio per aliquem qui, ea die, choro non teneatur; — substitutio per canonicum eiusdem ecclesiae, si supplendus sit canonicus, vel per beneficiarium eiusdem ecclesiae, si substituendus sit beneficiarius.

Cum nulla alia condicio imponatur, cum nulla mentio fiat de aliqua approbatione Superioris, *Pontificia Commissio* iure ac merito respondit nec S. Sedis, nec Ordinarii, nec Capituli licentiam requirendam esse.

Ad. II. *De mutatione Superiorum religiosorum.* Canon 505 vult ut Superiores maiores sint temporarii, nisi aliter ferant Constitutiones; et absolute vetat ne

Superiores locales ultra sex annos regant eandem domum.

Iam vero Pontificia Commissio interrogata est de applicatione istius legis ad Societates quae, sine votis saltem publicis, religiones imitantur. Et canon quidem 675, ipse statuit ad huiusmodi Societates applicari debere canones 499-530 (ergo etiam c. 505), congrua congruis referendo. Verum praesens interrogatio afficiebat domos quae non essent vere et proprie religiosae, sed externae, non pertinentes ad Societatem, sed in quibus sodales pauci numero adhiberi consueverunt, v. g. in Seminariis, scholis, nosocomiis.

Pontificia tamen Commissio merito respondit casum iam esse solutum responso 2-3 iun. 1918. Tunc enim declaratum est canonem 505 applicandum esse Superioribus seu Directoribus scholarum, etc. si sint simul Superiores religiosorum.

Aliud sane dicendum foret, si, ratione exigui numeri et aliarum circumstantiarum, domus ista, quatenus ibi sint aliqui religiosi, habenda esset pro domo filiali, de qua valeret declaratio 1 feb. 1924 (*Per.* XIII, 53).

Ad III. *De fidei professione emittenda a Superioribus in Societatibus clericalibus sine votis.* Magis incerta videbatur futura responsio. Etenim, c. 1406 § 1, n. 9 obligationem professionis fidei imponit Superioribus *in religionibus* clericalibus; canon autem 673, negat Societatem sine votis esse proprie religionem. Verum manifesta paritas causae movit, ni fallimur, Pontificiam Commissionem ut religionem latius hic intellegeret etiam de Societatibus clericalibus sine votis. Et re quidem vera, causa exigendi istam professionem fidei non est ipsa vita religiosa, sed vita communis clericorum: his praefici non possunt nisi qui probatae sint fidei.

Ad IV. *De paroeciis religiosis.* In canone 1425 § 2, agitur de paroecia quae est pleno iure religiosa. Et quaeritur utrum necne ad huiusmodi paroeciam applicari debeant canones 631 § 3; 535 § 3 n. 2; 533 § 1 n. 3. 4, quibus Ordinario loci ius tribuitur exigendi rationes de administratione fundorum legatorumve quae data sint Superiori vel Antistitae domus Congregationis religiosae ad Dei cultum beneficientiamve eo ipso loco impendendam; et pecuniae quae data sit paroeciae vel missioni, aut religiosis intuitu paroeciae vel missionis.

Ipse canon 1425 § 2 parochum paroeciae pleno iure religiosae Ordinario subdit ad normam c. 631; et canon 631 § 3 nos remittit ad c. 533 § 1 et 535 § 3 n. 2. Qui canon 533 § 3 dat ius Ordinario cognoscendi de administratione fundorum et legatorum de quibus 533 § 1, n. 3. 4.

Responsio igitur affirmativa non erat dubia.

Simul tamen Pontificia Commissio vult ut firma sint praescripta c. 630 § 4 qui, quando ecclesia est communitatis religiosae, tribuit Superiori religioso ius retinendi penes se, administrandi et colligendi eleemosynas pro ecclesia aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda; — et c. 1550 qui, de piis fundationibus in huiusmodi ecclesia, declarat Superiorem religiosum maiorem esse exclusive competentem.

Ad V. *De impedientibus iurisdictionem ecclesiasticam.* Canon 2334 sancit poena ecclesiastica non eos praecise qui recurrunt ad potestatem laicalem, sed eos qui sic recurrendo impediunt iurisdictionem ecclesiasticam. Quare, ubi iurisdictio non fuerit impedita, manifestum fit delictum non esse commissum. Quare, ipso canone 2228: « Poena lege statuta non incurritur nisi delictum fuerit in suo genere perfectum secundum pro-

prietatem verborum legis », negativa responsio Pontificiae Commissionis imperabatur.

Quare idem iam pronuntiabat P. CREUSEN, in *Epitome* III, n. 534, ed. 2.

Nihilo minus Pontificia reservavit can. 2335 quo excommunicatione plectuntur quotquot nomen dederint sectae massonicae vel alii societati machinanti contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates.

N. B. - Ante Codicem censurae can. 2334 2° formula haec erat « Impedientes ...*et* ad hoc recurrentes ». Suppressio particulae *et* ambiguitatem sustulit.

ACTA SUMMATIM RELATA

48. — *SS. D. N. Pius P. XI*

Novum Pont. Miss. Institutum.

A. Motu proprio *Cum Missionalium,* 23 maii 1926, novum conditur Pontificium Missionalium Institutum ex unione Pont. Seminarii SS. App. Petri et Pauli de Urbe et Collegii pro Missionibus exteris Mediolanen, (A. A. S., 2 augusti 1926, XVIII, 297).

Saeculum elapsum a confirmata Cong. Oblatorum M. Imm.

B. Epistola ad R. P. D. Dottenwill, 15 ian. 1926 S. Pontifex gratulatur ipsi centesimum annum a canonica confirmatione Instituti Oblatorum M. Imm. cuius est Moderator Generalis, ac laudes celebrat istius operosissimae Congregationis.

C. *Litterae de Vicariatibus et Praefecturis.*

Erectio praefecturae de Navrongo (Africa sept.)

1. Brevi *In hac*, 11 ianuarii 1926, e Vicariatu apostolico de Ouaghadougon distracto territorio erigitur praefectura apostolica de Navrongo (A. A. S., 2 augusti 1926, XVIII, 299).

Mutantur fines duorum Vicariatuum Africae.

2. Brevi *Supremi Apostolatus*, 10 martii 1926, nova fit delimitatio confinium inter vicariatum apostolicum Orae Benini et vicariatum apostolicum Nigeriae Occidentalis (A. A. S., 1 octobris 1926, XVIII, 369).

Fines Vicariatus Ap. de Buta in Congo Belgico.

3. Brevi *Quae catholico,* 10 martii 1926, certi praefiniuntur fines vicariatu apostolico iam Uellen. Occidentali nunc de Buta, in Congo Belgico (A. A. S., 1 octobris 1926, XVIII, 370).

Erectio Praefecturae de Bondo in Congo Belgico.

4. Brevi *Admonet,* 10 martii 1926, dismembrato territorio e vicariatu apostolico hactenus Uellen. Occidentali nunc de Buta, erigitur praefectura apostolica de Bondo, in Congo Belgico (A. A. S., 1 octobris 1926, XVIII, 371).

Fines praefecturae Ap. et Vicariatus Ap. in Africa Orientali.

5. Brevi *Tanquam sublimi*, 10 martii 1926, fines reguntur inter praefecturam de Kaffa et vicariatum apostolicum de Gallas, in Africa Orientali (A. A. S., 1 octobris 1926, XVIII, 372).

Erectio Praefectura Ap. de Meru, in Afr. Orientali.

6. Brevi *Tamquam sublimi,* 10 martii 1926, dismembrato territorio e vicariatu apostolico de Kenia, erigitur praefectura Ap. de Meru in Africa Orientali (A. A. S., 1 octobris 1926, XVIII, 374).

Erectio Vica-

7. Brevi *Expedit,* 10 maii 1926, Vicariatus ap. Pekinensis

dismembrato territorio, erigitur vicariatus de Suanhwafu in Sinis atque curis cleri indigenae committitur (A. A. S., 1 octobris 1926, XVIII, 377). *riatus Ap. de Suanhwafu in Sinis.*

8. Brevi *Tanquam sublimi*, 11 maii 1926, praefectura apostolica Cimbebasiae in Africa meridionali erigitur in vicariatum Ap. de Windhoek denominandum (A. A. S., 1 octobris 1926, XVIII, 378). *Erectio Vicar. Ap. de Windhoek ex praefect. Ap. in Africa merid.*

D. *Litterae de monasteriis.*

1. Brevi *Exstat intra*, 10 aprilis 1926, Prioratus monialium O. S. Benedicti de Ryde, sub titulo « Pax Cordis Iesu », intra fines dioecesis Porthusmutthensis, in abbatiam sui iuris erigitur (A. A. S., 1 octobris 1926, XVIII, 375). *Erectio prioratus de Ryde, in Anglia, in abbatiam sui iuris*

E. *Litterae de ecclesiis*

In Basilicam minorem eriguntur :

1. Brevi *Insigniores inter*, 1 februarii 1926, ecclesia paroecialis Sanctae Mariae Gloriosae, vulgo « de' Frari », civitatis Venetiarum (A. A. S., 2 augusti 1926, XVIII, 300). *Venezia*

2. Brevi *Extat in civitate*, 1 februarii 1926, ecclesia, hactenus pro-cathedralis, S. Mariae in civitate Minneapoli, intra fines archidioecesis S. Pauli de Minnesota (A. A. S., 1 septembris 1926, XVIII, 337). *Minneapolis*

3. Brevi *Venerabilis frater*, 21 februarii 1926, Sanctuarium B. M. V. sub titulo « Auxilii christianorum », pagi Philippsdorf, intra fines dioecesis Litomericensis (A. A. S., 1 septembris 1926, XVIII, 338). *Philippsdorf.*

4. Brevi *Calaritana in civitate*, 25 aprilis 1926, Sanctuarium B. M. V. de Bonaria Calaritanae civitatis (A. A. S., 1 octobris 1926, 376). *B. M. V de Bonaria.*

49. — *S. Congr. Consistorialis.*

1. Decreto 20 maii 1926, permutatis titulis, ecclesia paroecialis fit cathedralis, et cathedralis fit paroecialis in civitate Uberabensi in Brasilia (A. A. S., 2 augusti 1926, XVIII, 309). *Eccl. cathedralis translatio,*

2. Decreto 29 maii 1926, fit quaedam finium commutatio inter dioecesim Vaciensem et Csanadiensem in Hungaria (A. A. S., 2 augusti 1926, XVIII, 310). *Finium commutatio.*

3. Decreto 7 iulii 1926, fit quaedam immutatio finium dioecesis Augustanae - Monacensis et Frisingensis (A. A. S., 1 septembris 1926, XVIII, 343). *Finium immutatio.*

4. Decreto 13 iulii 1926, immutantur fines dioecesis Ratisbonensis - Monacensis et Frisingensis (A. A. S., 1 Septembris 1926, XVIII, 243). *Finium immutatio.*

[48. 49.]

50. — *S. Congr. de Religiosis.*

Approbationes Institutorum.

Sororum Divini Salv. Roma

1. Decreto 29 aprilis 1926, approbavit definitive Constitutiones Instituti *Sororum a Divino Salvatore*, cuius domus princeps est in Urbe (A. A. S., 2 augusti 1926, XVIII, 314).

Congr. Fratr. Miseric. di Treviri.

2. Decreto 29 aprilis 1926, approbavit definitive Constitutiones Congreg. Fratrum Misericordiae, Treviren., cuius domus princips est in dioecesi Trevirensi (A. A. S., 2 augusti 1926, XVIII, 314).

Sororum Figlie dell'Oratorio di Lodi.

3. Decreto 29 aprilis 1926, approbantur, itemque definitive, Constitutiones Instituti Sororum vulgo « Figlie dell' Oratorio », cuius domus princeps sita est in Lauden (A. A. S., 2 augusti 1926, XVIII, 314).

Inst. Miss. de La Salette.

4. Decreto 7 iunii 1926, approbavit definitive Constitutiones Instituti Missionariorum vulgo « de la Salette » (A. A. S., 2 augusti 1926, XVIII, 314).

Sorores Ursulin. Iesu.

5. Decreto 7 iunii 1926 approbavit definitive Constitutiones Instituti Sororum Ursulinarum Iesu (A. A. S., 2 augusti 1926, XVIII, 314).

Sorores S. Ludovici in Clogher (Irlanda).

6. Decreto 7 iunii 1926, laudavit experimenti gratia, et ad septennium approbavit Constitutiones Congregationi, *Sororum S. Ludovici* in loci Monaghan (Clogher) cuius domus princeps est in dioecesi Clogherien (A. A. S., 2 augusti 1926, XVIII, 314).

51. — *S. C. de Prop. Fide.*

Approbationes Institutorum.

Const. Sororem Pretiosissimi Sanguinis Aarle-Rixtel (Hollandia).

Decretis S. C. de Prop. Fide, SS. D. N. Pius Pp. XI, *definitive* approbavit 9 apr. 1925, Constitutiones Sororum Pretiosissimi Sanguinis de Aarle-Rixtel in Hollandia.

Sodalitatis Mediolanensis pro Missionibus

18 iun. 1925, Constit. Sodalitatis Mediolanensis pro Missionibus ad exteros.

Cong. Mangalorentis, Apostolic Carmel.

12 maii 1926, Constit. Congregationis Mangalorensis Sororum vulgo *Apostolic Carmel.*

52. — *S. Congr. Rituum.*

Causae Beatificationis et Canonizationis.

Emmanuel Ruiz et Septem Soc. Mm. Damasco.

1. Die 22 maii 1926, decretum super *tuto* in causa beatificationis seu declarationis martyrii Ven. S. D. P. Emmanuelis

Ruiz et Septem Sociorum Ordinis Fratrum Minorum in odium fidei interemptorum (A. A. S., 2 aug. 1926, XVIII, 315).

2. Die 22 maii 1926, decretum super martyrio in causa beatificationis seu declarationis martyrii Abba Ghebre Michaëlis, sacerdotis in Congregationem S. Vincentii a Paulo cooptati in odium fidei interempti (A. A. S., 2 aug. 1926, XVIII, 317). *Abba Gheibre Michael (Abissinia).*

— Die 3 iunii 1926 decretum super *tuto* de eodem. (A. A. S., 1 sept. 1926, XVIII, 346). *Natalis Pinot (Angers).*

3. Die 3 iunii 1926, decretum super martyrio in causa beatificationis seu declarationis martyrii Ven. S. D. Natalis Pinot, parochi vici « Louroux-Béconnais » (A. A. S., 1 Sept. 1926, XVIII, 348).

53. — *S. Romana Rota.*

1. Die 15 iulii 1926, citationes edictales de nullitate matrimonii Kearney-Hebert (A. A. S., 2 aug. 1926, XVIII, 324). *Null. matr. (Valleyfield).*

2. Die 15 iulii 1926, citationes edictales de separatione perpetua Bulhak Hutten-Czapska (A. A. S., 2 augusti 1926). *Separat. matr. (Varsavia).*

3. Die 11 augusti 1926, citationes edictales de nullitate matrimonii Zareba-Woicikiewicz (A. A. S., 1 Septembris 1926, XVIII, 364). *Null. matr. (Kielce).*

4. Die 15 augusti 1926, citationes edictales de nullitate matrimonii Wilkowska-Wilczynski. (A. A. S., 1 Septembris 1926, XVIII, 365). *Null. matr. (Sandomir).*

54. — *Provisio Ecclesiarum.*

A. Decretis *S. Congr. Consistorialis* nominati sunt:

25 iunii 1926, R. P. D. Iosephus Pinten, ep. Grandormensis ex ep. Superiorensi (A. A. S., 2 augusti 1926, XVIII, 310). *Grand-Rapid.*

2 iulii 1926, R. D. Theodorus Reverman, ep. Superiorensis (A. A. S., ibidem). *Superior.*

9 iulii 1926, R. P. D. Raymundus M. Rouleau, archiep. Quebecensis, ex ep. Campivallensi (A. A. S., ibidem). *Quebec*

9 iulii 1926, R. D. Iosephus Venturi, ep. Calliensis et Pergulanus (ecclesiae sunt perpetuo unitae). (A. A. S., ibidem.) *Cagli e Pergola*

10 iulii 1926, R. P. D. Alafridus Langlois ep. Campivallensis (A. A. S., ibidem). *Valleyfield*

30 iulii 1926, R. P. D. Augustinus Simeone, ep. Foroiulensis ex ep. Adiacensi. (A. A. S., ibidem). *Fréjus.*

13 augusti 1926, R. D. Petrum Daimo Munzani, ep. Sareptanus, deputatus Administrator Apost. partis italicae archid. Iadrensis (A. A. S., 1 oct. 1926, XVIII, 387). *Sarepta*

14 augusti 1926, R. D. Dionysius Casaroli, archiep. Caietan. *Gaeta*

Calvi e Teano 14 augusti 1926, R. D. Iosephus Marcozzi, ep. Calvensis et Theanensis (binae ecclesiae perpetuo unitae).

Amarillo. 25 augusti 1926, R. D. Rodulphus Gerken, ep. de Amarillo (in Statibus foederatis Amer. Septemtr.).

Moulins 31 augusti 1926, R. D. Ioannis Bapt. Augustus Gonon, ep. Molinensis.

Pompeopoli 28 septembris 1926, R. P. D. Helladium Perlaza, ep. tit. Pompeopolitanus ex ep. Caliensi.

B. *Decretis S. Congr. de Propaganda Fide.*

Pro Gallia Pro st. foed. Amer. Septemt. 1. Die 20 februarii 1925, R. D. Armandus Olichon renunciatus est moderator pro Gallia, Pontificii Operis Sancti Petri Ap., pro Clero indigeno educendo. Itemque pro Statibus Foederatis Am. sept. decreto diei 27 maii 1926, R. D. Eduardus Iones. (A. A. S., 2 augusti 1926, XVIII, 314).

Pro Stat. foed. Amer Septemtr. 2. Die 3 iulii 1926 R. D. Moyses Kiley renuntiatus est membrum Consilii Superiori Generalis Pont. Operis a Propagatione Fidei pro Statibus Foederatis Americae Septentrionalis (A. S. S., 2 augusti 1926, XVIII, 314).

C. Decretis *S. Congr. pro Ecclesia Orientali* nominati sunt:

Adm. Ap. Bulgarorum ritus byzantini 1. Die 31 iulii 1926, R. D. Stephanus Kurteff, ep. titularis Briulisanus, constitutus Administrator Apostolicus Bulgarorum ritus byzantini in dicione Bulgara.

Mossul 2. Die 31 iulii 1926, R. P. D. Georgius Dallal, Archiepiscopus Babylonensis (vulgo *Bagdad)*, ep. Mossulensis ritus Syri, quem S. C. etiam constituit Administratorem Ap. Babylonensem.

Bagdad. Die 10 aug. 1926, SS. D. N. Pius Pp. XI constituit R. P. Gregorium a Virgine, O. Carm. Moderatorem Missionis Carmelitanae Babylonensis (A.-A. S., 1 oct, 1926, XVIII, 392*)*.

55. — *Nominationes.*

A. *Brevibus Apostolicis nominati sunt:*

Suanhwafu 10 maii 1926, R. P. Philippus Tchao, Vicarius Apostolicus de Suanhwafu (A. S. S., 1 septembris 1926, XVIII, 345, 346).

Fenyang 10 maii 1926, R. P. Aloysius Tchen, O. F. M., Vicarius Ap. de Fenyang (A. A. S., ibidem).

Funing. 10 maii 1926, R. P. Theodorus Labrador, O. P., Vicarius Ap. de Funing (A. A. S., ibidem).

Windhoek. 31 maii 1926, R. P. Iosephus Gottharett, ex Instituto Oblatorum B. M. V. Immaculatae, vicarius Ap. de Windhoek in Africa Meridionali (A. A. S., ibidem.)

Beni. 10 iulii 1926, R. P. Franciscus Luna, O. F. M., Vicarius Ap. de Beni (A. A. S., ibidem).

14 iulii 1926, R. P. Ioannes Maiztegni Besoitaiturria, Congr. Miss. Filiorum Cordis Imm. B. M. V., Vicarius Apostolicus de Darien, in America Centrali (A. A. S., ibidem). *Darien*

10 augusti 1926, R. P. Iosephus Hon, Congr. Miss., Vicarius Ap. de Taichowin Sinis. (A. A. S., ibidem). *Taichow*

10 augusti 1926, R. D. Carolus Labbé, canonicus Eccl. Cath. S. Iacobi de Chile, Vicarius Apostolicus de Tarapacà (A. A. S., ibidem). *Tarapacà.*

11 augusti 1926, R. P. Simon Tsu, S. I., Vicarius Ap. de Haimen in Sinis (A. A. S., ibidem). *Haimen.*

56. — *Necrologium.*

5 maii 1926, Ill. D. Michaelis Pascasio, ep. Agathopolitan. *Agatopoli*

20 mai 1926, Ill. D. Martinus Garcia y Alcocer, archiep. Bostren. *Bostra*

30 iunii 1926, Ill. D. Iosephus Salvatoris Scatti, ep. Savonen. *Savona e Noli.*

16 iulii 1926, Ill. D. Paulus G. Keppler, ep. Rottemburgen. *Rottenburg. (Wurtemberg)*

17 iulii 1926, Ill. D. Bernardus Coyne, ep. Elphinen. *Elphin (Irlanda).*

24 iulii 1926, Ill. D. Patritius Folly, ep. Kildarien et Leighlien. *Kildare et Leighlin (Irlanda)*

6 augusti 1926, Ill. D. Bernardus Pizzorno, ep. Sarzanen. *Luni, Sarzana e Brugnato.*

17 augusti 1926, Ill. D. Paulus St. La Rocque, ep. Sherbrooken. *Sherbrooke*

23 septembris 1926, E.mus D. Card. Arthurus St. Touchet, ep. Aurelianen. *Orléans*

25 septembris 1926, Ill. D. Ag. Philippus Alvarado, ep. de Barquisimeto. *Barquisimeto (Venezuela).*

25 septembris 1926, Ill. D. Iacopus Viladrich y Gaspar, ep. Tricomien. *Tricomia*

BIBLIOGRAPHIA

Ex libris

Bernhard van Acken, S. I. *Leitfaden des Ordenslebens für Laienbrüder in religiosen Orden und Kongregazionen,* in 16, IX-184 p. Paderborn, Sehöningh, 1927.

Vorwort. Verzeichniss der benutzen Bücher. — 1 Teil. *Ordenstand; Ordensberuf.* — 2 Teil. *Ordensleben:* Geistliche Pflichten und Uebungen; Verpflichtungen der Gelübde. — 3 Teil. *Leitung und Verwaltung der Ordensgenossenschaften:* Leitung; Vermögensverwaltung. — 4. Teil. *Begräbniss.* — 5 Teil. *Ausscheiden aus der Ordensgenossenschaft.-Schluss.*

Arnauld D'Agnel et D.r **D' Espiney.** *Psychologie et Psychothérapie éducatives* — Aux Parents et aux Maîtres. in-8, 579 p. Paris, Téqui, 1924, Prix: 12 fr.

P. I. L'éducation. et la mentalité contemporaine — L'art et la pédagogie — L'éducateur, ses qualités, sa psychologie — Psychologie et éducation — La psychologie expérimentale — La psychologie de l'enfant — Fonctionnement du psychisme — L'éducation de la conscience psychologique — Sensation et perceptions — Les jardins d'enfants — Le système Montessori, La Maison des petits de l'Institut J. J. Rousseau à Genève, L'École Gary (États - Unis d'Amérique) — La mémoire — L'imagination — L'attention — La volonté — L'éducation de la volonté — La vie affective et l'éducation: émotions, sentiments, passions — L'inconscient — L'orientation professionnelle et l'éducation — Régionalisme et éducation — P. II. La psychothérapie et l'éducation — Psychothérapie à l'aide de moyens physiques — Suggestion et éducation — La psychanalyse de Freud et l'éducation — Principales sources de documentation — Index alphabétique des noms d'auteurs et des termes philosophiques.

A. Ehl, *Schwesternseelsorge,* ed. 2 in-8. VIII - 304 p. Schöningh, Paderborn, 1925. Pretium 5 mk. religatus liber, 6,. 80 mk.

Einleitung. — Die Grundfragen. — Die hauptsächlichsten Mittel — Die Seelsorge bestimmter Gattungen von Schwestern.

— Seelsorgerliche Behandlung aus dem Ordenstande ausscheidender und ausgeschiedener Schwestern. — Seelsorge hinsichtlich der Ordensberufe. — Für den Schwesternseelsorger wissenswerte kirchenrechtliche Bestimmungen.

Anhang. Die Verpflichtungen der Ordensgelübde.

Schlusswort. Sachregister.

D.r Eduard Eichmann. *Lehrbuch des Kirchenrechts* auf Grund des Codex Iuris canonici für studierende. Ed. 2 in-8. XXII-785 p. Schöningh, Paderborn, 1926.

Cum doctissimus vir, ut par est, Codicis ordini inhaereat, non est cur singulas Partes et singula capita exscribamus.

Val. Fallon (S. I.), *Sommaire des Principes d'Économie Sociale.* Namur, Westmael-Charlier, 1926. 155 p.

Introduction — La Production. — La Répartition. — La Circulation. — La Consommation.

I. B. Ferreres, S. I. *Institutiones canónicas,* ed. 4, 2 vol. in-8, XII-585; 612 p. Subirana, Barcelona, 1926.

Prólogo. — *Libro preliminar.* Introducción doctrinal e histórica. — *Libro I.* Normas generales. — *Libro II.* De las personas. — *Libro III.* De las cosas (omissis sacramentis). — *Libro IV.* De los procesos: Parte I. De los juicios; Parte II. De las causas de beatificación de los Siervos de Dios y de canonización de los Beatos; Parte III. Del modo de proceder en la expedición de algunos asuntos o en la aplicación de algunas sanciones penales. — *Libro V.* De los delitos y las penas: Parte I, De los delitos; Parte II. De las penas; Parte III, De las penas contra cada delito en particular.

Apéndice I. Exsequatur. — Apend. II. Comentario sobra la residencia de los Canónigos.

Cánones y números marginales. — Indice alfabético.

Vincenzo dei Giudice (Prof.) *Privilegio, Dispensa ed Epicheia nel Diritto canonico,* gr. in-8, 56 p. Perugia: Guerriero Guerra, 1926.

Premesse: Indeterminazioni dei concetti. Ricerche di Brys. — Privilegi: Generalità; privilegia in Codice contenta; diritto speciale; estensione per analogia; privilegi in senso stretto: *contra* e *praeter* ius; privilegio, dispensa, grazia. — Privilegio e Dispensa come atti d'amministrazione. — L'epicheia.

Prof. **Vincenzo del Giudice,** *Il nostro Manzoni.* Discorso, in-8, 42 p. Perugia, Guerriero Guerra, 1926. Lire 8.

D.r **Franz Adam Göpfert** - D.r **Karl Staab.** *Moraltheologie.* ed. 9. 3 vol. in-8, X-478; VIII-437; IX-551 p.

Schöningh, Paderborn, 1923-24.

Vorwort zur ersten, zur neunten Auflage. — Einleitung. — I. Die allgemeinen Prinzipien des sittlichen Handelns. 1. Die von Gott gesetzten Bedingungen. 2. Die freie Selbstbetätigung des Menschen. — II. Die Verwicklichung des christlich - sittlichen Lebens. 1. Die Tugenden und Pflichten. 2. Die Hilfsmittel des christlichen Lebens (Sakramente, Zensuren und Irregularitäten). Sachregister.

Fernand Gosseries. — *L'Habitation à Bon Marché en Belgique*, in-8, 247 p. Bruxelles, Dewit, 1926 — Prix: 9 fr.

Historique et but de l'oeuvre. - Société nationale des Habitations et logements à bon marché. - Dispositions facilitant aux personnes peu aisées l'acquisition d'une maison à bon marché. - Construction. - Caractère de l'oeuvre de la Société nationale. - La lutte contre les taudis. - Annexes.

Éd. Hugon (O. P.) *Études sociales et psychologiques, ascétiques et mystiques*, in-8, VI-175. Paris, Tequi, 1924. Prix: 5 fr.

La vraie Société des Nations. - L'union des Églises. - Les maladies de la volonté. - La psychologie de la conversion. - Les vertus passives. - La profession religieuse et les oeuvres. - La mystique de Saint Thomas d'Aquin.

Ph. Küble, S. I. *Nacktkultur, eine Volksschrift*, in-16, 176 p. Düsseldorf, Jugendführungsverlag, 1926.

1. Teil: Die gesundheitliche Frage. - 2 Teil: Die sittliche Frage.

D.r **Prof. Joseph Mausbach.** *Ehe und Kindersegen vom Standpunkt der christlichen Sittenlehre.* Gr. in 8 ed. 4, 136 p. Volkverein, M. Gladbach, 1925. (Ehe und Volksvermehrung, von J. Mausbach, Georg Sticker und Frantz Hitze.)

Vorwort. Einleitung: Der Geburtenrückgang im Ganzen der heutigen Volksentwicklung. — I. *Das Wesen der Ehe und seine sittlichen Folgerungen.* — II. *Die gewollte Geburtenbeschränkung.* — Der kirchliche Standpunkt und seine Begründung; Beleuchtung und Lösung praktischer Schwierigkeiten; Neue Fragen und Einwände zum wichtigsten Eheproblem.

Schlusswort: Ausblicke in die Seelsorge und die politische Aufbauarbeit.

H. Merkelbach, O. P. *Quaestiones de Castitate et Luxuria.* In-8, 104 p. Leodii (Liège), 38 Quai Mativa, 1926.

Introductio. - De organis genitalibus et de generatione notiones physiologicae. - De Castitate et Luxuria principia theologica. - De Luxuria consummata iuxta naturam. - De Luxuria consummata contra naturam. - De Luxuria imperfecta seu de

Impudicitia. - De Luxuria interna. - De causis et remediis luxuriae. - De coniugibus in usu matrimonii.

J. Schoonjans. *Résumé d' Histoire de Belgique.* In-8, 117 p. Bruxelles, Dewit, 1926.

La Belgique ancienne - La Belgique féodale - La Belgique urbaine - La Belgique bourguignonne - La Belgique espagnole - La Belgique autrichienne - La Belgique française - Le Royaume-Uni des Pays-Bas - La Belgique indépendante. Conclusion.

H. Wegener. *Noi giovani!* — Il problema sessuale nella vita prematrimoniale di ogni giovane istruito : Purezza - Forza - Amore. - Traduzione dal tedesco di **G. Lochmann.** 4 Edizione. Torino, Bocca, 1922, VIII-176 p. Prezzo : L. 7.

Lettera-prefazione di Paolo Lioy. - Prefazione. - L'attuale concetto dell'amore. - L'istinto sessuale. - La donna. - Piacere e lavoro. - La salute. - La futura generazione. - Il popolo. - Conclusione.

*** *Ch. Maurras maître de la Jeunesse Catholique?* Réponse de l' opinion catholique belge. (Professeurs d' enseignement superieur ; Professeurs d'enseignement moyen ; hommes d'oeuvres) in-8, 208 p. Liège, éditions des Études Religieuses (Quai Mativa, 38).

*** *Principî e direttive in ordine alla Scuola, ai problemi economici ed alla attività politica* — XII sessione delle Settimane Sociali d'Italia, (1925, Napoli). A cura della Giunta Centrale dell'Azione Cattolica Italiana Gr. in-8, 242 p. Milano, Ed. « Vita e Pensiero », 1926. Prezzo: L. 12.

Mons. C. Dalmazio Minoretti (Arciv. di Genova): Direttive dei principî cristiani in ordine all'attività pubblica. — Fr. Emilio Chiocchetti (O. F. M.): L'educazione secondo il concetto cristiano. — Prof. Guglielmo della Rocca: La legislazione scolastica in Italia. — Fr. Agostino Gemelli (O. F. M.): I postulati dei cattolici in ordine alla legislazione scolastica. — Mons. Vincenzo Bianchi-Cagliesi: Armonia fra la legge morale e le leggi economiche. — Avv. Callisto Giavazzi: Lavoro e retribuzione. — P. Mariano Cordovani (O. P.): Doveri sociali delle classi. — Lodovico Barassi: Il concordato collettivo del lavoro. — P. Giovanni Balduzzi: I Sindacati dei Lavoratori e dei datori di lavoro. — Dott. Albino Uggè: La legislazione e l'organizzazione del lavoro. — P. Agostino Garagnani (S. I.): L'Azione Cattolica. — Giuseppe Dalla Torre: I cattolici organizzati e le Associazioni cattoliche in ordine all'attività politica.

G. Gibert, S. I. — *Les Petits Chinois — ou la Sainte Enfance au Vicariat de Nankin.* — Histoires vraies avec des illustrations. — Deuxième série — Paris, Téqui, 1926. — Prix 2 frs.

Albert Lepidi, O. P. *Explication dogmatique sur le Culte du Coeur Eucharistique de Jesus* — Nouvelle édition par le R. P. Édouard HUGON O. P. — Paris, Téqui, 1926 — in-16-VIII 56 p. Prix: 2 frs.

Préface. — Texte latin et texte francais.

A. Marchand (président du Bureau des constatations médicales de Lourdes). — *Les faits de Lourdes — Nouvelle série de Guérisons enregistrées au Bureau médical* 1923-1925 — (Préface de M. le Chanoine DUPLESSY). — Paris, Téqui 1926, XXVIII-290 p. — Prix, 12 fr.

Préface. — Introduction. — Les tuberculeux. — Mal de Pott et lésions de la colonne vertébrale. — Guérisons diverses.

*** L' *Apostolat missionnaire de la France.* Conférences données à l' Institut Catholique de Paris. Série 1923-1924. In 8, XXII-310 p. Paris, Téqui, 1924. Prix 7 f.

Card. DUBOIS: Lettre-préface. — Mgr. OLICHON: Introduction: L' Union missionnaire du Clergé. — Mgr. DE GUÉBRIANT: La Chine Catholique. — R. P. CAZOT, Lazariste: Ce que nous faisons en Turquie ? — R. P. TAUZIN, des Pères Blancs: Le Cardinal Lavigerie et l' Afrique chrétienne. — R. P. GRANGENEUSE, S. I.: Le catholicisme dans les Indes. — R. P. DUCHAUSSOY, O. M. I.: Aux glaces polaires. — R. P. MANIGLIER, Assomptionniste: Les Missions d' Orient. — R. P. LEPRÊTRE, des Frères-Mineurs: Terre Sainte et Maroc. — R. P. JOULORD, Miss. d' Afrique de Lyon: L'Afrique Occidentale. — R. P. LAJOIE, Eudiste: Le Vicariat apostolique du Golfe Saint-Laurent. — MGR. LE ROY, des PP. du Saint-Esprit: L' évangélisation des colonies françaises.

I. - B. Aubry. *Vocation Virginale.* Deuxième édition. Paris, Téqui, 1925. VIII-116 p. Prix: 2 fr.

I. - B. Aubry. *Le radicalisme du Sacrifice.* Méditation. 4e édition. Paris, Téqui, 1925. - 60 p. Prix: 1 fr.

Marie-Théodore De Bussierre. — *Les Oeuvres de Sainte Catherine de Gênes-précédées de sa Vie.* In 8, VIII - 255 p. — Paris, Tralin, 1926 — Prix: 12 fr.

Dédicace. Indications préliminaires. — Vie de S.te Catherine — Traité du Purgatoire. — Dialogues de S.te Catherine.

E. Duplessy. *Retraite de Première Communion Solennelle.* — Troisième Édition. — Paris, Téqui, 1926. - IX - 283 p. — Prix: 7. fr. 50.

Préface. — Programme des trois jours. Allocution et ser-

mon pour le jour de la communion. — La *Confirmation :* deux entretiens.

Marie-Ioseph Gerlaud (P.) — *L' intercession des Saints* — Paris, Téqui, 1925. IX - 103 p. Prix : 3 fr.

Introduction. — Historique : Erreur et Verité. — Dieu, seul Auteur de la grâce. — Le Médiateur parfait. — Les Médiateurs secondaires. — Hiérarchie de l'intercession : Marie, Médiatrice maternelle. — Marie, Médiatrice des médiateurs. Ces Médiateurs. — La prière des Saints. Nos prières connues des Saints — Excellence et utilité de l' Invocation.

L. Garriguet. — *Les deux grandes dévotions de l' heure presente — Dévotion a l' Eucharistie et dévotion au Sacré-Coeur.* Paris, Téqui, 1926 — 186 p. — Prix : 5 fr.

Affinités des deux dévotions. — Autonomie de chacune. — Objet. — Motifs — Fin. — Pratiques. — Origine. — Caractère latreutique. — Action. — Rencontre des deux dévotions. — Union des deux dévotions. — Consécration et progrès. — Merveilleux effets. — Mode d' action de la S.te Communion. — Persévérance de l' union avec N. S. après la S.te Communion. — Fréquente communion. — Messe. — Visite au S. Sacrement. — Effets de la dévotion au S. Coeur. — Encouragements divins. — Formes récentes. — Besoins religieux de l' heure présente.

Gibier (Ill. D.) — *La France catholique organisée.* In-8, XXXIV - 364 p. — Paris, Téqui, 1925. Prix : 10 fr.

Introduction. — Les débuts de l'organisation diocésaine (1908 à 1914 - 1914 à 1919 - 1919 à 1922). La codification de l'organisation diocésaine. — Le Diocèse. — Le Canton. — La Paroisse. — Quelques précisions sur l'organisation diocésaine.

Paulin Giloteaux. — *La Bienheureuse Thérése de l'Enfant-Jésus et la Vie de Victime.* Paris, Téqui, 1925. X - 201 p. - Prix : 5 fr.

PREMIÈRE PARTIE. Généralités sur la vie de victime — DEUXIÈME PARTIE. La B. Thérése et la vie de victime. — TROISIÈME PARTIE. Moyen pratique de réaliser la vie de victime. — Appendice. Conversion extraordinaire ; les Papes et la vie de victime. — L' Église et le Quiétisme.

Victor Hostachy. — M. S. *Joie et Sainteté.* Troisième Série. *Études d' Ames du IV ème siècle.* In-8, 215 p. - Paris, Desclée, De Brouwer et C., 1925.

Eustochium : La joie de la virginité. — *Démétriade :* La joie de la vocation. — *Mélanie la Jeune :* La joie du dépouillement. — *Marcelline :* La joie de l' amitié fraternelle. — *Thérasie :* La joie de l' affection conjugale.

M. R. Jeuné. *Une mystique dominicaine : La Vénérable Agnès*

de Langeac (1602 - 1634). Paris, Téqui, 1924. XII - 242 p. Prix: 6 fr.

PRÉFACE. — PREMIÉRE PARTIE. Le pèlerinage terrestre. — DEUXIÉME PARTIE. L'héritage spirituel: L'Esprit; Les oeuvres.

J. Koenig. *Nouveau Mois du Sacré - Coeur* d'après l'Évangile. — Deuxième édition. Paris, Téqui, 1926. — In-24. — VII - 240 p. — Prix: 5 fr.

Méditations et Prières.

Laveille (Mgr.) et **Charles Collin** (abbé). *Gabriel Deshayes et ses Familles religieuses* — d'après des documents inédits. — VII - 580 p. — Prix: 12 fr. Paris, Téqui, 1924.

Vie. Action pastorale. — Fondation des Frères de Ploërmel. — Les Filles de la Sagesse. — Les Missionnaires de la Compagnie de Marie. — Les Frères du St. Esprit. — L'oeuvre des sourds-munets. — Les Frères agriculteurs de St. François d'Assise — Soeurs de l'Instruction chrétienne de St. Gildas — Aide apportie à plusieurs Congregations. — La scoroivance.

Pichenot (Ill. D.) — *L' Évangile de l'Eucharistie — ou la Vie de N. - S. Jésus-Christ - continuée et reproduite au Saint - Sacrement de l'autel.* — Conférences prêchées dans la cathédrale de Sens, par Mgr. PICHENOT, Archevêque de Chambéry — Septième édition. — Paris, Téqui, 1925.-XLIII-394 p. Prix: 10 fr.

Préfaces — Vie proprement dite et oeuvres extérieures de N. S. J. C. au Très Saint Sacrement. — Enseignements de N. S. J. C. au T. S. Sacrement. — Exemples et Vertus de N. S. J. C. au T. S. Sacrement.

*** *La Fête et la Messe de Jésus-Christ Roi — Textes Liturgiques — Doctrine Catholique.* — Par un professeur de Séminaire. In-16, VII - 180 p. — Paris, Téqui, 1926.

Fête et Doctrine. — Messe propre: Commentaire. — Royauté de Jésus dans la Liturgie et dans la vie pratique.

*** *Sainte Angèle Merici et l' Ordre des Ursulines* — Par une Religieuse du même Ordre. Ouvrage recommandé par S. E. le Cardinal Valfrè di Bonzo, Préfet de la Sacrée Congrégation des Religieux et par plusieurs éminents Religieux. Nombreuses gravures authentiques. 2 vol. in-16, XXIII - 432 - 569 p. Paris, De Gigord, 1922.

PREMIÈRE PARTIE. Vie de S.te Angèle Merici. — DEUXIÈME PARTIE. La Compagnie de S.te Ursule, jusqu' à son élévation à l' état d' Ordre religieux. — TROISIÈME PARTIE. La Compagnie de S.te Ursule depuis son élévation à l' état d' Ordre religieux (1612) jusqu' à nos jours.

Ex Periodicis

Collationes Brugenses, mai.-oct. 1926. — C. CALLEWAERT, De obligatione Ritualis Romani. — V. COUCKE, Casus de impedimento criminis, De impedimentis consanguinitatis et affinitatis. — De impedimento cognationis spiritualis. — Casus de absolutione sacramentali. — A. LEGRAND, De via crucis. — De altari et missis Gregorianis. — J. BRYS, De ecclesia funeris, de obligatione concedendi fidelibus defunctis ritum sepulturae sacrae. — DE JONGHE, De principio : officium pro officio. — De choreis recentioribus. — De interrogatione impuberum circa impudicitiam.

Collationes Gandavenses, iun. oct. 1926. F. CLAEYS BOÚÚAERT, De metus influxu in valorem tum moralem, tum iuridicum actuum. — O. LEJOUR, De correptione fraterna. De locis ubi ss. eucharistia asservari possit vel debeat. — A. STANDAERT, De restitutione propter damnum, propter impeditam consecutionem boni, propter adulterium.

Collationes dioecesis Tornacensis, iul.-sept. 1926. Quid sit persona moralis et quomodo in canonico iure constituatur et exsistat. — Quid in genere tenendum sit et animadvertendum de cultus liturgici ministro ? — Casus de revalidando matrimonio extranei invalido ex capite criminis. — Comment se renseigner et discerner bonnes et mauvaises lectures.

Commentarium pro religiosis, mai-octob. 1926.

S. GOYENECHE. Prohibitio facta Praefectis scholasticorum audiendi eorum confessiones. — De noviciatu complendo in domo noviciatus. — Privilegium canonis pro noviciis. — Reelectio abbatissarum. — Formulae professionis. — Notio apostasiae. — Violatio sigilli cum paenitente. — Professio illius qui ignorans astringitur servitio militari. — Professio post servitium militare. — Habitualis confessio religiosi extra domum (Responsa). — B. VAN ACKEN, Abusus libertatis religiosis pro confessione concessae. — PH. MAROTO, De accessu ad monasteria monialium. — E. NEBREDA, De loci Ordinarii iuribus circa pia legata donationesve tum religiosis, tum eorum ecclesiis etiam paroecialibus facta. — Quaestiones selectae de iure administrativo Ecclesiastico. — A. LARRAONA. Commentarium Codicis, c. 504. 505.

Estudios ecclesiasticos. April.-iul. 1926, ANTONIO ENCINAS, S. I., Estudio psicológico-experimental de la meditación de los

— principiantes. — MANUEL QUERA, S. I. Acerca de una nota referente al sacramento del orden.

Estudios Franciscans, maig-nov. 1926. — AMBRÒS DE SALDES. Notes i documents Franciscans. — JOSEP CARNER. Cap al desarmament. - Cristianisme i Comunisme. — P. MIQUEL D'ESPLUGNES. Vocació de Sant Francesc. — ÉTIENNE GILSON, S. Thomas et la pensée Franciscaine. — FRÉDEGAND D' ANVERS, La Joventut joiosa de Sant Francesc.

Jus Pontificium ian.-sept. 1926. — A. BONDINI, O. M. Conv. De Congruae supplemento capitulis Italiae a R. Gubernio concesso, disquisitio. — De fiduciae ad pias causas in foro externo probatione. — F. CAPPELLO, S. I. De can. 2343 c. § 4 (exc. in percussores clericorum et religiosorum). — De fallentiis capitularibus. — F. D'AMBROSIO. De basilicarum minorum historia atque iuribus. — B. OIETTI, S. I. Ad c. 1045 § 3 Codicis. — A. TOSO. Ad Codicem, commentaria a can. 431-465. — (Vindex) Domicilium et quasi domicilium, eorumque effectus in Codice.

Il Monitore ecclesiastico, maggio-ottobre 1926.

Il nuovo Rituale. — Su la precedenza corale e gli obblighi del canonico giubilato. — I vescovi e le distribuzioni corali. — Della trasmissione degli stipendi di Messe.

Benediktinische Monatschrift, n. 7-10, 1926. — BENEDIKT BAUR, Die Vermittlerin aller Gnaden. — Kard. MERCIER, Zur Psychologie des liturgischen Lebens. — ALOIS MAGER, Sadhu Sundar Singh, der neu-indischer Mystiker. — TIMOTHEUS KRANICH: Christus, der König der Jahrhunderte.

Pastor bonus, iul-nov. 1925. — B. VAN ACKEN, S. I. De molestis casibus qui in re libidinosa occurrunt. — D. LENZ, Gedanken Zur Ehescheidungsreform. — Verpflichtung des Bücherverbotes. — Der Gütegedanke im Recht. — ** Der Missionskreuzzug der studierenden Jugend. — Dr. PRIOR, Kunst und Seelsorge. — Dr. ROMMEN, Neue Wege in der Katholischen Staatsphilosophie.

Theologisch-praktische Quartalschrift, Linz. 1926. Heft III. und IV. COHAUSZ, S. I. Dass Fest des Königtums Christi. - J. BIEDERLACH, S. I. Zur Arbeits-und Arbeitslohn-Frage. - OSW. V. NELL-BREUNING, S. I., Stat pro lege praesumptio. - D.R W. GROSAM, Neue Forschungen zum Problem der « fakultativen Sterilität ». - D.R WILLEM CARDUCK. O. M. I. *Der kürzeste Weg zur Vollkommenheit.* - I. BAERS, Ein modernes Mittel zur Zurückgewinnung abständiger und abgefallen Katholiken. -

Continuabitur.

PARS ALTERA

MONUMENTA

57. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Litterae Encyclicae " Iniquis afflictisque „ 18 nov. 1926

DE ASPERRIMA REI CATHOLICAE CONDICIONE IN FOEDERATIS MEXICI CIVITATIBUS.

(A. A. S., 1. dec. 1925, XVIII, 465)

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES (1)

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Memorata allocutione consistoriali exeuntis anni 1925,

Iniquis afflictisque nominis catholici rebus in Mexicana republica non posse, nisi « e praesentiore aliquo Dei miserentis auxilio », satis sperari exspectarique levaminis, diximus superiore anno exeunte cum Purpuratos Patres in Consistorio congregatos alloqueremur; sententiae autem optatisque Nostris, quae haud semel aperuimus, congruenter, minime vos cunctati estis popularibus vestrae pastorali sollertiae commissis instare, ut divinum Ecclesiae Conditorem intento precum officio ad medendum tantae malorum gravitati commoverent. Tantae, inquimus, malorum gravitati, cum in carissimos filios e Mexico Nostros alii quidem filii, ab Christi militia transfugae et a communi omnium Patre alieni, acerbe saevierint antehac hodieque saeviant. Quodsi prioribus Ecclesiae aetatibus aliasque

atque inaudita Ecclesiae insec-

(1) *Ad RR. PP. DD. Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios Pacem et Communionem cum Apostolica Sede habentes.*

tatione in Mexico,

deinceps cum christianis atrocius est actum, nusquam tamen nulloque fortasse tempore contigit, ut, Dei Ecclesiaeque posthabitis violatisque iuribus, per tam meditatas artes additamque, ad arbitrium excusandum, quandam legum speciem, perpauci plurimorum libertatem, nulla civium in cives pietate, nulla habita avitarum laudum ratione, quoquo pacto interceperint.

S. Pontifex proponit gratias agere de indictis supplicationibus, quas nec interruptas vult, nec frustraneas ostendit;

Ob indictas igitur ad rem atque adhibitas privatim publiceque supplicationes volumus ne vobis desit fidelibusque universis amplissimum gratae voluntatis Nostrae testimonium; quas quidem preces, salutariter haberi coeptas, magni profecto refert minime intermitti, immo etiam continuari vehementius. Etenim rerum temporumque vices, sententiis animisque hominum immutatis, ad societatis humanae regere atque accommodare salutem, sane mortalium non est sed divini Numinis, quod unum potest eiusmodi vexationibus finem certumque terminum constituere. Vobis vero ne videamini, Venerabiles Fratres, eiusmodi supplicationes nequiquam indixisse, quod reipublicae Mexicanae gubernatores, ob inexpiabile religionis odium, nefaria iussa acrius duriusque urgere perrexerint: copiosiore enim divinae gratiae effusione et clerus et catholicorum illorum multitudo ad patienter resistendum roborati, tale de se exemplum spectaculumque ediderunt, quod Nosmet ipsi, sollemni apostolicae auctoritatis documento, in luce totius catholici orbis iure meritoque collocemus. Superiore quidem mense, quo die frequentissimis illis Gallicae eversionis martyribus beatorum caelitum honores decrevimus, ad catholicos Mexicanos sponte cogitatio Nostra provolabat, quibus id ipsum, atque illis, deliberatum propositumque esset, libidini scilicet ac dominatui alieno toleranter refragari, ne ab unitate Ecclesiae atque Apostolicae Sedis auctoritate desciscerent. O praeclaram divinae Christi Sponsae laudem, cui nobilior generosiorque suboles, pro sanctissima fidei libertate et propugnare et pati et mori parata, saeculorum decursu numquam desiderata est.

et simul merita confessorum Mexicanorum sollemni documento in luce collocare.

Quid catholici perpessi sint,

Tristia Mexicanae Ecclesiae tempora, Venerabiles Fratres, non est quare multo altius repetamus. Id unum commemorare satis esto, recentiore aetate, motus civiles, sane frequentes, plerumque in religionis perturbationem eversionemque erupisse, quemadmodum, praecipue, annis MDCCCCXIV et MDCCCCXV accidit, cum homines inveteratae cuiusdam barbariae in utrumque clerum, in sacras virgines, in loca et res divino cultui dedicatas tam ferociter tamque aspere fecerunt, nulli ut iniuriae atque ignominiae, nulli ut violentiae pepercerint. Cum vero in

re exploratissima versemur, de qua et Nos publice expostulavimus et in diurnis commentariis est copiose relatum, multis vobiscum dolere non attinet, postremis hisce annis, e Delegatis Apostolicis in Mexicum dimissis, omni contempta et iustitiae et fidei et humanitatis causa, alium e republica eiectum, alium, qui ob valetudinem paulisper extra fines secesserat, remigrare prohibitum, alium denique haud minus hostiliter habitum et discedere iussum. In quo — ut praetereamus, nullum aptiorem, quam inlustres ii viri, pacis interpretem conciliatoremque evasurum fuisse — et archiepiscopali eorum dignitati et perhonorifico muneri, potissimum vero Nobis, quorum auctoritatem praeferebant, quantum sit inustum dedecoris, nemo non videt.

quaenam iniuria ipsi in Delegatis illata sit breviter refert.

Acerba haec quidem et gravia; verum, Venerabiles Fratres, quae mox dicturi sumus, ea sunt ab Ecclesiae iuribus tam absona quam quae maxime, eademque longe catholicis eius nationis calamitosiora.

Atque primum de lege illa videamus, quam, anno 1917 latam, Foederatarum Mexici Civitatum *Constitutionem Politicam* vocant. Ad rem nostram quod attinet, discidio reipublicae ab Ecclesia sancito, nulla huic iura, veluti capite deminutae, iam constant, nulla comparari in posterum queunt; fitque magistratibus potestas suae in cultu disciplinaque Ecclesiae externa interponendae auctoritatis. Sacrorum administri ceteris, quotquot liberales operosasque profitentur artes, exaequantur, eo quidem discrimine, ut ii non modo Mexicani ortu esse debeant et certum excedere numerum nequeant, quem singularum Civitatum legumlatores definierint, sed etiam politicis civilibusque iuribus, sceleratorum instar aut insanorum hominum, priventur. Huc accedit, quod, cum civibus decem coniunctim, magistratui significare iubeantur, se aut alicuius templi possessionem iniisse aut alio translatos esse. Religiosa vota emitti, Ordines Sodalitatesque religiosas in Mexico esse non licet. Cultum publicum, nisi intra aedes sacras et sub gubernatorum vigilantia, exercere nefas; templa ipsa nationi attribuuntur propria; quo in genere episcopales et canonicales aedes, Seminaria, religiosae domus, hospitia et instituta omnia, quae beneficentiae consulunt, ab Ecclesia abiudicantur. Neque enim haec cuiusquam rei dominium obtinet; quaecumque vero bona eo tempore, cum lex lata est, possidebat, eadem nationi attributa sunt, data cuivis actione ad denuntiandum quicquid Ecclesia per alios habere videbatur: cui quidem actioni fulciendae meram praesumptionem favere ea lege cavetur. Sacrorum administri nihil capere testamento queunt, nisi a genere proximis relictum sibi sit.

Usurpationes legis 1917, seu Constitutionis Politicae *describit, quae Ecclesiam omni iure, omni possessione spoliat, nihil Sanctum esse sinit in matrimoniis, in Scholis.*

Nulla Ecclesiae agnoscitur in christianorum matrimonium potestas, quod propterea tum dumtaxat est validum, cum iure civili validum exsistit. Libera quidem docendi facultas, hisce tamen condicionibus, ut sacerdotibus et religiosis sodalibus ludos tradendis litterarum initiis aperire et moderari ne liceat, utque puerilis institutio, in privatis quoque ludis, omnino religione vacet. Statutum item est, quae Ecclesia ediderit de peracto in scholis suis studiorum curriculo testimonia, ea quidem inania publice habitum iri. — Eiusmodi, Venerabiles Fratres, legem qui condidere quique probarunt ac sanxerunt, iidem profecto aut ignorabant, in Ecclesia, societate sui iuris perfecta, a Christo hominum Redemptore ac Rege ad communem salutem constituta, plenam sui obeundi muneris libertatem inesse divinitus — quae quidem ignorantia, saeculo post Christum natum vicesimo, in catholica natione inque hominibus baptizatis incredibilis videatur —, aut superbe dementerque censuerunt, posse se « domum Domini, firmiter aedificatam et bene fundatam supra firmam petram » disiicere atque evertere, aut acri Ecclesiae quoquo pacto nocendi libidine flagrabant. — Itaque, post infestissimae legis promulgationem, Mexicani archiepiscopi et episcopi silere qui poterant? Atque, brevi post, pacatis at nervosis reclamitare ii litteris: expostulationem ratam habere proximus decessor Noster, probare sacrorum Antistites e nonnullis nationibus omnes communiter, ex aliis plerique singulatim; confirmare Nosmet ipsi postridie calendas Februarias hoc anno, cum ad cunctos Mexicanos Praesules consolatoriam epistulam inscripsimus. Confisi vero iidem Praesules sunt, reipublicae rectores, tranquillatis sensim rebus, intellecturos fore, ex capitibus eius legis, quibus religiosa libertas contrahebatur, quantum populi paene universitati impenderet detrimenti ac periculi, ideoque, concordiae causâ, nullo aut vix ullo eorum capitum usu, ad tolerabilem interea vivendi modum deventuros. Verum, etsi, Pastoribus mitiora suadentibus, infinitam clerus populusque adhibuere patientiam, spes tamen omnis cecidit quietis pacisque redintegrandae. Lege enim a reipublicae Praeside postridie calendas Iulias hoc anno promulgata, iam tum Ecclesiae in iis regionibus paene nihil superest ac relinquitur libertatis; ministerii sacri exercitatio adeo praepeditur, ut, quasi quoddam capitale facinus, poenis severissimis plectatur. Hoc equidem tam perverso publicae potestatis usu, ultra quam credibile est, Venerabiles Fratres, commovemur. Quisquis enim Deum, Creatorem nostrum ac Redemptorem amantissimum, pro officio veneratur; quisquis vult Sanctae Matris Ecclesiae parere

Divinitus data iura Ecclesiae vel ignorant; vel, ut magis verisimile est, evertere Ecclesiam se posse superbe censent.

Inde Antistites litteris quas ceteri episcopi, et ipse Pontifex probavit, reclamitare coeperunt frustra, ex ipsa patientia, tolerabiliorem condicionem sperantes

Pejor enim lex 2 iulii promulgata est.

Quantum inde Pontifex commoveatur!

mandatis: hic, hic, inquimus, sons habendus est ac maleficus, hic de communibus iuribus deturbandus, in publicas hic custodias cum sceleratis hominibus coniiciendus. O quam apte in rei istius auctores illud Christi Iesu Domini nostri quadrat, ad principes iudaeorum dicentis: « Haec est hora vestra, et potestas tenebrarum ». (1) — Ex hisce profecto legibus alteram minus recentem recentissima altera non tam interpretatur, ut volunt, quam deteriorem facit ac multo intolerabiliorem; utriusque vero praescripta sic ipsi reipublicae Praeses et administri urgent, ut nullos singularum gubernatores Foederatarum Civitatum nullosque magistratus et militum duces quiescere a catholicorum insectatione patiantur. Addita insectationi ludibria: Ecclesiam enim apud populum criminari consuevere, alii impudentissimis mendaciis per contiones coram omnibus habitas, sibilis et conviciis adempta cuivis e nostris obloquendi repugnandique facultate, alii per ephemerides et diaria catholicae veritati atque actioni infensissima. Quodsi initio in diurnis commentariis, veri enarratione et falsi refutatione, aliquam Ecclesiae defensionem tuitionemque experiri nostri potuerunt, iam his civibus, caritate patriae flagrantibus, pro avitae fidei et divini cultus libertate clamare, questu vel vano, non licet. At Nos, conscientiâ permoti apostolici muneris, Venerabiles Fratres, clamabimus; et quae hinc adversariorum fuerit impotentia ac libido, quae illinc episcoporum, sacerdotum, religiosarum familiarum, laicorum heroica virtus atque constantia, a communi Patre catholicus orbis audiat universus.

Interpretatione, actione Praesidis lex fit deterior.

Addita sunt insectationi ludibria.

Nec iam defensio per ephemerides permissa. Clamabit vero Pontifex.

Exteri sacerdotes vel religiosi viri eiiciuntur; conlegia pueris puellisve christiane instituendis idcirco obserantur quia aut aliquod habeant inditum religiosum nomen aut aliquam imaginem statuamve sacram possideant; haud aliter occlusa Seminaria satis multa, scholae, nosocomia, coenobia, aedesque templis continentes. In Civitatibus seu Statibus paene singulis circumscriptum definitusque, ad ministerium sacrum obeundum, quam minimus sacerdotum numerus, qui illud tamen obire nequeunt nisi apud magistratum inscripti sint ab ipsove veniam impetrarint. Alicubi ministerio perfungendo tales condiciones sunt positae, quae, si res adeo luctuosa non ageretur, risum moverent: ut sacerdotes, exempli causa, certum quendam habeant aetatis annum; ut matrimonio, quod vocant, civili coniuncti sint; ut, nisi profluenti aqua, ne baptizent. In quodam Statu seu Foederata Civitate decretum, intra eius Civitatis fines

Quam plurimas vexationes denuntiat.

(1) Luc., XXII, 53.

non plures, quam unum, episcopos esse; quamobrem duos sacrorum Antistites e dioecesibus suis exsulatum abiisse novimus. Rerum vero condicione compulsi, nonnulli alii e sede honoris sui episcopi discedere; alii ad iudices deferri; complures comprehendi; ceteri in eo esse ut comprehendantur. Ab Mexicanis autem omnibus, qui aut puerorum iuvenumve institutioni aut aliis publicis vacarent officiis, quaesitum, facerentne cum reipublicae Praeside, bellumne catholicae religioni illatum laudarent; coacti iidem, ne ab officio submoverentur, una cum militibus et opificibus, pompam quandam participare, ab eo Foedere *socialistico* indictam, quod Regionale Operarium Mexicanum vocant: quae quidem pompa, per Mexicum ceterasque urbes uno eodemque die instituta et post impias ad populum contiones dimissa, eo spectavit, ut, Ecclesiâ contumeliis oneratâ, eiusdem Praesidis actio atque opera clamore plausuque coeuntium probaretur. Neque hic inimicorum arbitrium et crudelitas constitit. Viri et mulieres, qui religionis Ecclesiaeque causam vel viva voce vel scidis commentariolisve diribitis tuerentur, in ius vocati sunt in custodiamque traditi: item ad carceres deducti, senibus vel lectica vectis, integri canonicorum ordines; sacerdotes aliique e populo in compitis viarum, in foris plateisque, e regione aedium sacrarum, immisericorditer caesi sunt. Utinam qui tot tantorumque culpam praestant facinorum, tandem aliquando resipiscant et ad Dei misericordiam paenitendo fiendoque confugiant: quam quidem nobilissimam filios Nostros inique caesos ultionem ab interfectoribus coram Deo petere, habemus persuasissimum.

Quomodo vi coacti sint officiales bellum religioni indictum participare.

Quid passi sint qui pro Ecclesia egerint.

Conversionem optat interfectorum.

Iam nunc consentaneum ducimus, Venerabiles Fratres, delibando exponere quemadmodum episcopi, sacerdotes et fideles e Mexico ascenderint ex adverso atque opposuerint murum pro domo Israel, et steterint in proelio (1).

Dubitandum profecto non erat quin Mexicani Antistites omnia uno consensu experirentur quae in se essent, ut libertati dignitatique Ecclesiae prospicerent. Atque primum, data ad populum communiter epistula, postquam facile evicerunt, clerum placide semper, itemque prudenter ac patienter cum reipublicae gubernatoribus egisse et leges minus aequas animis vel remissioribus tolerasse, enucleatis de divina Ecclesiae constitutione doctrinis, fideles monuerunt, ita in catholica religione esse perseverandum, ut « obedire... Deo, magis quam hominibus » (2) oporteret quotiescumque leges iniungebantur, cum

Prudens et simul fortis actio Episcoporum,

Documenta data fidelibus.

(1) EZECH., XIII, 5.
(2) *Act.* V, 29.

ab ipsa legis notione et nomine alienae, tum ipsi Ecclesiae constitutioni vitaeque repugnantes. Post infestam autem legem a reipublicae Praeside promulgatam, per communes alteras expostulationis litteras, haec edixere: talem legem accipere idem esse atque addicere Ecclesiam et quasi mancipio dare Civitatis rectoribus, quos, ceteroqui, planum erat minime ab incepto destituros; malle se a publica ministerii sacri perfunctione abstinere; divinum igitur cultum, qui sine ulla sacerdotum opera haberi non posset, in omnibus suarum dioecesium templis, ab die mensis Iulii postremo — quo die lex illa valitura foret — esse omnino intermittendum. Cum autem gubernatores iussissent, aedes sacras ubique laicis custodiendas committi, quos municipii praeses delecturus esset, sed nullo pacto iis tradi qui ab episcopis sacerdotibusve aut nominarentur aut designarentur, earum possessione aedium ab ecclesiasticis tum ad civiles magistratus translata, paene ubique episcopi interdixerunt fidelibus, ne electionem de se a civili magistratu factam acciperent, neve in ea templa, quae in potestate Ecclesiae esse desiissent, ingrederentur; alicubi vero, pro locorum rerumque varietate, aliter consultum est. — Attamen ne putetis, Venerabiles Fratres, Mexicanos Antistites, si qua ad temperandos animos concordiamque conciliandam idonea sibi data est opportunitas et commoditas, hanc posthabuisse, quantumvis bono aliquo de exitu subdiffiderent, immo potius desperarent. Constant enim, qui in urbe Mexico Antistites conlegarum suorum quasi procuratores haberi queunt, perhumanas eos officiosasque ad Praesidem reipublicae dedisse pro Episcopo Huejutlensi litteras, qui, indignum in modum magnoque militum comitatu, captivus in urbem, quam vulgo *Pachuca* nuncupant, deductus erat; at non minus in comperto est, ipsum iracunde odioseque rescripsisse. Egregii autem quidam viri, pacis studiosi, cum se sponte interposuissent, ut idem Praeses cum Archiepiscopo Moreliensi et Episcopo Tabasquensi colloqui vellet, diu multumque de rebus gravissimis, nullo quidem successu atque eventu, utrimque disputatum est. Mox deliberavere episcopi, utrum a Consilio Publico legibus ferendis abrogationem earum legum exposcerent quae Ecclesiae iuribus adversarentur, an potius, quemadmodum antea, patienter, seu *passive*, ut aiunt, resisterent: non una enim de causa, eiusmodi rogationem praeferendo, acturi nequiquam sibi videbantur. Obtulerunt tamen supplicem libellum, a catholicis viris in iure peritissimis sapienter elucubratum et a se diligenter perpensum: cui quidem episcopali petitioni, curâ sodalium e Foedere libertati religiosae

Sanctiones indictae.

Varia tentamina conciliationis a Praeside, a Parlamento reiecta.

vindicandae, de quo paulo post dicemus, plurimorum ex utroque sexu civium assensus scripto datus accessit. Quid vero futurum esset, episcopi recte prospexerant; nam Conventus nationis libellum sibi propositum, cunctis suffragiis, uno tantum excepto, idcirco reiecit quia episcopi personâ iuridicâ, ut aiunt, destituti essent, ad Romanum Pontificem confugissent et leges nationis agnoscere noluissent. Iam quid fuit sacris Pastoribus reliquum, nisi ut decernerent, nihil in sua, nihil in populi agendi ratione ante immutatum iri quam iniquae leges delerentur? Graviora quidem Foederatarum Civitatum rectores, sua abutentes potestate et mirabili civium patientia, Mexicano clero populoque minitentur; verum quo pacto superes ac devincas homines quasvis acerbitates ferre paratos modo ne talis compositio fiat, unde catholicae libertatis causa detrimenti aliquid accipiat?

Homines omnia pati parati vinci non possunt.

Praeclaram, ceteroqui, Antistitum constantiam sacerdotes, molestas per conflictionis vices, mirifice imitati sunt atque in se rettulere: quorum egregia virtutum exempla, unde maxima Nobis solacii vis obtigit, coram universo catholico orbe et proponimus et dilaudamus « quia digni sunt » (1). Quo in genere cum cogitamus — etsi omnes in Mexico artes adhibitae sunt, atque huc conatus quoque vexationesque adversariorum pertinuere potissimum, ut clerus ac populus ab sacra hierarchia et ab hac Apostolica Sede deficeret — tamen ex omnibus sacerdotibus, qui ad quattuor milia illic numerantur, dumtaxat unum vel alterum ab officio misere descivisse, nihil non videmur de Mexicano clero sperare Nos posse. Qui quidem sacrorum administri arctissime inter se cohaerere et Praesulum suorum iussis reverenter libenterque obtemperare, quamvis id fieri sine gravi iactura plerumque non possit; iidem de sacro ministerio vivere et, cum inopes sint nec habeat, unde ipsos sustentet, Ecclesia, paupertatem egestatemque suam fortiter perferre; privatim litare; spiritualibus christifidelium necessitatibus pro viribus consulere et pietatis alere atque excitare in omnibus circum se ignem; exemplo praeterea, consiliis hortationibusque, popularium suorum cum habitum mentis altius evehere, tum animos confirmare ad patienter perseverandum. Ecquis igitur miretur, in sacerdotes inimicorum iram ac rabiem primo ac praecipue conversam? Illi vero, si quando oportuit, et carcerem et ipsam mortem, sereno vultu strenuisque animis, oppetere non dubitarunt. — Quod autem diebus proxime supe-

Constantiam Antistitum imitati sunt sacerdotes.

Vix unus e quattuor milibus ab officio descivit.

Mirabili actione et abnegatione aliorum animos confirmarunt;

fortes carcerem et mortem oppetere non dubitarunt.

(1) *Apoc.*, III, 4.

rioribus nuntiatum est, id profecto et ab iniquis ipsis, quas memoravimus, legibus abhorret et maxima cum impietate coniungitur; in sacerdotes enim, cum domi suae vel alienae perlitant, fit ex improviso impetus, Eucharistia sanctissima turpiter violatur, iidemque sacrorum administri ad carcerem deducuntur.

Indigna sacrilegia tunc commissa.

Nec unquam de animosis e Mexico fidelibus satis praedicabimus, qui probe intellexerunt, quantopere sua intersit, ut catholica ea natio in rebus sanctissimis ac gravissimis — quales sunt Dei cultus, Ecclesiae libertas aeternaeque animarum salutis procuratio — a paucorum arbitrio atque audacia non pendeat, sed iustis legibus, cum naturali et divino cumque ecclestiastico iure congruentibus, tandem, Dei benignitate, regatur.

Ipsi fideles summis laudibus afficiendi sunt.

Praeconium vero omnino singulare sodalitatibus catholicis tribuimus, quae in praesenti discrimine quasi praesidiariae legiones clero adsunt. Etenim earum socii, quantum in se est, non modo alendis sacerdotibus ac sustentandis consulunt, sed etiam in aedes sacras advigilant, pueros ad christianam doctrinam instituunt, et, veluti excubiae, cavent, sacerdotes monendo, ne quis eorum praesidio destituatur. Haec quidem in universum: verumtamen de praecipuis eiusmodi sodalitatibus aliquid attingere volumus, ut singulae sciant, se a Iesu Christi Vicario probari laudarique vehementer. Atque ut rem ingrediamur, Societas Equitum Columbi, quae, ad totam rempublicam pertinens, ex actuosis operosisque viris feliciter constat, qui usu rerum, aperta fidei professione studioque Ecclesiae adiuvandae valde commendatur, incepta praesertim duo provehit, praesens in tempus opportuna quam maxime: dicimus sodalitatem patrumfamilias e tota natione, quorum est cum filios suos catholice educere, tum ius repetere christianis parentibus proprium subolis libere instituendae et, siquidem ea publicas scholas celebret, doctrinâ sacrâ recte ac plene imbuendae; dicimus Foedus religiosae libertati vindicandae, tum denique conditum, cum ingentem malorum molem rei catholicae illic impendere luce clarius apparuit. Eiusmodi autem Foedus, in omnem nationem cum sit propagatum, in hoc socii concorditer assidueque elaborant, ut e catholicis omnibus unam veluti aciem ordinando instruendoque solidissimam, adversariis opponant. Haud secus ac Columbi Equites, praeclare de Ecclesia patriaque sua meritae sunt et merentur sodalitates aliae duae, quibus, pro instituto suo, actionis catholicae socialis, ut aiunt, cura est peculiaris: scilicet Societas Catholica Iuventutis Mexicanae et Unio seu Consociatio Catholica Matronarum Mexicanarum. Utraque enim sodalitas, praeter ea quae sunt uniuscuiusque propria,

Pontifex singulare praeconium sodalitatibus catholicis tribuit.

Nominat Equites Columbi;

qui provehunt sodalitatem patrumfamilias,

et Foedus religiosae libertati vindicandae, *ut solidissima acies adversariis opponatur;*

Societatem catholicam Iuventutis Mexicanae; Unionem catholicam Matronarum Mexican.

coepta Foederis libertati religiosae vindicandae, quod memoravimus, efficit atque efficienda ubivis curat. In quo singula persequi non attinet: unum ad vos afferre placet, Venerabiles Fratres, omnes socios sociasve earum sodalitatum adeo vacare metu, ut non tam refugiant quam quaerant pericula, tum vero gaudeant, cum aliquid acerbitatum ab hostibus patiuntur. O spectaculum pulcherrimum, mundo datum et angelis et hominibus: o rem aeternitatis praeconio celebrandam. Etenim, quemadmodum iam supra tetigimus, satis multi, seu Equites Columbi seu Foederis moderatores seu matronae seu iuvenes in vincula coniici, per vias cum militum caterva educi, in immundas custodias includi, duriter haberi, poenis mulctisque affici. Immo etiam, Venerabiles Fratres, ex iis adulescentibus iuvenibusque nonnulli — lacrimas continere vix possumus — coronam precatoriam manu gestantes succlamantesque Christo Regi, mortem libenter occubuere; virginibus nostris, in custodiam traditis, indignissimae illatae sunt iniuriae, idque de industria pervulgatum ad ceteras ab officio deterrendas.

Eorum intrepiditas laudibus extollitur.

Varia indigna iisdem inflicta.

Quando, Venerabiles Fratres, benignissimus Deus sit hisce aerumnis modum ac finem impositurus, coniicere et vel cogitatione providere nemo potest: hoc unum scimus, tandem aliquando fore ut Mexicana Ecclesia ab hac invidiarum procella conquiescat, quia, ut divina docent oracula, « non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum », (1) et adversus immaculatam Christi Sponsam « portae inferi non praevalebunt » (2).

Spes Pontificis. Ecclesia Mexicana conquiescet hora quam divina Providentia statuit.

Nata profecto ad immortalitatem Ecclesia, ab die Pentecostes, quo die, Paracliti luminibus donisque locupletata, e Caenaculi recessu primum in lucem celebritatemque hominum egressa est, quid fecit aliud, viginti horum saeculorum spatio universasque inter gentes, nisi, ad Conditoris sui exemplum, « pertransiit benefaciendo »? (3) Quae quidem omne genus beneficia amorem omnium Ecclesiae conciliare debuerunt; at contra factum est, quemadmodum, ceteroqui, divinus ipse Magister clarissime praenuntiaverat (4). Petriana igitur navicula aliquando, secundis ventis, cursum mirifice glorioseque tenuit, aliquando fluctibus obrui ac paene demergi visa est: verum, nonne a divino illo nauta gubernatur, qui, opportuno tempore,

Pro beneficiis Ecclesia reportat odia;

(1) *Prov.*, XXI, 30.
(2) MATTH., XVI, 18.
(3) *Act.*, X, 38.
(4) MATTH., X, 17-25.

ventorum fluctuumque iras sedabit? Vexationes autem, quibus catholicum nomen cruciatur, Christus, qui omnia unus potest, Ecclesiae utilitatibus servire iubet: « Hoc enim — Hilario teste — Ecclesiae proprium est, ut tunc vincat, cum laeditur, tunc intelligatur cum arguitur, tunc obtineat cum deseritur » (1).

Sed vincit cum laeditur.

Quodsi ii omnes, quotquot, qua late Mexicana respublica patet, in fratres civesque suos saeviunt, nullo de crimine, nisi de servatis Dei legibus, reos, patriae suae res gestas, mente a praeiudicatis opinionibus vacua, attente recolerent et considerarent, facere quidem non possent, quin agnoscerent ac faterentur, quicquid in patria ipsa sua est civilis cultus atque humanitatis, quicquid boni, quicquid pulchri, ab Ecclesia esse sine ulla dubitatione profectum. Nemo enim ignorat, ordinata primum ibidem christianorum consortione, sacerdotes et religiosos praesertim viros, qui in praesenti tam ingrate tamque acerbe habentur atque exagitantur, etsi magnis praepediti difficultatibus, quas hinc coloni nimia auri cupiditate abrepti, illinc feri adhuc indigenae struerent ac facesserent, summo tamen labore effecisse, ut cum divini cultus splendor catholicaeque fidei beneficia, tum caritatis opera atque instituta, tum denique ludi et scholae incolis ad litteras, ad sacras profanasque disciplinas, ad liberales operosasque artes excolendis, in tanta illa terrarum amplitudine abundarent.

Bona merita Ecclesiae in totam rempublicam Mexicanam.

Restat, Venerabiles Fratres, ut Dominam Nostram Mariam Guadalupensem, caelestem Mexicanae nationis Patronam, imploremus ac rogemus, velit, oblitteratis iniuriis sibi quoque inustis, populo suo pacis concordiaeque munera impetrando restituere: sin autem, arcano Dei consilio, optatissimus ille dies longius adhuc absit, Mexicanorum fidelium animos et solaciis omnibus compleat et ad propugnandum pro sua profitendae religionis libertate confirmet.

Imploranda B. Maria Guadalupensis.

Divinarum interea gratiarum auspicem et paternae benevolentiae Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres, iis potissimum qui Mexicanas dioeceses moderantur, et universo clero populoque vestro apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Apostolica benedictio.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVIII mensis novembris anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

Dies (18 nov. 1926).

PIUS PP. XI.

(1) S. HILAR. PICTAV., *De Trinitate*, L. VII. 4 *(Patrol. Lat.*, X, 202).

ANNOTATIO

Dum in re publica Mexicana ea indigna committuntur quae hoc saeculo, in exculta gente, impossibilia putabantur, silent omnes gentes. Solus Pontifex Apostolica sua voce filios suos tam crudeliter oppressos solatur et confirmat. Ecclesia catholica martyres non solum gignit, sed est eorum laudatrix. Magnificae hae litterae iungendae sunt epistolae Apostolicae 2 feb. 1926, supra p. 137 exscriptae.

58. — SS. D. N. Pii PP. XI

Allocutio Consistorialis 20 dec. 1926

VENERABILES FRATRES

I. **De rebus laetis.**

Numeratis beneficiis divinis:

Misericordia Domini plena est terra: (1) haud aliter quam per haec verba placet hodie Nobis ad dicendum aggredi, grato impulsis in Deum animo ob tantam beneficiorum copiam, quibus, vertente anno, et Nos et Ecclesiam atque adeo orbem terrarum affecit.

beatificationibus,

Primum Aethiopibus et Syris, Rhaetis et Italis, Gallis et Hispanis gloriari ac laetari iure meritoque licuit de suorum consecratione civium — martyrum, confessorum ac virginum, — quos cum in beatis caelitibus sollemni ritu adscriberemus, tum novos hominibus universis deprecatores validissimosque apud Deum patronos designavimus, tum etiam christianarum perfecta exempla virtutum, alia in alio vitae genere, ad imitandum proposuimus.

congressu eucharistico Chicagiensi,

Vidimus, praeterea, recentiores ex America filios cum gentibus iam diu in Christi familiam adscitis certasse feliciter. Nam Conventu Eucharistico Chicagiae habito nihil admirabilius, sive incredibilem apparatus magnificentiam, sive insignes fidei, pietatis externasque interioris vitae significationes spectemus: unde factum, ut eiusmodi eventum haud longe a maximis illis videatur abesse, quae assueta triumphis Ecclesia usque

(1) *Ps.* XXXII, 5.

adhuc, viginti saeculorum spatio, in suos annales perscripsit. Cumque, paucis ante mensibus, regiam Christi dignitatem publice colendam pronuntiavissemus, quotquot ex omnibus gentibus Chicagiam ea occasione coivere homines, non tam suo quam totius catholici orbis nomine coram Rege Eucharistico in genua prociderunt omnes; ab iisdem vero, in pompa immensa atque interminata compositis, « adoro te devote, latens Deitas » itemque « procede et regna » omnibus linguis conclamatum est.

saecularibus festis S. Francisci Assisiensis,

In utriusque pariter hemisphaerii incolis spiritum gratiae et precum christianeque vivendi studium excitavit denuo, septimo post obitum saeculo exeunte, quasi e glorioso revocatus sepulcro, ille « Magni Regis Praeco » Franciscus Assisiensis. Itaque confidimus — quemadmodum fieri oportet, ne saecularia eiusmodi sollemnia optimis fructibus vacua praetereant — fore, ut, quod vir sanctissimus paupertatis exhibuit ac paenitentiae studium, quem pacis amorem, quam in proximos caritatem atque in ipsa animantia resque omnes creatas humanitatem, si non omnes consequi imitatione valent, saltem discant ab terrenis rebus recte aestimatis suum abalienare animum, voluntaria castigatione domitas habere cupiditates, fraterna proximos caritate complecti ac se totos in precatione sancta colligere: quae qui negiegant, nescimus quo pacto vitam ad Christi mandata compositam traducere queant.

cum participatione Sinensium, quorum sex consecrati episcopi: quod laeta Fidei incrementa parare videtur.

Magni quidem Regis Praeconi ad spiritus renovationem populos revocanti fieri non poterat quin se dociles praeberent filii Nostri ex dissitis amplissimisque Sinarum regionibus, quo franciscales viri Ioannes a Monte Corvino et beatus Odoricus a Portu Naone, saeculo ab humano Legiferi Patris sui exitu nondum elapso, summa fidentia planeque et exploratoribus et apostolis consentanea, alius ex alio, traiecerant, ad viam tot ex eo ipso Ordine sodalibus quasi muniendam, qui, alienae salutis studiosissimi, eo deinceps confluxere, et se divini Regis praecones non modo dignos — quod ipsum de missionalibus nostris omnibus dicendum — sed etiam animosos fidissimosque, facto saepius martyrio, praestiterunt. Divina igitur providentia contigit, ut eum animorum motum, quem septies saecularis Francisci commemoratio excitavit, Sinae quoque, ut modo attigimus, participarent, lectissimis sex filiis ante ad Nos dimissis, ut in hoc catholicae unitatis veluti centro de Vicarii Iesu Christi manibus sacerdotii plenitudinem primi inter suos susciperent, postea ad venerabile Assisiensis Patriarchae sepulcrum, cui quidem honestando sua pontificalium rituum libamenta deferrent. Ob insuetum profecto saluberrimumque eventum — quod,

cum maximi sit, ad gentem illam ad catholicamque religionem quod attinet, momenti, tum laetissimam Nobis spem commovet, missionalium operam eo latius citiusque provectum iri, quo saepius effectum a Nobis nuper consilium, prout magnopere cupimus ac confidimus peragere passim licebit — placet gratam voluntatem, qua Pastorum Principem, benignum tanti muneris largitorem, prosequimur, coram amplissimo Conlegio vestro testificari. Grate item eos omnes dilaudamus, quorum apostolicis debemus laboribus si huc denique ventum est, ut episcopos indigenas primum consecrare potuerimus; cum vero operam iidem suam tam praeclare cumulaverint, nulli profecto sunt, quos pari, atque ipsos, iure in partem Nostrae laetitiae speique Nostrae vocemus.

II. **De calamitosis et tristibus.**

Verumtamen pulcherrimis consolatoriisque rebus, de quibus vos, Venerabiles Fratres, allocuti adhuc sumus, aliae aliunde accedunt maeroris plenae, unde molestiam haud mediocrem concipimus.

1. De rebus Mexicanis.

Atroces saevitiae in catholicos,

Atque primum animo et paene oculis Nostris Mexicana obversatur Ecclesia, quam reipublicae illius gubernatores ferociter impieque divexant; qui quidem gubernatores — perinde atque homo peccati et filius perditionis, in fine mundi revelandus, de quo Paulus (1) — « omne quod dicitur Deus aut quod colitur » proterunt ac proculcant, et nobilem illum populum, animos violando, ita habent, tamquam si de turba servorum scelestorumque hominum ageretur, idque specie causaque talium legum interposita, quae legis nihil praeter nomen habent, quandoquidem divinis omnibus humanisque iuribus manifesto repugnant. — O, in tanta rerum acerbitate ac turpitudine, quam praeclare catholici e generosa afflictaque natione, quam digne se gerunt. Episcopi et sacerdotes, religiosi sodales et laici homines, divites et pauperes, viri et mulieres, grandiores natu et iuvenes, immo etiam adulescentes et puellae, primo fruentes aetatis flore, de se plures iam menses edunt tale spectaculum, quod cum cordatis omnibus hominibus vel Dei angeli admirentur. Etenim, ut incolumis Dei honor et sua conscientiae dignitas consisteret, ut sua cuiusque vita a fide ne dissentiret, ut cum Ecclesia catholica apostolica romana, cum Iesu Christi Vicario eiusque praescriptis cohaerere ne desinerent, iniurias omne genus passi sunt, exsilia et vincula, indignitatesque morte ipsa atrociores; nec vitae multorum est parcitum. Hi quidem oppetiere mortem dum Christo Regi succlamabant et corona precatoria Deiparam Virginem consalutabant, fide sua

specie legum quae non sunt leges.

Nobis spectaculum patientium persecutiones admirandum offertur.

(1) II. *Thess.*, II, 4.

suique fortitudine animi ceteris ad aemulandum veluti proposita; atque iidem, tam glorioso interitu, ut in omnem memoriam, communi non sine fructu, prodentur, ita pulchriorem augustioremque diem illum victoriae pacisque optatissimum effecturi sunt, quem profecto approperant ipsimet, paenitentiam ac veniam insectatoribus carnificibusque suis magna effusi sanguinis voce impetrando. Id ipsum Nosmet cotidie imploramus et Nobiscum — ut optare Nos haud semel ediximus — christifideles omnes implorare pro certo habemus. — Quae quidem omnia, miserabilia sane at etiam magnifica ac plena solacii, aliquanto copiosius in Encyclica Epistula *Iniquis afflictisque* paulo ante tractavimus; quodsi documentis testimoniisque nisi sumus omni exceptione maioribus, tamen, seu facta seu verba spectamus, fuit enarratio temperatior ac mitior quam res postulabat, ne nimii videremur. Verum in hoc Consistorio, Venerabiles Fratres, considere vobiscum non poteramus, quin iterum universo orbi denuntiaremus, cum ademptam hinc iniquissime sacram profitendae religionis Deique colendi libertatem violatamque ipsam humanam dignitatem, tum edita illinc mirabilia christianae magnitudinis exempla. Quam quidem iterare expostulationem eo opportunius putavimus, quod — ut est nuntiatum nuperrime — catholicorum inibi vexatio, aucta adversariorum crudelitate atque impietate, ingravescit. Deturbati enim omnes de suis sedibus episcopi; aut in aliquem locum coacti aut in custodiam inclusi aut necati alii pii sacerdotes; facta inermium civium trucidatio, qui ad quoddam Beatissimae Virginis Sanctuarium orando contenderent; saevitum in Eucharistiam sanctissimam; evulsa Christi crucifixi, Domini ac Redemptoris nostri, imago ab ipsis privatis scholis, iuvenibus studiosis publice vel per nobilissimas litteras, etsi nequiquam, conquerentibus, quibus paterno animo plaudimus ac benedicimus.

Quae fusius rettulit in Enc. epistola, iterum denuntiat universo mundo.

Iam a longinquis Mexici terris ad propinquam Galliam cogitatione feramur, ut ad gravem illam controversiam quod attinet de politica parte vel schola, quam *Action Française* vocant, deque ab ipsa profectis institutis diurnoque commentario — qua quidem controversia plurimorum animos illic agitari novimus — sententiam iterum aperiamus Nostram: iterum, inquimus, siquidem non semel iam nec ambigue, quid sentiremus, ediximus. Eadem autem de re ideo vos alloquimur quia, ex una parte, praeclaram magnamque opportunitatem, Venerabiles Fratres, ipse amplissimus consessus vester, ad quem quidem oculos intendit catholicus orbis, Nobis offert ac praebet, eo vel magis quod quae dicturi sumus, vel extra Galliae fines

2. Gravis in Gallia controversia de Action Française.

Quae perspicue dicturus est Pontifex etiam extra Galliae fines utilia esse possunt.

aliquid possunt habere utilitatis et commodi; ex altera vero, praestat eorum optata atque exspectationem explere, qui, ut de omni se eximeremus dubitatione, litteris, sincerum pietatis sensum et veri rectique amorem redolentibus, postulavere.

Maerorem Pontificis temperant grates exhibitae a pluribus de Ipsius actione, plurium sincera docilitas.

In quo si Nobis aegritudine ac maerore vacuis esse non licuit, haud exigua tamen solacia miserentissimus Deus impertivit, cui quidem, ut officio et dulci quasi cuidam necessitati pareremus, gratum Nostrum properavimus significare animum illo Psalmorum loco: « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam ». (1) Quod enim Nostram auctoritatem interponendo rem optatissimam nec tam tempestivam quam necessariam fecissemus, ab optimis laicis, a sacerdotibus ex utroque clero, ab venerabilibus episcopis animarumque pastoribus grates Nobis actae sunt: ipsis igitur peculiare esto propensae voluntatis Nostrae testimonium, iisque una simul omnibus, qui, fidem suam operibus manifestantes, verba Nostra tamquam a Iesu Christi Vicario profecta aut obsequenter amanterque exceperunt, aut voce et scriptis cum prope vel procul vulgarint, tum sincere fideliterque interpretati sunt et, quotiescumque oportuit, strenue defenderunt. — Quotquot vero instant, ut clarius pressiusque de re proposita loquamur, volumus iidem reputent, in iis quae ad usum pertinent actionemque vitae, absolute aliquid ac definite in universum praecipi haud semper posse; praeterea quae ad hunc diem scripsimus vel diximus — quaeque profecto ex Gallis, quorum interest, iam nunc meno unus ignorat, — in iis satis expressas contineri aut facile inde erui posse leges ac rationes quae ad recte iudicandum agendumve conducant. Addimus, si qui sunt quorum menti clarius adhuc praeferri lumen oporteat, catholicis nullo pacto licere ad eorum incepta et quasi scholam accedere, qui et studia partium religioni anteponunt et hanc illis servire iubent; ne licere quidem se et alios, iuvenes potissimum, huiusmodi vel auctoritatibus vel disciplinis obiicere, unde cum fidei morumque integritati, tum catholicae ipsius iuventutis institutioni periculum confletur. Quo in genere — ut nullam earum, quae factae sunt percontationes rogationesque, praetereamus — non licet item catholicis sustentare, fovere ac legere diurnos commentarios ab hominibus editos, quorum scripta, cum ab nostra de fide et moribus doctrina dissentiant, nequeunt non improbari, quique etiam haud raro, per diarii capita, per recensiones ac titulos

Non dissimulata difficultate definitionis absolutae, et sufficientia documentorum iam editorum, Pontifex haec pronuntiat.

Catholicis non licet ad eorum partes accedere qui studia partium anteponunt religioni; nec se et alios, praesertim iuvenes talibus auctoritatibus obtcere; nec sustentare, fovere, ac legere diurnos commentarios editos ab hominibus qui proponunt quae causa ruinae sunt lectoribus, maxime iuvenibus.

(1) *Ps.* XCIII, 19.

talia lectoribus, maxime adulescentibus ac iuvenibus, proponunt, in quibus spiritualium ruinarum causam non unam reperiant.

Haec Pontifex edicit conscius sui officii, et edoctus ab Apostolo Paulo.

Equidem haec omnia, quamquam non sine animi dolore, memoravimus tamen tum ne tot filiis deessemus, qui ad communem omnium Patrem ac Pastorem confugissent, tum ne oblivisci videremur, positos a Deo ipso Nos esse ad pervigilandum « quasi rationem pro animabus... reddituri ». (1) Nemo profecto non videt, Nobismet quoque Paulum Apostolum consuluisse, cum gravem eiusmodi causam attulit ad christifideles monendos, obedirent ac subiacerent praepositis suis, ut hi rationem Deo redderent « cum gaudio, et non gementes » : quod ne ipsis quidem christifidelibus expediret. (2) Ceterum carissimos filios e Gallia Nostros dissociari inter se et discordare diutius rei politicae causâ, nec ipsis nec Civitati nec Ecclesiae expedit. Sed, contra, omnibus atque ad omnia erit summopere profuturum, in iis, quae religionis sunt, coniunctissimos eos esse universos, scilicet in tuitione divinorum Ecclesiae iurium, matrimonii christiani, domestici convictus, puerilis ac iuvenilis institutionis, omnium denique sacrarum libertatum, quae sunt Civitatis fundamenta; atque ita concordes, per populares cotidie frequentiores solidioresque significationes, per sanae doctrinae de re religiosa ac morali propagationem, per caritatis apostolatum, multiplicis eius, quam memoravimus, libertatis cum germanam efferre notionem, tum acriorem in dies excitare vulgo appetentiam, ut eam aliquando cives, plena sui iuris conscientia, efficaciter repetant ac vindicent. Quae quidem voluntatum consensio ut salutariter eveniat, quemadmodum vehementer cupimus, sic Auctorem omnium bonorum multis cotidie supplicibusque precibus exoramus. Integrum, nihilo setius, unicuique esto, legitime atque honeste eam habere potiorem Civitatis administrandae rationem, quaecumque ab divina rerum ordinatione non discrepat.

In iis quae religionis sunt, oportet ut catholici omnes sint coniunctissimi.

Deum Pontifex orat pro ista animorum consensione. Cuilibet tamen integrum est de meliore civitatis forma sentire quod melius iudicet.

Quae vero de animorum coniunctione atque ad agendum pro rebus sanctissimis conspiratione nunc hortati sumus, nihil reapse ab consiliis immortalis memoriae decessoris Nostri Leonis XIII distant ac differunt, perinde ac cum his monitiones sanctae recordationis Pii X cohaerebant: quod liquido comperiet quisquis utriusque decessoris acta et documenta, sine opinione praesumpta, conferat, quemadmodum Nosmet contu-

Haec hortatur cohaerenter cum Leone XIII, Pio X, nulla humana ratione ductus, nulla ignorantia deceptus,

(1) *Hebr.* XIII, 17.
(2) Ibid.

limus, simulque meminerit, quae olim dicta sunt, omnibus eadem omnia reddi semper nec oportere nec posse.

sed religione et conscientia sui officii. Sperat ab Episcopis fidelem suae mentis explicationem, atque inde refutationem falsitatum quae audacter adhibitae sunt.

Etsi, ceteroqui, supervacaneum putamus, tamen « ex abundantia cordis », ut dici assolet, adiicimus, permotos Nos esse ad loquendum ac permoveri non praeiudicatis opinionibus partisve alicuius studio, non humanis rationibus, non ignoratione vel tenuiore beneficiorum aestimatione quae Ecclesiae adeoque Civitati aut ab aliquibus aut a parte scholave aliqua obvenerint, sed dumtaxat atque unice suscepta in Nosmet ipsos religione conscientiaque eius, quo obstringimur, officii, idest tuendi divini Regis dignitatem, animarum salutem, religionis bonum et futuram ipsam catholicae Galliae prosperitatem. Hisce omnibus de causis, atque etiam ut dubitationibus falsisque interpretationibus ne sit locus, quales, cum alias aliter, tum in memorato diurno commentario nuperrime, haud reverenter quidem nimisque audaciter adhibitae sunt, certa Nobis spe pollicemur, fore ut Venerabiles Fratres Galliae Purpurati Patres, Archiepiscopi atque Episcopi, pro pastorali munere, quae sit mens Nostra ac paterna voluntas ad gregem non tam perferant cuiusque suum, quam fideliter luculenterque explicent atque explanent.

Votum pro concordia Galliae.

Haec, Venerabiles Fratres, verba quae fecimus, quibus et vestra ipsorum praesentia sollemnitatem et appropinquans Regis pacifici Natalis quandam addit sanctitudinem, utinam plenam actuosamque instaurent inter catholicos Gallos concordiam, qua auspice, efficienter pro supremis iis Regni divini rationibus propugnare liceat, quibus tamquam fundamento et corona et sanctione cetera nituntur: Regni divini, inquimus, quod qui quaerunt, iam, ex certis ipsius Christi Regis promissis, reliqua sibi omnia conciliant ac quasi praeoccupant: « Quaerite... primum regnum Dei... et haec omnia adiicientur vobis ». (1)

3. In Italia procellae. Gavisus de incolumitate viri, quasi Italiae necessarii cui caedes parata erat,

Atque etiam Italiae, quam quidem Nobis et natura et religio tot nominibus praecipue caram efficiunt, procellarum experti esse non licuit. Procellarum, inquimus, idque consulto: cum eam primum indignatione omnem atque horrore perculerit insanum facinus in virum illum intentatum, qui tam singulari vi et alacritate animi Civitatis tractat gubernacula, ut ipsius rei publicae salutem periclitari iure dixeris quoties huius incolumitas periclitatur. At praesentissimo et paene aspectabili divini Numinis praesidio factum, ut primum illum irae atque horroris motum mox exciperent cum ingenti popularis laetitiae clamore

(1) Matth., VI, 33.

gratulationes et publice habitae Deo Servatori gratiae, quod e tanto discrimine hominem prope interimendum liberasset atque incolumem prorsus praestitisset. Nos vero, ut in primis ea de re certiores facti sumus, ita profecto in primis debitas supremo vitae mortisque arbitro Deo grates persolvimus, qui ab excelso caelorum solio res omnes hominesque universos et singulos suo numine regit ac temperat. Attamen cum Nosmet — consociatis Nobiscum episcopis, sacerdotibus piisque christifidelibus — de concessa eiusmodi incolumitate gauderemus gratiasque Deo ageremus, quam quidem incolumitatem, hoc ipso, et plurimum ad patriae salutem habere momenti et communis beneficii loco aestimandam esse profitebamur, ecce vidimus novam quandam procellam per Italiam concitari, vim intellegimus catholicis hominibus institutisque illatam et vastitatem in eorum sedes inductam. Aliorum tum audacia ac petulantia eo devenire, ut nihil eos templorum sanctitas, nihil venerabilis episcoporum dignitas et sacerdotalis religio muneris moveret in officioque contineret; alii caeco impetu in christifideles ferri quasi in seditiosos ac rebelles, cum pro sua ipsorum fide ac religione sint publici ordinis ac tranquillitatis amatores potissimi ac defensores; alii, improbo quodam delectu ac discrimine, optimum quemque e catholicis conquirere ut indignius haberent, neque ipsos tantummodo, at eorum instituta atque opera, quae aut bonis scriptis divulgandis aut religioni et vel humano cultui provehendis aut communi bono, oeconomico — ut aiunt — ac sociali, propagando excitata erant. Optimum quemque, inquimus, christifidelem, cum inter optimos magnanimi ii viri censendi sint, qui, mente recta, ut probe novimus, nec sine gravibus incommodis, institutis eius generis operam suam, Antistitibus suis auctoribus ac ducibus, omni contentione navant: in quo illud unum, aequae mercedis instar, sibi habent propositum, ut ab ipsis hauriant laboribus suis, unde fidem suam alant, et, animosiores facti, in christianae vitae professione perfectius quiddam attingant.

dolere debuit vim catholicis illatam et vastatas eorum sedes.

Haec, Nobis sane exploratissima, denuntiamus; quodsi animadvertendum est, quaedam ex iis visa esse principio, ut asso-

Haec denuntiat,

let, graviora quam re ipsa fuere, tamen cetera nimio plus gravitatis habuere quam vulgo cognitum est. Quae quidem omnia idcirco a Nobis commemorantur, ut tot filiis Nostris, iuvenibus praesertim carissimis, simul dicamus, quae ipsi iniuriâ perpessi sunt — idque dumtaxat ut catholici, quod nomen profecto nobilissimum nunquam alias tam honeste professi sunt — ignota Nobis atque occulta nequaquam fuisse; immo Nosmet una simul

cum ipsis condoluisse et preces fiduciae plenas Deo adhibuisse, quibus et vexatis perseverantiam et insectatoribus paenitentiam emendationemque imploraremus.

quae abierunt quidem, sed prosternendo et subruendo omnia

Dici utique potest, eiusmodi procellam plane iam abiisse; veruntamen haud aliter abiit, quam cum in maturam segetem, prosternendo omnia subruendoque, turbo vehementissimus inciderit. Nam quo laetior seges erat meliusque de se sperare iubebat, eo maiora detrimenta eoque miserabiliora damna exstiterunt. Sodalicia enim atque opera florentissima, quae cum nec sine perdiligenti diuturnoque labore nec sine magno impendio coaluissent, tum plenam sui fiduciam tot familiis integrisque populis fecerant, quos, communi respondentes fiduciae, beneficiis omne genus locupletabant, horae momento miserrime eversa sunt aut tam graviter violata ut in pristinam restitui prosperitatem difficulter queant. Novimus equidem, clare ac severe iussum fuisse, talia impotentiae oppressionisque facinora efficaciter praeverti, reprimi debitisque subinde poenis affici ac plecti: quibus de imperatis facere non possumus quin delectemur, cum ea ostenderint in regni moderatoribus sanam gubernandi prudentiam, et iuste opportuneque tot episcopis ac fidelibus, tot familiis ac populis aliquatenus satisfecerint, quorum erat irritatio lenienda, ne vel de iuris auctoritate vel de legis imperio vel de sincera gubernatorum voluntate diffiderent.

Delectatur de severis iussis latis contra istas iniquitates.

Nondum tamen plene confidere potest voluntati gubernatorum, cum obscurum quiddam consociationibus, maxime iuvenilibus de Actione catholica, *impendere videatur.*

Plene autem ac secure eiusmodi voluntati nondum licet confidere, in religiosis saltem negotiis, quamquam haec omnium gentium, italicae praesertim, maxima, uti sunt, iure agnoscuntur. Nam obscurum quiddam — idque nonnulli suspicando, auctoritatem interponendo suam tricasque iniiciendo confirmant — impendere videtur consociationibus operibusque nostris, maxime iuvenilibus, quae de Actione Catholica sunt, de Actione quidem illa, quam in oculis gerimus; in quo profecto metuendum, ne recta catholicae iuventutis institutio, quae divini mandati « Euntes docete » est pars quaedam praecipua, misere periclitetur. Ad haec iterum praeferri illa Civitatis seu Status notio videtur, quae ab catholica doctrina plane abhorret: Civitatem seu Statum sibi ipsum finem esse ultimum; civem nisi ad Civitatem non ordinari; ad eam omnia oportere conferri, in ea absumi omnia. Praeterea ex quodam potestatis cum potestate concursu fieri aliquando videtur, ut iussa, ceteroqui honesta ac provida, in longinquioribus locis exsequenda hominibus committantur, qui etsi hodie nova gerunt insignia novosque titulos ostentant, tamen hesternos sectarum asseclas in iis facile reperias atque agnoscas, eosdemque, ut ante, religionis societatisque inimicos. De-

Errores de notione Status, qui sibi sit finis ultimus Pontifex repudiat.

In iis qui ad istas partes pertinent, sunt qui heri erant religionis osores.

nique, quod sacerdotes interdum, nulla habita vestis sacrique characteris ratione, indigne atque aspere, vel episcopo defensore, tractentur, quomodo id cum publicis cuiusdam religiositatis significationibus conciliari possit, non videmus. Verumtamen confidimus, posthac futurum, ut nec, quae doluimus, renoventur, nec, quae metuenda apparent eveniant: immo, quavis remota dubitationis diffidentiaeque causa, bonorum honestorumque hominum fiducia redintegretur, et communi felicitati omnes ordinatim atque efficienter, plene et concorditer, studeant.

Nec cum religiositatis significatione conciliari possunt indignae sacerdotum tractationes.

Iam eo deveniamus, quo praecipue, Consistorio convocando, intendebamus animum, ut scilicet Ecclesiae Senatum, Venerabiles Fratres, duorum cooptatione Patrum augeamus. Alterum quidem commendant officia in Curia Romana et perhonorificae apud exteras gentes legationes obitae; alterum diuturna in amplissimis dioecesibus episcopalis perfunctio muneris; ambo autem ob spectatam suam in Nos atque in hanc Apostolicam Sedem observantiam Nobis probantur, dignique habentur quos sacrae purpurae honore decoremus. Hi sunt:

Demum S. Pontifex devenit ad duos creandos Cardinales.

Laurentius Lauri, Archiepiscopus tit. Ephesinus, Nuntius Apostolicus in Polonia;

Ioseph Gamba, Archiepiscopus Taurinensis.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus et publicamus S. R. E. Cardinales.

Ex Ordine Presbyterorum

Laurentium Lauri,
Iosephum Gamba.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Restat ut episcoporum ordinem suppleamus.

Et supplet episcoporum ordinem.

59. — SS. D. N. Pii PP. XI

Chirographus ad Em. Archiep. Burdigalensem 5 ian. 1927

DE « ACTION FRANÇAISE »

(A. A. S., 15 ian. 1927, XIX, 5)

Bien aimé et vénéré Monsieur le Cardinal (1)

Gratus de litteris 23 dec. quibus Cardinalis sua optata pro Pontificatu misit, SS. D. gratulatur Cardinali eius recentem cooperationem cum Ipso.

C'est de tout coeur que Nous vous remercions des bons et si pieux souhaits que vous venez de Nous envoyer par votre aimable lettre du 23 décembre passé et que Nous vous le rendons en implorant pour vous du divin Enfant toutes les grâces que votre âme de pasteur désire pour vous-même, pour votre Clergé et pour votre Peuple, qui sont aussi les Nôtres et que Nous

(1) *A S. Ém. le Cardinal Paulin - Pierre Andrieux, archevêque de Bordeaux.*

Ut intellegantur melius ista epistola et subsequens proscriptio diarii, hic in nota subicimus audacter et superbe responsa quae leguntur in ephemeride *Action Française*, die 24 decembris 1926, quae simul exscribebat modo relatam allocutionem consistorialem. Epistola prius in variis ephemeridibus prodiit, dein in primo fasciculo Commentarii Officialis anni 1927 facta est publici iuris.

Courage ! Si vous voulez toujours ce qui vous a unis à nous, ce n'est pas de notre côté que vous trouverez la moindre faiblesse. L'Action française *continue. Personne n'a le droit de lui demander de changer ni son but national, ni sa méthode légitime, ni ses chefs. Personne ne l'obtiendra.*

Le respect du Saint-Siége, la reconnaissance des droits de l'Église catholique sont parmi les articles essentiels de ce qu'enseigne l'Action française *et aussi bien les incroyants que les croyants.*

Mais, nous l'avons déja dit, le pape régnant n'est pas à l'abri de l'erreur humaine dans les questions politiques, et si l'Église a la promesse de la vie éternelle, les hommes d'église, -- l'histoire entière le prouve -- peuvent être mal renseignés, se laisser circonvenir par des influences malhonnêtes, s'engager dans des entreprises nuisibles-car tout cela s'est produit au cours des âges. Ces affirmations, dont quelques-uns affecteront de se scandaliser, ne sont pas scandaleuses, elles sont banales : tout le monde dans l'Église sait bien qu'il en est ainsi. Le Dictionnaire d'Apologetique *consulté satisfait, là-dessus, à tous les scrupules.*

Cependant, ces points posés, leur application ne saurait être dirigée par l'*Action française.*

L'Action française n'a rien et n'entend rien avoir d'une autorité religieuse : ce n'est donc pas auprès de l'*Action française* que les consciences catholiques ont à s'informer de leurs devoirs religieux.

Mais, après l'allocution consistoriale, nos dirigeants catholiques estiment qu'il est de leur devoir de répéter pour leur part qu'ils ne cessent pas d'adhérer aux distinctions necessaires contenues dans tous les documents pontificaux, en particulier dans la lettre de septembre dernier où il était dit,

aimons tant parce qu'ils vous aiment, travaillent avec vous et répondent si généreusement à vos sollicitudes pastorales. Nous tenons à faire cela personnellement et sans intermédiaires pour vous dire encore une fois combien Nous apprécions la fidèle

---

explicitement, que le terrain moral était celui où les fidèles sont soumis aux directions de l'Église, le terrain politique celui où ils jouissent d'une *juste liberté.*

Quam congruenter quamque necessario haec praecipiantur, facile intelliget quisquis animadvertat officium docendi christianam plebem, quo tenentur sacerdotes omnes, praesertim curiones, omnium officiorum primum esse et maximum: ex eius enim observatione aut neglectu salus vel ruina animarum magna ex parte pendet. Apertum notumque est gravissimum Benedicti XIV, sapientissimi Pontificis, effatum: « Illud affirmamus magnam eorum partem, qui aeternis suppliciis damnantur, eam calamitatem perpetuo subire ob ignorantiam mysteriorum fidei,

quae scire et credere necessario debent, ut inter electos cooptentur » *(Inst. XXVI,* 18).

obligationem ex officio,

Hinc, ex iuris canonici praescripto, debet parochus, ut gravissimum impleat officium suum de catechetica populi christiani institutione, pueros ad sacramenta Poenitentiae, Confirmationis et Eucharistiae rite suscipienda praeparare, eosque, postquam primum Sancta de altari libaverint, uberius ac perfectius excolere, item fidelibus adultis catechismum, sermone ad eorum captum accommodato, explicare (can. 1329-32).

Huiusmodi autem officio ceteros presbyteros, atque etiam clericos, teneri, constat ex sequenti: « Presbyteri aliique clerici, nullo legitimo impedimento detenti, proprio parocho in hoc sanctissimo opere adiutores sunto, etiam sub poenis ab Ordinario infligendis » (can. 1333 § 2). At, cum rudium praesertim et imperitorum institutio de rebus altissimis, sermone ad eorum captum accommodato, res sit perdifficilis aeque ac pernecessaria, ideo ad tantum opus diuturna ac prorsus diligens adhibenda est praeparatio. Haec fieri debet in sacris Seminariis: ad hoc enim sunt ipsa constituta. Ut autem munus docendi christianum populum rite et fructuose quis obeat, non sufficit praeparatio doctrinalis, quae in veritatum tradendarum cognitione versatur quaeque fit per studium sacrae theologiae, praesertim dogmaticae, sed requiritur etiam illa quae dicitur *didascalica*, ad modum pertinens quo veritates tradi debent, eaque fit tum per congrua praecepta tum per practicas exercitationes.

difficultatem memorat.

Ad rem Summus Pontifex Pius X in memorabili Encyclica *Acerbo nimis* (15 apr. 1905): « Facilius longe est reperire oratorem, qui copiose dicat ac splendide, quam catechistam, qui praeceptionem habeat ex omni parte laudabilem. Quamcumque igitur facilitatem cogitandi et loquendi quis a natura sit nactus, hoc probe teneat, numquam se de christiana doctrina ad pueros vel ad populum cum animi fructu esse dicturum, nisi multa commentatione paratum atque expeditum. Falluntur sane qui plebis imperitia ac tarditate fisi, hac in re negligentius agere se posse autumant. E contrario, quo quis rudiores nactus sit auditores, eo maiore studio ac diligentia utatur oportet, ut sublimissimas veritates, adeo a vulgari intelligentia remotas, ad obtusiorem imperitorum aciem accommodet, quibus aeque ac sapientibus, ad aeternam beatitudinem adipiscendam sunt necessariae ».

Quare enixe rogat Episcopum ut praeceptum canonicum vehementer ur-

Quae cum ita sint, Amplitudinem tuam enixe rogamus ut hoc iuris canonici praeceptum vehementer urgeas operamque des ut in Seminario tuo impense excolatur disciplina cateche-

tica ; quam ob rem magister theologiae pastoralis praelectiones de ratione doctrinae christianae tradendae frequentes habeat, et clerici ipsi ad tantum opus sese practice exerceant, sive in Seminario, sive in ecclesiis, prout prudentia suaserit. *geat, promissis fructibus.*

Haec sunt, Amplissime Praesul, quae ad te, sicut et ad ceteros sacrorum Antistites, habuimus hac de re scribere. Placet litteram nostram absolvere verbis, quibus Summus Pontifex Leo XIII Episcopos Peruviae simili in casu hortabatur : « Haec si praestabitis et clerus florebit honore suo, et Ecclesiae laus manebit, quae semper optimorum studiorum fautrix et altrix est habita vereque habenda est. Vobis praeterea idonei homines praesto erunt, qui, vocati in partem ministerii vestri, magno vobis erudiendis populis pietatique fovendae usui futuri sint et adiumento ». (Breve *Inter graves*, 1 maii 1894).

Interim Deum, benignum bonorum omnium largitorem, humiliter adprecamur ut te cunctosque fideles, pastorali sollicitudini tuae concreditos, uberrimis caelestis gratiae auxiliis munerari dignetur. *Votum et apprecatio.*

Romae, ex Secretaria S. Congregationis Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositae, die 8 septembris an. 1926. *Dies (8 sept. 1926).*

Amplitudini tuae
addictissimus in Domino
CAIETANUS Card. BISLETI, *Praefectus.*

† *Iacobus Sinibaldi, Episc. Tiberien., Secretarius.*

ANNOTATIO

Clarissimae litterae nullis commentariis indigent. Sed non satis memoriae et cordi sacerdotum commendari possint quae in his scribuntur de summa necessitate catechesis *studiose* praeparatae et de errore eorum qui, propria doctrina confisi, audent ex tempore tradere instructiones catecheticas quae, fastidium generantes, distracta aure audiuntur et nihil valde distinctum populo retinendum tradunt.

64. — S. Paenitent. Apostolica. (Officium de Ind.)

Responsum 10 nov. 1926.

NEGANS COMMUNICATIONEM FACULT. C. 349

(A. A. S., 1 dec. 1926, XVIII, 500)

Ad Sacram Poenitentiariam Apostolicam sequentia dubia, pro opportuna solutione, delata sunt:

Dubia.

Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 18 iulii 1919, declaravit, non licere Episcopis communicare Presbyteris suae ditionis habitualiter potestatem benedicendi Rosaria, etc., de qua in can. 349 § 1, n. 1, Codicis iuris canonici, cum Indulgentiarum applicatione; nunc quaeritur:

de commun. per modum actus.

« 1. Licetne Episcopis communicare, saltem per modum « actus, Sacerdotibus suae ditionis facultates, de quibus in can. « 349 § 1, n. 1, Codicis iuris canonici ? »

De participatione Vicarii Gen.

« 2. Eaedem facultates competuntne etiam Vicario Generali? »

Responsum.

Et eadem Sacra Poenitentiaria, re mature perpensa, respondendum censuit: Ad utrumque *Negative.*

Dies (10 nov. 1926).

Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria, die 10 novembris 1926.

S. Luzio, *S. P. Regens.*

L. ✠ S. *I. B. Menghini, Substit.*

ANNOTATIONES

I. Responsio 18 iul. 1919 prodiit in *Per.*, X, 95.

II. Ratio ibi data cur Episcopus non posset facultates c. 349 communicare aeque cadit in communicationem per modum actus. Ratio enim haec est quia c. 349 ista concedit Episcopis non ut potestatem ordinariam annexam officio (cf. can. 197), sed ut privilegium ad honorandum characterem episcopalem. Quare etiam titularibus episcopis concessum est.

III. Vicarius generalis, ex can. 368 participat ordinariam iurisdictionem Episcopi, minime autem eius privilegia. Quare S. Paenitentiaria manifesto respondere debuit sicut respondit.

ACTA SUMMATIM RELATA

65. — *SS. D. N. Pius Pp. XI.*

Aedes in usum scholarum in Castro Gandulphi datae Magistris Filippinis.

A. Motu Proprio *In Castro Gandulphi*, 10 aug. 1926, S. Pontifex Magistris Piis Filipiniis utendas concessit a se excitatas aedes ad puellas litterarum elementis imbuendas christianeque conformandas. In dicto castro, a mense iunio 1744, pio instituendae iuventutis operi sunt addictae, et Benedictus XIV et successores Pontifices propensam in eas voluntatem non obscure significarunt (A. A. S., 3 nov. 1926, XVIII, 401).

Praelatura nullius in Valle Pompeiana.

B. Bulla *Beatissimae Virginis*, 8 maii 1926, S. Pontifex, memoratis superioribus Pontificum actis, confirmavit erectionem institutionis Leonis XIII in Valle Pompeia, in Praelaturam *nullius*, avulsam a dioecesi Nolana, quae nuncupabitur a *Beatissima Virgine Maria a SS. Rosario in Valle Pompeia*, eandemque aptis statutis ordinavit (A. A. S., 3 nov. 1926, XVIII, 403).

Museum Missionale Ethnologicum.

C. Motu Proprio *Quoniam tam*, 12 nov. 1926, ne tot pretiosa documenta pro Missionali expositione collecta dissiparentur, S. Pontifex in palatio Lateranensi creavit *Museum Missionale Ethnologicum*, remoto tabulario paroeciarum, quod transferetur in Porticum Basilicae Vaticanae continentem, quae a Carolo Magno nomen mutuatur. Proprium simul virorum Consilium constituit, praeside Secretario, pro tempore, S. C. Prop. Fidei, cuius curae tria Musea Pontificia demandantur, firma distincta eorum administratione (A. A. S., 1 dec. 1926, XVIII, 478).

D. *Beatificationes.*

Ghebre Michaël

Brevi *A primis*, 3 oct. 1926, S. Pontifex, Beatum renuntiat Venerabilem Abba GHEBRE MICHAËL, sacerdos e Congr. Missionis a S. Vincentio a Paulo, qui in Abyssinia, Theodoro rege, anno 1855, gloriose pro fide catholica occubuit (A. A. S., 3 nov. 1926, XVIII, 407).

Emmanuel Ruiz et septem socii ex Ord. Minorum.

Brevi *Contingit*, 10 oct. 1926, a S. Pontifice beati renuntiantur EMMANUEL RUIZ sac. O. F. M. et septem socii : CARMELUS VOLTA ; ENGELBERTUS KOLLAND, NICANOR ASCANIUS, NICOLAUS ALBERCA, PETRUS SOLER, sacerdotes, FRANCISCUS PINAZO d'ARPUENTES, et IOANNES IACOBUS FERNANDEZ, Fratres laici, ex

Ordine Minorum ; itemque tres germani fratres Maronitae FRANCISCUS, MOOTI et RAPHAËL MASSABKI, anno 1860 a Turcarum cohortibus necati (A. A. S. 3 nov. 1926, XVIII, 411).

Arch. du Lau, Episc. Franciscus Iosephus et Episc. Petrus Ludovicus de la Rochefoucauld et 188 socii.

Brevi *Teterrima*, 17 oct. 1926, a S. Pontifice beati renuntiati sunt IOANNES MARIA DU LAU, arch. Arelatensis, FRANCISCUS IOSEPHUS DE LA ROCHEFOUCAULD, episc. Bellovacensis, PETRUS LUDOVICUS DE LA ROCHEFOUCAULD episc. Santonensis et 188 socii, Parisiis, ineunte mense septembri anni 1792 in odium fidei interempti. Nomina subicimus, ut sunt in ipso Brevi relata.

Mactati in coenobio Carmelitarum.

a) 95 *Servi Dei in coenobio Carmelitarum necati,* nempe I. IOANNES MARIA DU LAU, Archiepiscopus Arelatensis. II. FRANCISCUS IOSEPHUS DE LA ROCHEFOUCAULD, Episcopus Bellovacensis. III. PETRUS LUDOVICUS DE LA ROCHEFOUCAULD, Episcopus Santonensis. IV. VINCENTIUS ABRAHAM sacerdos, in dioecesi, Rhemensi parochus. V. ANDREAS ANGAR, paroeciae Parisiensis ad Sancti Salvatoris vicarius. VI. IOANNES BAPTISTA CLAUDIUS AUBERT, paroeciae Dominae Nostrae, in oppido *Pontoise* Versaliensis dioecesis curio. VII. FRANCISCUS BALMAIN, in dioecesi Nivernensi ortus, iam Societatis Iesu sodalis, Parisiis degens. VIII. IOANNES PETRUS BANGUE, in diocesi Bisuntina natus, nosocomii Parisiensis Sancti Iacobi a sacris. IX. AMBROSIUS AUGUSTINUS CHEVREUX, Congregationis Benedictinae a Sancto Mauro Parisiis summus moderator. X. LUDOVICUS BARREAU DE LA TOUCHE, eiusdem Congregationis monachus. XI. RENATUS IULIANUS MASSEY, ipsius Congregationis monachus. XII. LUDOVICUS FRANCISCUS ANDREAS BARRET, e dioecesi Avenionensi sacerdos, paroeciae Parisiensi ad S. Rochi addictus. XIII. IOSEPHUS BÉCAVIN e dioecesi Nannetensi sacerdos. XIV. CAROLUS IEREMIAS BÉRAUD DU PÉROU, in dioecesi Rupellensi ortus, Societatis Iesu iam sodalis, postea Eudista. XV. ROBERTUS LE BIS, e dioecesi Constantiensi, ad S. Dionysii in oppido Briis *sous Forges* parochus. XVI. IACOBUS IULIUS BONNAUD, in archidioecesi S. Dominici ortus, Societatis Iesu iam sodalis, Vicarius generalis Lugdunensis. XVII. IOANNES ANTONIUS SAVINE, in dioecesi Vapicensi natus, moderator sodalitatis clericorum Sancti Sulpicii. XVIII. LUDOVICUS ALEXIUS MATHIAS BOUBERT, Ambianensi in dioecesi natus, diaconus, oeconomus sodalitatis clericorum Sancti Sulpicii. XIX. IOANNES ANTONIUS HYACINTHUS BOUCHARENC DE CHAUMEILS, Aniciensi in dioecesi natus, Vicarius generalis Vivariensis. XX. IOANNES FRANCISCUS BOUSQUET Carcassonensi in dioecesi ortus, presbyter Parisiis commorans. XXI. IOANNES FRANCISCUS BURTÉ, Ordinis Minorum Conventu-

alium, Parisiis, Procurator. XXII. CLAUDIUS CAYX-DUMAS, e dioecesi Cadurcensi, Societatis Iesu iam sodalis, Ursulinarum Virginum ad Sancti Claudii Versaliensi in dioecesi moderator. XXIII. IOANNES CHARTON DE MILLOU, Lugduni natus, iam Societatis Iesu alumnus, religiosarum a SS.mo Sacramento Parisiis confessarius. XXIV. CLAUDIUS CHAUDET, e dioecesi Aquensi, paroeciae Parisiensi ad Sancti Nicolai de Campis addictus. XXV. NICOLAUS CLAIRET, e dioecesi Constantiensi, a sacris in nosocomio Parisiensi incurabilium. XXVI. IACOBUS ALEXANDER MENURET, in dioecesi Valentinensi natus, praepositus domui Sancti Francisci Salesii in oppido *Issy*, penes civitatem Parisiensem. XXVII. CLAUDIUS COLIN, superior hospitii et cappellanus ad altare Sancti Eutropii ad Nostrae Dominae, Lutetiae Parisiorum. XXVIII. PETRUS LUDOVICUS IOSEPH VERRIER, e dioecesi Cameracensi, presbyter domus Sancti Francisci Salesii in oppido *Issy*. XXIX. BERNARDUS FRANCISCUS DE CUCSAC, Tolosanae archidioecesis, e societate Sancti Sulpicii, moderator Seminarii philosophici Parisiis. XXX. FRANCISCUS DARDAN, e dioecesi Nanceiensi, alumnis ephebei Sanctae Barbarae a sacris confessionibus, Parisiis. XXXI. GUILLELMUS ANTONIUS DELFAUT, iam Societatis Iesu sodalis, archipresbyter in dioecesi Petrocoricensi. XXXII. MATURINUS VICTOR DERUELLE, Parisiis, paroeciae ad Sancti Gervasii presbyter. XXXIII. GABRIEL DESPREZ DE ROCHE, in dioecesi Nivernensi ortus, Vicarius generalis Parisiensis. XXXIV. THOMAS NICOLAUS DUBRAY, in dioecesi Bellovacensi natus, sodalitatis Sancti Sulpicii sacerdos. XXXV. THOMAS RENATUS DUBUISSON, in dioecesi Vallis Vidonis ortus, parochus ad Sancti Dionysii in oppido *Barville* Aurelianensis dioecesis. XXXVI. FRANCISCUS DUMASRAMBAUD DE CALANDELLE, dioecesis Lemovicensis Episcopi a secretis. XXXVII. HENRICUS HIPPOLYTUS ERMÈS, Parisiis natus, vicarius paroeciae ad S. Andreae *des Arcs*. XXXVIII. ARMANDUS DE FOUCAULD DE PONTBRIANT, e dioecesi Petrocoricensi, Vicarius generalis Arelatensis. XXXIX. CLAUDIUS FRANCISCUS GAGNIÈRES DES GRANGES, Camberiensi in archidioecesi ortus, iam Societatis Iesu sodalis, presbyter domus Sancti Francisci Salesii apud Lutetiam Parisiorum. XL. IACOBUS GABRIEL GALAIS, e dioecesi Andegavensi, e societate Sancti Sulpicii moderator Seminarii Robertinorum. XLI. PETRUS GAUGUIN, in archidioecesi Turonensi ortus, e societate Sancti Sulpicii, Issiensi bibliothecae praefectus. XLII. LUDOVICUS LAURENTIUS GAULTIER, in Rhedonensi archidioecesi natus, nosocomii incurabilium Parisiis cappellanus. XLIII. GEORGIUS GIRAULT, in archidioecesi Rothoma-

gensi natus (Pater Severinus inter Franciscales Sodales Tertii Ordinis), a confessionibus sororum Sanctae Elisabeth Parisiis. XLIV. IOANNES GOIZET, archipresbyter paroeciae Nostrae Dominae oppidi *Niort* in Pictaviensi dioecesi. XLV. PETRUS LANDRY, vicarius in eadem paroecia Nostrae Dominae, in dioecesi Pictaviensi. XLVI. IOANNES PHILIPPUS MARCHAND, Rupellensi in dioecesi ortus, et ipse vicarius paroeciae Nostrae Dominae oppidi *Niort* in dioecesi Pictaviensi. XLVII. ANDREAS GRASSET DE SAINT SAUVEUR, natus Marianopoli in Canada, canonicus Ecclesiae cathedralis Senonensis. XLVIII. CAROLUS FRANCISCUS LE GUÉ, Rhedonensis archidioecesis, Societatis Iesu iam sodalis, Parisiis concionator. XLIX. PETRUS MICHAEL GUÉRIN, e dioecesi Rupellensi, e societate Sancti Sulpicii, moderator Seminarii Nannetensis. L. IOANNES ANTONIUS GUILLEMINET, e dioecesi Montis Pessulani, vicarius paroeciae ad Sancti Rochi Parisiis. LI. FRANCISCUS LUDOVICUS HÉBERT, e dioecesi Baiocensi, in Congregatione Eudistarum vicarius Superioris generalis. LII. IACOBUS STEPHANUS PHILIPPUS HOURRIER, e dioecesi Ambianensi, e sodalitate Sancti Sulpicii, praefectus Seminario de *Laon* Parisiis. LIII. IOANNES BAPTISTA JANNIN, Constantiensi in dioecesi ortus, nosocomii Parisiensis *de la Salpétrière* a sacris. LIV. IOANNES LACAN, e dioecesi Ruthenensi, nosocomii a Pietate nuncupati Parisiis a sacris. LV. CLAUDIUS ANTONIUS RODULPHUS LAPORTE, e dioecesi Corisopitensi, Societatis Iesu iam sodalis, vicarius ad Sancti Ludovici, in oppido *Brest*. LVI. FRANCISCUS LEFRANC e dioecesi Baiocensi, Eudista, superior Seminarii et Vicarius generalis Constantiensis dioecesis. LVII. GUILLELMUS NICOLAUS LUDOVICUS LECLERCQ, e dioecesi Atrebatensi, in religione frater Salomon, e sodalibus Scholarum Christianarum. LVIII. OLIVERIUS LEFEBVRE, in dioecesi Baiocensi ortus, nosocomii Parisiensis a Misericordia nuncupati Parisiis a sacris. LIX. URBANUS LEFEBVRE, ex archidioecesi Turonensi, societatis Missionum ad infideles presbyter, addictus postea clero ad Sancti Eustachii Parisiis. LX. IACOBUS IOSEPH LEJARDINIER DES LANDES, e dioecesi Sagiensi, parochus ad Sancti Nicolai in oppido de *la Feuille* dioecesis Constantiensis. LXI. FRANCISCUS CAESAR LONDIVEAU, vicarius paroeciae loci *Evaillé* dioecesis Cenomanensis. LXII. LUDOVICUS LONGUET, e dioecesi Baiocensi, canonicus ad S. Martini Turonensis archidioecesis. LXIII. IACOBUS FRANCISCUS DE LUBERSAC, e dioecesi Petrocoricensi, Victoriae Ludovici XV filiae eleemosynarius. LXIV. HENRICUS AUGUSTUS LUZEAU DE LA MULONNIÈRE, in dioecesi Nannetensi ortus, e sodalitate Sancti Sulpicii, moderator Seminarii Andegavensis.

LXV. Gaspar Claudius Maignien, ex archidioecesi Bisuntina, parochus loci *la Villeneuve le Roi* dioecesis Bellovacensis. LXVI. Ludovicus Mauduit, parochus ad Sancti Petri loci *Noyers* dioecesis Aurelianensis. LXVII. Franciscus Ludovicus Méallet de Fargues, e dioecesi Sancti Flori, Vicarius generalis dioecesis Claromontensis. LXVIII. Iacobus Ioannes le Meunier, in oppido *Mortagne* ad Nostrae Dominae vicarius, dioecesis Sagiensis intra fines. LXIX. Ioannes Iacobus Morel (pater Apollinaris inter minores fratres Capulatos nuncupatus) Friburgensi in dioecesi natus, vicarius Germanorum in paroecia ad Sancti Sulpicii, Parisiis. LXX. Ioannes Baptista Nativelle, e dioecesi Baiocensi, vicarius ad Sancti Martini *de Longjumeau* dioecesis Versaliensis. LXXI. Renatus Nativelle, Ioannis praedicti frater, vicarius ad Sancti Dionysii in oppido *Argenteuil* dioecesis Versaliensis. LXXII. Nezel, clericus Parisiis natus, professor apud Sulpicianos Issienses, penes Lutetiam Parisiorum. LXXIII. Mathias Augustinus Nogier, e dioecesi Aniciensi, Parisiensibus Ursulinis a sacris. LXXIV. Ioseph Thomas Pazery de Thorame, e dioecesi Aquensi, alter a Decano capituli cathedralis Blezae. LXXV. Iulius Honoratus Cyprianus Pazery de Torame, Iosephi Thomae praefati frater, Vicarius generalis Tolonensis, in dioecesi Foroiuliensi. LXXVI. Petrus Franciscus Pazery de Thorame, duorum praecedentium Servorum Dei avunculus, Vicarius generalis dioecesis Arelatensis. LXXVII. Petrus Ploquin, vicarius in loco *Druye* archidioecesis Turonensis. LXXVIII. Ioannes Baptista Michaël Pontus, e dioecesi Constantiensi, presbyter sodalitatis S. Sulpicii, Parisiis. LXXIX. Renatus Nicolaus Poret, e dioecesi Baiocensi, parochus in oppido *Boitron* dioecesis Sagiensis. LXXX. Iulianus Poulain de Launay, e dioecesi Baiocensi, presbyter paroeciae Sanctorum Omnium in archiepiscopali civitate Rhedonensi. LXXXI. Petrus Nicolaus Psalmon, ex archidioecesi Rothomagensi, e sodalitate Sancti Sulpicii, superior Seminarii de Laon Parisiis. LXXXII. Ioannes Robertus Quéneau, in dioecesi Andegavensi oppidi *Allonnes* parochus. LXXXIII. Stephanus Franciscus Deusdedit de Ravinel, e dioecesi Baionensi, in Seminario Sancti Sulpicii, Parisiis, diaconus. LXXXIV. Iacobus Augustinus Robert de Lezardière, e dioecesi Lucionensi, in Seminario Sancti Sulpicii Parisiis diaconus. LXXXV. Claudius Rousseau, Parisiensis, e societate Sancti Sulpicii presbyter, praefectus in Seminario de Laon Lutetiae Parisiorum. LXXXVI. Vincentius Iosephus le Rousseau, e dioecesi Corisopitensi, iam sodalis Societatis Iesu, moderator a confessio-

nibus sanctimonialium a Visitatione Parisiis. LXXXVII. Franciscus Urbanus Salin de Niart, e dioecesi Argentoratensi, canonicus in loco *Saint Lisier de Conseraus* dioeceseos Apamiensis. LXXXVIII. Ioannes Henricus Ludovicus Samson, e dioecesi Constantiensi, vicarius in oppido *Caen* dioecesis Baiocensis. LXXXIX. Ioannes Antonius Barnabas Séguin, ex archidioecesi Avenionensi, vicarius paroeciae Parisiensis ad Sancti Andreae *des Arcs*. XC. Ioannes Baptista Maria Tessier, in dioecesi Carnutensi ortus, presbyter sodalitatis S. Sulpicii Parisiis. XCI. Thomas Loup, appellatus Bonnotte, iam Societatis Iesu sodalis, in dioecesi Nivernensi natus, Ursulinarum Parisiensium confessarius. XCII. Carolus Regis Matthaeus comes de Valfons de la Calmette, Nemausensi in dioecesi ortus, emeritus militiarum dux Parisiis degens. XCIII. Mathurinus Nicolaus de la Villecrohain le Bous de Villeneuve, in archidioecesi Rhedonensi natus, Societatis Iesu iam sodalis, Monialium a Calvario Parisiis moderator. XCIV. Franciscus Vareilhe-Duteil, in dioecesi Lemovicensi natus, iam sodalis Societatis Iesu, degens in pia domo S. Francisci Salesii loci *Issy*, penes Lutetiam Parisiorum. XCV. Iacobus Friteyre-Durvé, in dioecesi Claromontensi natus, iam sodalis Societatis Iesu, Missionarius Parisiis degens.

Mactati in seminario S. Firmini.

b) **72** *Servi Dei, in Seminario Sancti Firmini, quod iam Congregationis a Missione Sancti Vincentii de Paolo domus fuit, mactati.* I. Andreas Abel Alricy, octogenarius sacerdos, in dioecesi Gratianopolitana natus, e clero ad Sancti Medardi. II. Renatus Maria Andrieux, Rhedonensis, iam sodalis Societatis Iesu, superior communitatis ad S. Nicolai *du Chardonnet*, Parisiis. III. Nicolaus Bize, Versaliensis ortu, Rector Seminarii S. Nicolai *du Chardonnet* Parisiis. IV. Stephanus Michaël Gillet, Parisiensis, presbyter communitatis Parisiensis, ad Sancti Nicolai *du Chardonnet*. V. Ludovicus Ioannes Matthaeus Lanier, ortus in dioecesi Vallis Vidonis, praefectus in eodem Seminario Sancti Nicolai *du Chardonnet*. VI. Carolus Victor Veret, Sagiensis ortu, diaconus communitatis Sancti Nicolai *du Chardonnet*. VII. Petrus Paulus Balzac, Parisiensis, in paroecia ad Sancti Nicolai *du Chardonnet*, presbyter. VIII. Ioseph Ludovicus Oviéfve, Parisiensis, apud dictam paroeciam ad Sancti Nicolai *du Chardonnet*, presbyter. IX. Ioannes Franciscus Maria Benoit, dictus Vourlat, Lugdunensis ortu, iam Societatis Iesu sodalis, moderator spiritualis sanctimonialium a perpetua Adoratione SS.mi Sacramenti. X. Ioan-

NES CAROLUS MARIA BERNARD, e dioecesi Nannetensi, canonicus regularis, et curator bibliothecae penes abbatiam Sancti Victoris, Parisiis. XI. MICHAEL ANDREAS SILVESTER BINARD, ortus in dioecesi Constantiensi, Parisiis in Conlegio Navarrensi doctor. XII. CLAUDIUS BOCHOT, ortus in dioecesi Trecensi, moderator Patrum a Doctrina Christiana Parisiis. XIII. EUSTACHIUS FELIX, in eadem dioecesi natus, procurator Patrum a Doctrina Christiana Parisiis. XIV. IOANNES FRANCISCUS BONNEL DE PRADAL, in dioecesi Apamiensi ortus, canonicus regularis ad Sanctae Genovefae Parisiis. XV. CLAUDIUS PONSE, e dioecesi Aniciensi, canonicus regularis Sanctae Genovefae Parisiis. XVI. PETRUS BONSÉ, Parisiensis, parochus ad Sancti Sulpicii in oppido *Massy* dioecesis Versaliensis. XVII. PETRUS BRIQUET, e dioecesi Suessionensi, theologiae doctor in conlegio Navarrae Parisiis. XVIII. PETRUS BRISSE, e dioecesi Bellovacensi, templi cathedralis canonicus, maior poenitentiarius. XIX. CAROLUS CARNUS, e dioecesi Ruthenensi, in Conlegio Regio emeritus professor. XX. IOANNES CAROLUS CARON, e dioecesi Atrebatensi, parochus in oppido *Collégien* dioecesis Meldensis. XXI. BERTRANDUS ANTONIUS DE CAUPENNE, e dioecesi Auxitana, vicarius oppidi *Montmagny* in dioecesi Versaliensi. XXII. NICOLAUS COLIN parochus loci *Genevrières* dioecesis Lingonensis. XXIII. SEBASTIANUS DESBRIELLES, ex archidioecesi Bituricensi, magister scholarum in nosocomio Parisiensi a Pietate. XXIV. IOANNES PETRUS DUVAL, pariter magister scholarum in eodem nosocomio. XXV. LUDOVICUS FRANCISCUS RIGOT, ortu Ambianensis, aedituus in ipso nosocomio. XXVI. IACOBUS DUFOUR, e dioecesi Constantiensi, vicarius ad Sancti Rhemigii loci *Maisons* archidioecesis Parisiensis. XXVII. DIONYSIUS CLAUDIUS DUVAL, natus in oppido *Saint-Etienne-du-Mont* in eadem, Sancti Stephani paroeciae in archidioecesi Parisiensi vicarius. XXVIII. IOSEPHUS FALCOZ, ortus in dioecesi Maurianensi, sacerdos Parisiensibus nosocomiis addictus. XXIX. GILBERTUS IOANNES FAUTREL, e Constantiensi dioecesi, cappellanus Hospitii pro infantulis proiectis alendis in suburbio Sancti Antonii Parisiis. XXX. PHILIBERTUS FOUGÈRES, Parisiensis ortu, parochus ad Sancti Laurentii in dioecesi Nivernensi. XXXI. LUDOVICUS IOSEPHUS FRANÇOIS, in dioecesi Cameracensi natus, moderator Seminarii Parisiensis Sancti Firmini. XXXII. PETRUS IOANNES GARRIGUES, e dioecesi Ruthenensi, presbyter e clero Parisiensi. XXXIII. NICOLAUS GAUDREAU, Parisiensis, parochus oppidi *Vert le petit* in dioecesi Versaliensi. XXXIV. GEORGIUS HIERONYMUS GIROUST, in dioecesi Meldensi natus, vicarius loci *Genne-*

villiers archidioecesis Parisiensis. XXXV. Ioseph Maria Gros, e Lugdunensi archidioecesi, parochus ad Sancti Nicolai *du Chardonnet* Parisiis XXXVI. Ioannes Henricus Gruyer, natus in dioecesi Sancti Claudii, e Congregatione Missionis, vicarius ad Sancti Ludovici Versaliensis dioecesis. XXXVII. Petrus Michaël Guérin du Rocher, Societatis Iesu iam sodalis, in dioecesi Sagiensi ortus, moderator domus nuper ad catholicam fidem conversorum, Parisiis. XXXVIII. Robertus Franciscus Guérin du Rocher, supradicti Petri Michaelis frater, iam Societatis Iesu sodalis, Parisiis degens. XXXIX Ivo Andreas Guillon de Keranrum, in dioecesi Briocensi natus, curator Conlegii Navarrae et vicecancellarius Athenaei Parisiensis. XL. Iulianus Franciscus Hédouin, e dioecesi Constantiensi, sacerdos Parisiis sanctimonialibus addicius. XLI. Petrus Franciscus Hénocq, natus in dioecesi Ambianensi, doctor in Conlegio a Cardinali Lemoine appellato, Parisiis. XLII. Eligius Herque du Roule, e Lugdunensi archidioecesi, iam Societatis Iesu sodalis, nosocomii a Pietate nuncupati Parisiis cappellanus. XLIII. Petrus Lodovicus Joret, presbyter. XLIV. Ioannes Petrus le Laisant, in dioecesi Constantiensi ortus, vicarius ad Sancti Dionysii in oppido *Dugny* archidioecesis Parisiensis. XLV. Iulianus Le Laisant, supramemorati Ioannis Petri germanus frater, Vicarius in oppido *Videscoville* archidioecesis Parisiensis. XLVI. Gilbertus Ludovicus Symphorianus Lanchon, in dioecesi Constantiensi natus, moderator spiritualis religiosarum a Portu Regali Parisiis. XLVII. Iacobus de la Lande, e dioecesi Sagiensi, parochus loci *Illiers-l'Évêque* dioecesis Ebroicensis. XLVIII. Ioannes Ioseph de Lavèze Belay, natus in dioecesi Vivariensi, nosocomii Parisiensis vulgo *Hôtel Dieu* vicarius. XLIX. Michaël Leber, Parisiensis, curio paroeciae ad Sanctae Magdalenae loci *Ville-l'Évêque*, Parisiis. L. Petrus Florentius Leclerq sive Clerq, ortus in dioecesi Ambianensi, presbyter in Seminario ad Sancti Nicolai *du Chardonnet* Parisiis. LI. Ioannes Carolus Legrand, Parisiensis, philosophiae professor in Conlegio *de Lisieux* nuncupato Parisiis. LII. Ioannes Lemaitre, in dioecesi Baiocensi natus, novensilis sacerdos Parisiis. LIII. Ioannes Thomas Leroy, in dioecesi Catalaunensi natus, prior parochus de *la Ferté-Gaucher* in dioecesi Meldensi. LIV. Martinus Franciscus Alexius Loublier, parochus loci de *Condé-sur-Sarthe* dioecesis Sagiensis. LV. Claudius Silvanus Mayneaud de Bisefranc, Augustodunensi in dioecesi natus, communitatis a Sancto Rocho sacerdos concionator Parisiis. LVI. Claudius Ludovicus Marmotant de Savigny, Parisiensis,

parochus loci *Compans la Ville* dioecesis Meldensis. LVII. HENRICUS IOANNES MILLET, Parisiensis, ecclesiae ad Sancti Hippolyti Lutetiae Parisiorum vicarius. LVIII. FRANCISCUS IOSEPH MONNIER, Parisiensis, ad Sancti Severini Parisiis vicarius. LIX. MARIA FRANCISCUS MOUFFLE, Parisiensis, paroeciae S. Merry vicarius. LX. IOANNES MICHAËL PHILIPPOT, Parisiensis, Conlegio Navarrae addictus sacerdos. LXI. PETRUS CLAUDIUS POTTIER, in civitate *Havre* natus, sodalis Congregationis Eudistarum, moderator magni Seminarii archidioecesis Rothomagensis. LXII. IACOBUS LEONORUS RABÉ, natus in dioecesi Constantiensi, hospitii Parisiensis proiectorum puerorum vicarius. LXIII. PETRUS ROBERTUS RÉGNET, ortus in civitate *Cherbourg*, in dioecesi Constantiensi presbyter. LXIV. IVO IOANNES PETRUS REY DE KERVISIC, in dioecesi Briocensi natus, vicarius Parisiensis ad Sancti Iacobi *du Haut Pas*. LXV. NICOLAUS CAROLUS ROUSSEL presbyter apud Seminarium Sancti Nicolai *du Chardonnet* Parisiis. LXVI. PETRUS SAINT JAMES, natus in oppido *Caen*, Parisiensis nosocomii a Pietate eleemosynarius. LXVII. IACOBUS LUDOVICUS SCHMID, Parisiensis, ad Sancti Ioannis Evangelistae Parisiis parochus. LXVIII. IOANNES ANTONIUS SECONDS, Ruthenensi in dioecesi natus, iam sodalis Societatis Iesu, Parisiis in nosocomio Pietatis a sacris. LXIX. PETRUS IACOBUS DE TURMENYES, in archidioecesi Rothomagensi natus, magnae domus Navarrae, Parisiis, magister ac presbyter. LXX. RENATUS IOSEPH URVOY, e dioecesi Briocensi, sacerdos magister conferentiarum in Seminario triginta trium Parisiis. LXXI. NICOLAUS MARIA VERRON, e dioecesi Corisopitensi, iam sodalis Societatis Iesu, Religiosarum mulierum a Sancta Aura, Parisiis, spiritualis moderator. LXXII. IOANNES ANTONIUS IOSEPH DE VILLETTE, in dioecesi Cameracensi natus, eques a Sancto Ludovico, iam militiae dux, Parisiis degens;

Mactati in carcere abbatiae S. Germani.

c) **21** *Servi Dei, qui in carcere abbatiae Sancti Germani interempti fuerunt :* I. DANIEL LUDOVICUS ANDRÉ DES POMMERAYES, in archidioecesi Rothomagensi natus, paroeciae Parisiensis ad Sancti Pauli vicarius. II. LUDOVICUS REMIGIUS BENOIST, Parisiis ortus, in eadem civitate ad Sancti Pauli vicarius. III. LUDOVICUS REMIGIUS NICOLAUS BENOIST, supradicti frater germanus, et ipse eiusdem Sancti Pauli paroeciae vicarius. IV. IOANNES ANDREAS CAPEAU, e dioecesi Avenionensi, vicarius memoratae a Sancto Paulo paroeciae. V. ANTONIUS CAROLUS OCTAVIANUS DU BOUZET, e dioecesi Auxitana, Vicarius generalis archidioecesis Rhemensis. VI. ARMANDUS CHAPT DE RAS-

TIGNAC, e dioecesi Petrocoricensi, Vicarius generalis Arelatensis dioecesis. VII. LUDOVICUS LE DANOIS, e dioecesi Constantiensi paroeciae Parisiensis ad Sancti Rochi vicarius. VIII. CLAUDIUS FONTAINE, Parisiensis, paroeciae ad Sancti Iacobi *de la Boucherie* vicarius. IX. PETRUS LUDOVICUS GERVAIS, ex archidioecesi Rothomagensi, Archiepiscopi Parisiensis a secretis. X. SANCTES HURÉ, natus in dioecesi Versaliensi, presbyter Parisiis degens. XI. CAROLUS LUDOVICUS HURTREL, Parisiis ortus, sacerdos ex ordine Minimorum. XII. LUDOVICUS BENIAMINUS HURTREL, diaconus, praecedentis germanus frater. XIII. ANNA ALEXANDER CAROLUS MARIA LANFANT, natus Lugduni, iam Societatis Iesu sodalis, concionator sacer, Parisiis. XIV. LAURENT, sacerdos, puerorum lingua et auribus captorum educator Parisiis. XV. THOMAS IOANNES MONSAINT, ortus in dioecesi Baiocensi, paroeciae ad Sancti Rochi Parisiis vicarius. XVI. FRANCISCUS IOSEPH PEY, e dioecesi Foroiuliensi, vicarius ecclesiae *S. Landry* Parisiis. XVII. IOANNES IOSEPH RATEAU, ex archidioecesi Burdigalensi, presbyter Parisiis degens. XVIII. MARCUS LUDOVICUS ROYER, Parisiensis, in sua civitate ad Sancti Ioannis *en Grève* parochus. XIX. IOANNES LUDOVICUS GUYARD de Saint Clair, in dioecesi Sagiensi natus, canonicus Noviomagi, in dioecesi Bellovacensi. XX. IOANNES PETRUS SIMON, Parisiensis, emeritus parochus, Lutetiae Parisiorum scholasticus, ad Nostrae Dominae Capituli canonicus. XXI. PETRUS IACOBUS MARIA VITALIS, in archidioecesi Avenionensi natus, in ecclesia de *Saint Merry*, Parisiis, vicarius;

Mactati in carcere La Force.

d) 3 *famuli Dei in carcere appellato La Force, interfecti, scilicet:* I. IOANNES BAPTISTA BOTTEX, in dioecesi Bellicensi ortus, oppidi *Neuville-sur-Ain* parochus. II. MICHAËL FRANCISCUS DE LA GARDETTE, e dioecesi Claromontensi, Parisiensis paroeciae ad Sancti Gervasii vicarius. III. FRANCISCUS HYACINTHUS LE LIVEC DE TRESURIN, natus in dioecesi Corisopitensi, Societatis Iesu iam sodalis, a sacris Filiarum Calvarii Parisiis (A. A. S., 3 nov. 1926, XVIII, 415).

Natalis Pinot.

Brevi *Fortissimos inter*, 31 oct. 1926, Beatus renuntiatur Ven. Servus Dei NATALIS PINOT, presbyter Andegavensis, parochus, anno 1793 in odium fidei interfectus in Galliis (A. A. S., 3 nov. 1926, XVIII, 425).

E. *Litterae de Dioecesibus, Vicariatibus ac Praefecturis Apostolicis.*

Durazzo e

1. Brevi *Quae rei*, 10 martii 1926, regio Epiri Graeci ab

archidioecesi Dirrachiensi separatur et archidioecesi Corcyrensi adiungitur (A. A. S., 1 dec. 1926, XVIII, 481). *Corfù.*

2. Brevi *Admonet supremi*, 16 martii 1926, urbs Monastir cum continenti regione a Vicariatu Apostolico Constantinopolitano separatur et dioecesi Scopiensi adiungitur (A. A. S., 1 dec. 1926, XVIII, 482). *Monastir e Scopia.*

3. Brevi *In sublimi*, 18 martii 1926, Macedonia graeca et Thracia graeca a Vic. Ap. Constantinopolitano segregatae, iuncta Thessalica regione cum insulis adiacentibus, quae de dicione delegati Apostolici erat, in Vic. Ap. Thessalonicensem eriguntur (A. A. S., 1 dec. 1926, XVIII, 483). *Erectio Vicariatus Ap. de Thessalonica.*

4. Brevi *Quae catholico*, 18 martii 1926, regio Poloponnesus cum insula Cythera a Delegatione Apostolica Graeciae separatur et Archidioecesi Atheniensi definitive aggregatur (A. A. S., 1. dec. 1926, XVIII, 484). *Peloponnesus cum insula Cythera.*

5. Brevi *In omnes*, 12 maii 1926, distracto territorio e Vic. Ap. de Taynanfu, erigitur Vic. Ap. de Fenyang in Sinis, ac curis cleri indigenae concreditur (A. A. S., 1 dec. 1926, XVIII, 485). *Taynanfu e Fenyang.*

6. Brevi *Cum Nobis*, 12 maii 1926, dismembrato Vicariatu Apostolico de Taynanfu, erigitur in Sinis Praefectura Ap. de Shohchon (A. A. S., 1 dec. 1926, XVIII, 486). *Erectio Praefecturae Ap. de Shohchow in Sinis.*

7. Brevi *Quae rei sacrae*, 30 iunii 1926, novus limes inter Vicariatum Ap. de Léopoldville et Praefecturam Ap. de Matadi in Congo Belgico (A. A. S., 3 nov. 1926, XVIII, 428). *Léopoldville et Matadi in Congo Belgico.*

8. Brevi *Quae in exploratam*, 12 iulii 1926, e Vicariatu Apostolico Aegypti separata regio Canalis de Suez in Apostolicum Vicariatum erigitur (A. A. S., 7 dec. 1926, XVIII, 487). *Erectio Vic. Ap. Regio Canalis de Suez.*

9. Brevi *Supremi Apostolatus*, 12 iulii 1926, regio de Uha a Vic. Ap. Urundensi separata, tribus finitimis, nempe de Nyanza, de Tabora, de Tanganika, quorum idcirco fines mutantur, partim annectitur (A. A. S., 1. dec. 1926, XVIII, 488). *Regio de Uha, in Congo Belgico.*

F. *Litterae de Basilica.*

In Basilicam minorem erigitur:

Brevi *Praepositus parochus*, 26 februarii 1926, ecclesia paroecialis Ss. Petri et Pauli in civitate Wormatia, dioecesi Moguntinae (A. A. S., 1 dec. 1926, XVIII, 480). *Ss. Petri et Pauli in Wormatia.*

66. — *S. Congr. Rituum.*

1. Decreto 9 iun. 1926 declaratum est, in causa Senensi, constare de virtutibus in gradu heroico B. Ioachimi Piccolomini laici professi Ordinis Servorum B. M. Virginis (A. A. S., 1 dec. 1926, XVIII, 493). *Ioachimus Piccolomini (Senensis).*

Beatrix de Silva (Toledo)

2. Decreto 27 iul. 1926, in causa Toletana, confirmata est sententia Em. Arch. Toletani, super cultu ab immemorabili tempore praestito Servae Dei Beatrici de Silva.

Benedictus XV. f. r. per decretum 16 iun. 1920 benigne indulserat ut in praesenti causa ageretur secundum legem et usum quae vigebant ante decreta 1912 et 1913 et Codicem canonicum (A. A. S., 1 dec. 1926, XVIII, 496).

Natalis Pinot (Angers).

3. Die 1 octobris 1926, SS. D. declaravit tuto procedi posse ad sollemnem beatificationem in causa Ven. S. D. Natalis Pinot, parochi vici Louroux-Béconnais (A. A. S., 3 nov. 1926, XVIII, 437).

Ioannis du Lau et Soc. Mm. (Paris).

4. Die 1 octobris 1926, SS. D. declaravit procedi posse ad ulteriora in causa beatificationis seu declarationis martyrii Ven. Servorum Dei Ioannis du Lau, Archiepiscopi Arelatensis, Francisci Iosephi de La Rochefoucauld, episcopi Bellovacensis, Petri Ludovici de La Rochefoucauld, episcopi Santonensis, et Sociorum, Parisiis in odium fidei interemptorum mense septembri anno 1792 (A. A. S., 3 nov. 1926, XVIII, 439).

Francisci, Mooti et Raphaelis Massabki (Damasci).

5. Die 7 octobris 1926, SS. D. declaravit tuto procedi posse ad sollemnem Beatificationem Ven. Servorum Dei Francisci, Mooti et Raphaelis Massabki fratrum germanorum christifidelium Maronitarum, Damasci, anno 1860, in odium fidei interemptorum (A. A. S., 3 nov. 1926, XVIII, 448).

Ioannis du Lau et Soc. Mm. (Paris).

6. Die 7 octobris 1926, SS. declaravit tuto procedi posse ad sollemnem Beatificationem 191 supra memoratorum martyrum Ioannis Mariae du Lau et Sociorum (A. A., S. 3 nov. 1926, XVIII, 450).

67. — *S. C. de Prop. Fide.*

Collegium Panormitanum pro Miss. exteris O. F. M.

1. Decreto 27 iul. 1926, Collegium pro Missionibus exteris Ord. FF. MM. Cappuccinorum, Panormi exstans, S. Congregationi de Prop. Fide immediate subicitur, « salvis iuribus S. C. Negotiis Religiosorum praepositae ». Simul *S. C. de P. F.* statuit « ut constitutionibus italica lingua concinnatis, quarum exemplar huic decreto annectitur, omnino regatur, atque omnibus iuribus privilegiisque eiusmodi Collegiis iam concessis frui possit » (A. A. S., 1. dec. 1926, XVIII, 491).

ANNOTATIONES

1. Clausula « salvis iuribus S. C. negotiis Religiosorum praepositae », praeservat iurisdictionem istius

S. Congregationis in religiosos qua tales, dum quidquid ad Missiones interest competit *S. C. de P. F.* Itaque fit distributio negotiorum ad normam can. 252 § 5. Dum autem collegium immediate subicitur S. Sedi, eximitur a potestate Ordinis F. M. Capuccinorum.

2. Nullus adhuc exstat elenchus iurium et privilegiorum collegiorum S. C. P. F.

Mutatio nominis.

2. Decreto 27 iul. 1926, S. C. de Prop. Fide, Praefectura Apostolica quae ab archipelago insularum mere vocabatur *de Cook* (in parte Oceaniae quae nomen habet Polynesiae), in posterum appellabitur *de Cook et Manihiki* (A. A. S., 1 dec. 1926, XVIII, 492).

68. — *S. Romana Rota*

Matrimonium de Marlborough et Vander Bilt declaratur nullum ex vi et metu.

Die 29 iul. 1926, in causa Southwarcen. Nullitatis matrimonii Vander Bilt-De Marlborough, S. Rota, confirmans sententiam Curiae Southwarcensis quae 9 feb. 1926 nullum ex capite vis et metus declaraverat matrimonium quod actrix pro nullitate, Consuela Vanderbilt, contraxerat 6 nov. 1895, cum Carolo Duce de Marlborough, pronuntiavit constare de matrimonii nullitate; Consuelam autem ad omnes iudicii expensas obligavit (A. A. S., 1 dec. 1926, XVIII, 501).

Decisio ista magnam mirationem movit in Anglia et in America Septemtrionali. Pluribus locum dedit contionibus et conscriptionibus ephemeridum, quasi Ecclesia, recedens a suo rigore in gratiam opulentium, divortium perfectum matrimonii consummati sanxerit. Mirationem auxit quod ambae partes erant acatholicae et agebatur de nuptiis ante triginta annos celebratis.

Nihil tamen factum est quod alienum esset a consueta Ecclesiae disciplina. Notissimum enim est impedimentum vis et metus, quod etiam per plures annos valido matrimonio obstare potest, donec non fuerit libera ratificatione partis quae metum passa est sublatum.

Iam vero in casu, amor quo filia ardebat erga alium virum iam suspicionem coacti matrimonii inicit. Acta dein a matre non solum ad impediendas nuptias quae in votis filiae erant, sed etiam ad imponendum alium virum quocum matrimonium celebratum est, re vera demonstrant gravem coactionem non tantum affirmatam ab actrice sed a testibus fide dignis iuridice probatam.

Defectus ratificationis demonstratur tum exitu infelici matrimonii: coniuges, etiam post natam binam prolem, anno 1905 se separarunt quod ad torum et cohabitationem; anno vero 1920, obtento divortio per mutuum consensum, subinde ad nova vota transierunt; tum ignorantia iuris canonici qua filia nesciebat suum matrimonium esse canonice nullum.

Quod autem causa duorum protestantium a tribunali ecclesiastico iudicata fuit, inde explicatur quod filia nuptias cum parte catholica attentaverat, iuvenis autem ad fidem catholicam conversus erat. Pars catholica tunc censetur agere ut propriae conscientiae consulere possit.

Per se, secundum responsum 8 apr. 1925 (*Per.*, XIV, 166) S. Cong. S. Officii, adeunda est in singulis casibus ante quam causa acatholici in Curia examinari licite queat.

69. — *Episcopi et Mexicana persecutio.*

Iam supra licuit plene in nostra Periodica inserere acta quibus Summus Pontifex immerito afflictis et oppressis filiis solatium consensus et ipsi possibilis defensionis afferre studuit. Opportunum etiam videtur ut non nulla referamus quae simili consilio episcopi catholici facere aggressi sunt.

Quare summarie dabimus pulcherrimam epistolam pastoralem Episcoporum Foederatorum Statuum Americae Septemtrionalis, quam ipsi Inscripserunt: Pastoral Letter of the catholic Episcopate of the United States on the religious situation in Mexico; *totam dein, utpote breviorem exscribere licebit epistolam quam Episcopi Galliae ad oppressum populum miserunt.*

I. **De epistola pastorali Episcoporum U. S.** (1).

Epistolae genesis;

Epistolae genesis. Ut non paucas mendaces notitias quibus persecutores Mexicani populum Americanum decipere proponunt dissiparent, et simul manifestarent caritatem qua cum oppressis i. e. cum Pastoribus et populo catholico coniunguntur, omnes Cardinales, Archiepiscopi et Episcopi U. S. communem de gravissima et inaudita ista vexatione epistolam pastoralem edere statuerunt, sicut anno 1919 communiter scripserunt de condicione sociali et industriali suae gentis.

confectio,

Auctor litterarum fuit Comitatus compositus Cardinali HAYES (archiepiscopo Neo-Eboracensi), Ill. D. DOWLING, archiepiscopo

(1) Brevitatis causa, fas nobis sit rem publicam Foederatorum Statuum Americae Septemtrionalis his duabus litteris U S. designare. Epistola authentice et separatim edita est a Comitatu Episcoporum. Summarium prodiit quoque in *Osservatore Romano*, 27. 28 dec. 1926.

S. Pauli, et GTENNEN, archiepiscopo S. Ludovici; Ill. D. SCHREMBS, Episcopo Clevelandensi, et KELLEY, Episcopo Oklahomensi. Dein, postquam ceterorum episcoporum examini subiectae sunt, sunt omnium nomine publici iuris factae.

dies et dedicatio.

Dies et dedicatio. Epistola data est anno 1926, die 12 decembris, in *festo Dominae nostrae a Guadeloupe*, ut expresse memoratur; mittitur autem ad clerum et fideles U. S. quibus Episcopi exoptant et apprecantur pacem et benedictionem in Domino Nostro Iesu Christo, « *Doctore veritatis quae nos liberos efficit* ». Consulto electa dies videtur quia grata catholicis Mexicanis, et apta ad significandam supernaturalem scribentium intentionem; postremis autem verbis dedicationis, episcopi haud obscure insinuant se dicere pro libertate.

Sed iam ipsam epistolam in pauca colligere conemur.

Constat introductione, duabus partibus, conclusione; et ab ipsis scriptoribus distinguitur in non paucas paragraphos quae nuntiant quid proxime futurum sit ut tractetur.

Cur Episcopi litteras scribere voluerint.

Introductio. Causae scribendi. - Argumentum epistolae.

Episcopi ad scribendum moventur:

Naturali Americanorum aversione ab omni oppressione;

Propensa in victimas voluntate;

Proximitate geographica;

Speciali caritatis debito quo fideles U. S. tenentur erga catholicum populum Mexicanum.

Nec possunt Episcopi istius Ecclesiae cui fere universus populus Mexicanus spiritualiter subditur aequo animo ferre crudelem violationem principiorum quae omne iustum gubernium fundant, quae iura continent a Deo ipso sancita.

Oportet etiam ut Episcopi U. S. obsecundent prudenti et mirabili actioni Episcoporum Mexicanorum, sive persecutores respiciat, sive suum gregem.

His rationibus accedit exemplum et hortatio Vicarii Iesu Christi, qui cupiens ut Princeps Pacis in omnium cordibus regnet, intellexit ex ista persecutione grave religioni periculum ubique impendere.

Quid, quod praesens conflictio pertinet ad bellum istud quod fere a saeculo in Mexicana re publica indictum est religioni, eo consilio ut divinitus constituta Ecclesia deturpetur ad figuram schismaticae sectae penitus obnoxiae Statui, et politico regimine absorptae.

Denique, quia cives sunt bene affecti ad patrias institutiones, Episcopi loqui debent. Tentat enim Mexicanum gubernium

suum bellum in religionem in varias regiones, maxime in Americanam propagare.

Argumentum epistolae.

Et cum per diplomaticos et consulares agentes suam actionem defendere conetur et civium U. S. suffragium sollicitet, conqueri non potest quod actio ista secundum principia Americana et christiana ad trutinam revocetur.

PARS I. *Quid Americana, quid Mexicana libertas secundum Constitutionem.*

Oppositio Americanae et Mexicanae Constitutionis.

In hac priore parte, Episcopi verbis efferunt quantum inter se pugnent Constitutio Americana eiusque fundamenta, et praesens Constitutio Mexicana, ita ut Gubernium Mexicanum dum Americanos quaerit suae actionis approbatores, eos audacter sollicitat ut fiant avitarum traditionum repudiatores.

Supra leges humanas est ius divinum.

Adorientes subinde excusationem Gubernii Mexicani, se legum urgere exsecutionem, Episcopi fallaciam istam penitus dissipant, demonstrando leges istas hactenus non viguisse, neque nomen legum mereri, cum nulla Constitutio potestatem facere queat condendi leges contrarias principiis iuris divini, quod est supra ius positivum humanum. Exsistentiam talis iuris non minus *Declaratio independentiae Americanae* quam Ecclesia catholica agnoscit. Leges autem Mexicanae contrariae sunt libertati conscientiae qualis a Constitutione Americana et ab Ecclesia catholica eiusque summis doctoribus propugnatur; invadunt sanctuarium animae, quod est humanae potestati inviolabile.

Mexicanae leges contrariae libertati conscientiae.

Ius Americanum de religione.

Subsequitur tunc brevis descriptio legum Americanarum: quaenam iura societatibus religiosis agnoscant; quomodo religioni, moribus et scientiae favere intendant, et religionem appellent ut adiutricem felicitatis populi. Neque opportunitas istius regiminis, fere a 150 annis vigentis, a populo Americano in dubium vocatur.

Ius Mexicanum de religione.

Dein, allegatis fontibus, numerantur impedimenta quibus Mexicana Constitutio ruinam religionis molitur: « Nulla religiosa societas iure frui potest corporis legalis. Publice non sunt Ecclesiae in Mexicana republica. Ecclesia enim nihil possidere potest, caret iure petendi reparationem iniuriarum, neque agere neque citari potest in tribunalibus civilibus, in summa est sine ullo statuto legali. Clerici ipsa ordinatione sunt capite deminuti. Ecclesia nequit possidere aedificia sui publici cultus. Nequit habere fundationes. Nequit collectam vel subscriptionem facere extra aedificium ubi officia religiosa celebrantur. Aedificium istud pertinet ad Gubernium, quamvis pecuniis populi exstructum sit et conservetur. Legitimo proprietario solus usus

precarius ad arbitrium officialium Status conceditur. Quare omnes Mexicanae ecclesiae debent sustentari collectis factis inter divina officia. Ubique tamen ecclesiae principaliter sustentantur subscriptionibus extra ipsos actus cultus obtentis. « Apud nos fere omnia aedificia sacra sic contributis pecuniis exsistunt. In regione Mexicana, id non mera ordinatione sed decreto constitutionali vetatur ».

